BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 E
M 12

14-19. d. 4-7

Digitized by Google

Digitized by Google

CVRSVS PHILOSOPHICVS

In quatuor Tomos diuiſus.

AVTHORE

OCTAVIO CATTANEO
Societatis IESV.

TOMVS PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Complectens

Duas Proluſiones, & compendiariam in Ariſtotelis Logicam introductionem cum cæteris, quæ ſolent à Recentioribus in vniuerſam Dialecticam diſputari.

IOAN. MA. CARD. GABRIELLIVS
EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

IHS

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. 1677.
SVPERIORVM PERMISSV.

AD LECTOREM:

ERrores, qui in huius operis editionem typographorum vitio irrepſere, habes in ſingulis tomis ſingulos notatos: aliqui tamen ad primum & ſecundum ſpectant, quos ibidem non reperies, me enim latuerunt; eos vt faciliùs cauere poſſis, tibi propono in ipſa totius operis fronte In Epiſtola igitur nuncupatoria proximè ſequenti paginà primà verſu vltimo eſt *tantus enim* lege *tanta enim*: pag. 2. v. 16. *curis*. lege. *curis ceteris*. pag. penult, verſu vlt. *non dicam*, lege. *non tantum*. Deinde in hoc eodem tomo primo pag. 336. v. 13. *medicica*. *medicina*. v. 14. *commeſtio*. *comeſtio*. v. 16. *quia*. *Quarto*. 29. *realite*. *realiter*. pag. 776. v. 12. *ab amicum*: *ab amico*. In tomo ſecundo pag. 281. v. 22. *vnionem*, lege *actionem*. p. [illegible] v. 4. *ad ſecundum*. *Ad quintum*. p. 706. v. 14 *dua*-*bu*[illegible]*abus*. v. 16 *ac*. *perinde ac*. v. 24. *quæ ſi*. v. 34. *per*[illegible]*anens*. *ſucceſſiuum*. p. 717. v. 34. *aſperam*. *aſperſam*. p. 724. v. 1. *exiſtentia*. *exiſtentiam*. p. 731. v. 18. *indiuiſibilis*, *diuiſibilis*. & verſu vlt. *non tradent*. *non ita erit*. p. 721. v. 11. *continuum permanens*. lege. *continuum ſucceſſiuum, non permanens*. p. 723. v. 4. *indiuiſilia*. *indiuiſibilia*. v. 24. *Ariſtoles*, *Ariſtoteles*. Præter nonnullos Orthographiæ defectus alicubi deficit vna litera, & alibi redundat: ſed hæc, quia ſunt leuioris momenti, tu poteris per te ipſum corrigere.

IOANNI PAVLO
O L I V AE
PRAEPOSITO GENERALI
SOCIETATIS IESV.

OCTAVIVS CATTANEVS FELICITATEM.

CVRSVM Philoſophicum à Tua Paternitate olim mihi demandatum in hoc Romano Collegio ſemel atque iterùm confeci: eundem ad finem vtcunque perductum, & quatuor in Tomos digeſtum illis oculis, qui non mea tantùm, verùm & meipſum debent penitùs inſpicere, hoc eſt tuis, in præſenti reddo; geminis adiectis proluſionibus, quibus in ſolenni ſtudiorum inſtauratione oſtenderam fabuloſis Poetarum commentis à Philoſophia è fabulis exorta lucem veritatis aſperſam euentu adeò proſpero & felici, vt digna deinceps fuerit, quæ ipſis Philoſophorum fabulis vteretur ad veritatem omnium ſupremam illuminandam, confirmandamque; tantus enim eſt Ariſtote-

lis cùm Religione concordia, vt in huius rei argumentum nihil aliud voluerim producere, præter manifeſtam in aliquibus rebus eiuſdem Philoſophi à Religione diſcordiam.

Cogitabam mecum ipſe, ante quàm in arenam deſcendêrem; quid charius Deo; quid vtilius Reipublicæ iuxtà Inſtituti mei rationem aggrederer; cum hæc mihi agitanti occurrit imperium tuum: ad munus enim docendi, vnum ex noſtri Ordinis miniſterijs; vt animum confeſtim adiungerem grauiora meditantem, non alio fuit opus incitamento, præter obſequium & obſeruantiam; quam Deo maximam debeo; nec parem poſſum reddere, in hoc munere qualemcumque exhibendam. Hinc curis poſthabitis me totum impensè contuli ad meos Auditores domeſticos perinde, vt externos pro virium mearum tenuitate informandos rerum naturalium cognitione: quid enim Deo gratius facerem, quam doctrinam, quæ tota quanta eſt, ad Dei cognitionem conducit, à Deo acceptam Deo reſtituere, eamque cum alijs communicare? Quià verò nullam Philoſophiæ auguſtiorem formam animo vſurpaui illâ eâdem Philoſophia; quæ ſplendido ſeruitij genere Religioni ancillatur, operæ pretium duxi in meis hiſce lucubrationibus è re natâ paucis oſtendere, quanto inter ſe fœdere

re

re humana diuinis copulentur; quantus ſit Ariſtotelis cum Vaticano concentus; quantaque inter Philoſophiam & Fidem Catholicam animorum coniunctio; geminas videlicet ſorores; vnam minimam, alteram natu maximam, eodem tamen è fonte profectas, eiuſdemque parentis ora & vultum, quantùm poſſunt, referentes. Quid enim verò cum ratione magis conſentiat eâ doctrinâ, quæ totam naturam prætergreſſa, ipſam rationem vnicam Philoſophorum ducem & arbitram, dum eſt viſa aſpernari, mirificè illuminauit? hanc ſententiam, quæ veterum Patrum teſtificatione, Conciliorum authoritate, Pontificum Romanorum oraculis, & totius Orbis Chriſtiani conſenſu olim ſtabilita, manauit ad poſteros de ſummâ & admirabili Philoſophię cum Religione concordia, vt pro viribus tuerer, omnes eò curas & cogitationes intendi, vt arma, quibus Religionem quaſi cum Philoſophia pugnantem conati ſunt oppugnare Philoſophi deterrimi, eiſdem Philoſophiæ armis hebetarem. Hinc neceſſe habui plurima de induſtria euoluere, ex quibus apparet ille ſublimis rerum ordo, quem extrà naturæ conſpectum Deus poſuit, hoc etiam nomine, vt abditiſſima naturæ arcana ſua luce afflaret: qua in re diuturnus fuit labor exſudatus, & quantùm arbitror, minimè pæni-

nitendus, cedit enim in maximum Philoſophiæ fructum eadem Philoſophia, quæ Fidei ac Religioni famulatur.

Quæ igitur in hanc rem Auditoribus meis inſinuaui, vt typis ſubiecta poſteris traderem impulit me nihil de luce publicà cogitàntem amicorum conſilium, quorum authoritatem doctrina & virtute ſpectabilem tanti duco, vt mihi religioni fuerit eorũ iudicium meo ſenſui,& publicum beneficium commodis priuatis poſthabere: Te quoq; libentiſſime annuente & probante; nec probante tantùm, verùm, quod caput eſt, plurima præſidia, eaque adiumenta confeſtim mihi conferente, quæ erant per neceſſaria, vt opus communi beneficio hoc anno meditatum & ſuſceptum ad exitum aliquando perducerem. Hinc plurima nomina mihi naſcuntur, ob quæ Curſum philoſophicum Tuum magis, quàm meumTibi debeo nuncupare: qua in re vt nimius non ſim, Tuæq; modeſtiæ ingratus & acerbus, cæteris conſultò prætermiſſis, vnum non præteribo, quòd nimirum in huius Operis molitione meliorem ætatis meæ partem impendi, cuius rationem ſeueriſſimam reddam Iudici Diuino eo temporis momento, quod erit vitæ mortalis ſupremum, idemque decretorium æternitatis: tempus igitur à me in Societate conſumptum cui nam debet conſtare veriùs,

quàm

quàm Tibi, quem ad maximum noſtri O. di-
nis regimen euectum, ſingulis eiuſdem homi-
nibus in locum ſuum Deus ſuffecit? Addo,
quòd ſi quid aduerſus noſtras leges à me fuit
in Philoſophia peccatum, in poſterum cauen-
dum in Curſu Theologico, ad quem in hoc
Collegio ex tuo præcepto Deo volente con-
ficiendum in pręſenti me comparo, non alium
debet Iudicem & vindicem experiri præter
Te, ad quem ſpectat in meos errores paterna
charitate animaduertere.

Vtinam ille idem, qui ſuo Imperio ad
Philoſophiam ſcribendam me induxit, eam-
que auſpicatiſſimo exornat Nomine, dum
luce publica donatur; ſuis me præceptis
atque inſtitutionibus ad hæc ſtudia informaſ-
ſet. O me feliciſſimum, ſi coactus à Ioanne
Paulo Oliua vitam Deo dicatam inter Phi-
loſophos ac Theologos agere, in eundem
Ioannem Paulum Oliuam incidiſſem Scho-
laſticas diſciplinas mira ingenij celeritate &
mentis feliciſſimæ acumine Auditoribus ſuis
exponentem, primaſque in Theologico pul-
uere occupantem. Occupaſſes profectò, ſi am-
plitudinem ingenij adhibere voluiſſes ad hu-
manæ diuinęque Sapientię pręſidium & orna-
mentum, ſi animi Tui incredibilis moderatio,
& diuini verbi diſſeminandi ſitis penè dixe-
rim infinita illam ſpem non eluſiſſet, quam

concepit hæc Academia, dum à Te audiuit Philoſophicas ac Theologicas Aſſertiones, quas à Tuis prçceptoribus acceperas, mira felicitate propugnatas. Sed non fuimus digni, quos Tu doceres, non enim tanti erat fortuna noſtra, vt eam infortunio communi mercari mereremur. An illi oculi, quos toti debebas mundo, in vna erant facultate defigendi? hoc itaque vulnus, quod nondum eſt obductum, eſt enim inſanabile, moderatè tulimus; ex quo compertum fuit noſtrarum pretio calamitatum communem ſtetiſſe felicitatem: priuatum enim dolorem vel expungit vel mitigat commodum publicum, quod Tuæ Conciones Deum ſpirantes Orbi Chriſtiano attulere. Te non audiuimus, quod ſummoperè cupiebamus, effata Philoſophiæ cum veritatibus, quas Dei Verbum terris inuexit, in huiuſmodi Lyceo acutè componentem, & præcipua Religionis Myſteria à captioſis aduerſariorum argumentis & calumnijs vindicantem: at Te celeberrimæ totius Italiæ Vrbes audiuere inter ſummos noſtræ ætatis Oratores indubitanter, vt caſtigatè loquar, connumerandum robuſta & virili facundia de maximis, & grauiſſimis rebus diſſerentem: Te deinceps ſuſpexit ex eminentiore ſuggeſtu Diuina Diuinè tractantem auguſtiſſimum totius orbis theatrum, quod Dei amo-

re

re incenſum in Tui admirationem traxiſti, cum Tuas Conciones attẽtis auribus quatuor exciperent ſummi Pontifices, Innocentius X. Alexander VII., geminique Clementes, qui poſtremi noluerunt Apoſtolicas ædes eo verbi Diuini pabulo fraudare, quo eras ſolitus Aulam Romanam paſcere, ante quam ad ſupremam noſtri Ordinis adminiſtrationem magnis meritorum gradibus aſcendere cogereris.

Quod autem hic loco miraculi habendum reor, opus Tibi fuit omnibus repugnare, vt ad hoſtem communem oppugnandum expugnandumque è ſacris Roſtris tonantis eloquẽtiæ fulmina intorqueres. Recuſabant, vt à viris ſpectatæ fidei accepi, Primores noſtri Ordinis ob amorem in Societatem maximum, Tuique parem exiſtimationem, Apoſtolicum munus Tibi committere: an quòd vererentur, nè in ſummum Oratorem euaderes? immò quia ſperabant: quid ſperabant, inquam? probè nouerant, Te in arte dicendi nemini ſecundum extiturum. At hoc erat timendum? rem dicam veram quidem, ſed quæ magnitudine ſui fidem apud poſteros *vix erit* habitura: in Te profectò timendum *vnicè fuit*, quod in alijs hoc munus aggre-*dientibus* cupere, nedum ſperare cenſetur ſumma *votorum*. Te talem ac tantum omnes expe-

experiebantur, vt non poſſent eam laudem & gloriam, quam toti Ordini Tibique dicendo ſummam comparaſti, velle ſine manifeſta eiuſdem Ordinis tuique iniuria; verebantur enim, ne largiendo Baſilicis, & Vaticano Oratorem maximum, adducerent in diſcrimen caput ſummum, quod in generalibus Comitijs corpori totius Societatis aliquando imponeretur, in ea enim erant ſententia, quòd in Te quoque ſeruandus eſſet mos in tuis Deceſſoribus religiosè obſeruatus, qui nimirum ad ſupremam præfecturam per minores, quaſi per quoſdam gradus, peruenere. Tu è contrario hanc rem ſubodoratus mente, qua polles, ſagaciſſimà, eàque vteris ad magnanimam tui demiſſiónem quocunque imperio longè ſpectabiliorem, omnem mouiſti lapidem, vt Suggeſtum aſcenderes. Aſcendiſti nobis inuitis; & viribus corporis tametſi attritis, tantoque oneri obluctantibus, frequentiſſimum Populum ſingulis ſolennioris ieiunij ferijs diuini verbi conuiuio excepiſti adeò ſplendido, vt tui deſiderium in omnibus Italiæ & Europæ partibus accenderes. Tibi feliciſſimè ceſſit quod habueras in votis; Roma enim ſtatim ac Te audiuit attonita, impedimento fuit, nè Tui moderatores ad Collegiorum, & Prouinciarum præfecturas Te admouerent, omnibus tuum regimen ardentiſ-

ſime

ſimè expetentibus. Tibi igitur vitam priuatam in Tuo conclaui tecum agenti, quantum ego arbitror, plaudebas, non quòd fama fruerere; ſed quòd omnem cerneres aditum ad Magiſtratus intercluſum, nobis è contrario dolentibus ac mæſtis, non quòd gratiſſima non foret omnibus Tuæ virtutis admiratio vbique gentium excitata, ſed quia hæc admiratio noſtram videbatur felicitatem retardare. In hoc tamen ſpecioſo de dignatione certamine, quod tecum habuimus, pares fuerunt victoribus victi: Te ſimul & nobis fruſtrà, immò & contrà ſua vota laborantibus: Dei enim prouidentia, quæ ludit in Orbe terrarum mirabilem ludum, illud obtinuit, vt Tua victoria in noſtrum verteretur triumphum, Tu enim vincendo maturaſti ipſâ victoria infortunium Tuum; felicitatem noſtram: tanta quippe virtus in illum ſcopulum merebatur offendere, quem omnibus viribus euadere contendebat: Nobis fuit cumulatiſſimè cõceſſum, quod vt aliquando daretur, Tibi ſubirati cogebamur tuas adeò plauſibiles Orationes, vt ita dicam, execrari. Hoc igitur nomine placet nobis iactura, quam Tui fecimus in Lyceo; dum te ſacris Roſtris, licet inuiti, dedimus, quandoquidem ingenti eadem fœnore te nobis reddidere vnum ex ſummis, non dicam Oratoribus, verum etiam

Mo-

Moderatoribus, tali enim ac tanta felicitate noſtrum Ordinem adminiſtras, vt nemo poſſit in dubium vertere, an omnibus liqueat Te fuiſſe diuinitùs conſtitutum. Debeo igitur in hac ſuprema Epiſtolæ nuncupatoriæ parte Deum enixis precibus obſecrare, vt vitam tuam producat nobis ſummoperè profuturam, eiuſque maxima in Chriſtianam Rempub. promerita eà felicitate aliquando coronet, qua in præſenti fruuntur in Cœlo integerrimi tui Deceſſores. Vale.

IN-

INDEX

Proluſionum; Capitum, Diſputationum; & omnium Quæſtionum,

Quæ in primo Curſus Philoſophici Tomo continentur:

PROLVSIO PRIMA.

IN qua oſtenditur à Philoſophis veritatis inuentoribus Poeticæ paratum interitum ſplendidum, atque optabilem. Pagina. 1

PROLVSIO SECVNDA.

IN qua oſtenditur ſumma concordia Philoſophiæ Peripateticæ cum Religione ex ipſa diſcordia. 18
Logicæ Summulæ. 33

PARS PRIMA:

DE prima intellectus operatione, & ad ipſam ſpectantibus. 34
Cap. I. Quid ſit Terminus. 35
Cap. II. Quotuplex ſit terminus. 38
Cap. III. De Diuiſione Termini ſignificatiui. 41
Cap. IV. De diuiſione Termini ſingularis. 45
Cap. V. De diuiſione termini communis. 47
Cap. VI. Afferuntur aliæ diuiſiones terminorum. 50
Cap. VII. De terminis pertinentibus & impertinentibus. 54
Cap. VIII. De ſuppoſitione terminorum. 58
Cap. IX. De alijs terminorum proprietatibus. 63
Cap. X. De definitione. 67
C. X. & VIt. De diuiſione. 69

PARS SECVNDA.

DE ſecunda intellectus operatione. 73
Cap. I. De Nomine, Verbo, & Oratione. 73
Cap. II. Quid ſit Propoſitio, & quotuplex ſit. 76
Cap. III. De materia, forma, quantitate, & qualitate Propoſitionis. 78
Cap. IV. De Oppoſitione Propoſitionum. 88

Cap. V.

Cap. V. *De Proprietatibus oppoſitionis contradictoriæ, contrariæ, ſubcontrariæ, & ſubalternæ.* 93
Cap. VI. *De Aequipollentia, & Conuerſione Propoſitionum.* 98
Cap. VII. *De propoſitionibus modalibus.* 102
C. VIII. & Vlt. *De Propoſitionibus exponibilibus.* 106

PARS TERTIA.

De tertia operatione intellectus. 111
Cap. I. *Quid ſit Argumentatio.* 113
Cap. II. *Quotuplex ſit argumentatio.* 117
Cap. III. *De regulis Generalibus bonæ conſequentiæ.* 118
Cap. IV. *De principijs præcipuis ſyllogiſmi.* 123
Cap. V. *De principijs intrinſecis ſyllogiſmi.* 126
Cap. VI. *Quotuplex ſit figura, & modus ſyllogizandi.* 129
Cap. VII. *De Regulis Generalibus in quacumque figura.* 133
Cap. VIII. *De Regulis particularibus cuiuſcumque figuræ.* 135
Cap. IX. *De modo reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad perfectos.* 137
Cap. Vlt. *De ſyllogiſmo ſophiſtico, ſiue fallacijs.* 143

DISPVTATIO I.

De natura, & Obiecto Logicæ. 151
Quæſtio I. *Vtrum Logica quatenus eſt ſcientia ſpeculatiua habeat pro obiecto res omnes ſecundum eſſe intentionale, ſiuè ens rationis Logicum.* 152
Q. II. *Vtrum Logica quatenus practica habeat pro obiecto attributionis voces.* 168
Q. III. *Vtrum Logica practica habeat pro obiecto intellectum rectè operantem.* 170
Q. IV. *Vtrum Logica practica habeat pro obiecto attributionis operationem rectam.* 176
Q. V. *Vtrum Logica practica habeat pro obiecto ens rectè cognitum.* 179
Q. Vlt. *Vtrum ens cognitum per quamcumque operationem intellectus ſit obiectum Logicæ.* 189

DISPVTATIO II.

De natura Logicæ eiuſque neceſſitate. 196
Quæſtio I. *Quid ſit cognitio practica, & an poſſit eſſe de obiecto impoſſibili.* 196
Q. II. *Vtrum omnes cognitiones Logicæ ſint ſpeculatiuæ vel practicæ.* 213

Q. III.

Q. III. *Vtrum Logica ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica.* 223
Q. IV. *Vtrum Logica ſpeculatiua ſit virtus & ſcientia ſecundùm omnem partem.* 237
Q. V. *Vtrum Logica quatenùs practica ſit ſcientia ſecundum omnem partem. & virtus.* 245
Q. VI. *De diuiſione Logicæ.* 259
Q. VIt. *Vtrum Logica ſit neceſſaria ad cæteras ſcientias.* 265

DISPVTATIO III.

De identitate, & diſtinctione. 270
Quæſtio I. *Quid ſit identitas, & diſtinctio.* 271
Q. II. *Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio formalis ex natura rei, ſiue diſtinctio Scotica.* 282
Q. III. *Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio virtualis intrinſeca.* 303
Q. IV. *Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio rationis præſcindentis obiectiuè.* 323
Q. VIt. *Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio rationis præſcindentis formaliter.* 340

DISPVTATIO IV.

De vniuerſalibus in communi. 358
Quæſtio I. *Quid ſit & quotuplex ſit vniuerſale.* 359
Q. II. *Vtrum vniuerſale ſit obiectum ſcientiæ.* 370
Q. III. *Vtrum ſit perfectius cognoſcere prædicata magis vniuerſalia quàm minus vniuerſalia.* 386
Q. IV. *Vtrum vniuerſale conſiſtat tantum in vocibus, vel conceptibus.* 396
Q. V. *Vtrum natura vniuerſalis ſit phyſicè vna & phyſicè ſeparata à ſingularibus.* 399
Q. VI. *Vtrum natura vniuerſalis ſit intrinſecè vna in ſtatu actuali, vel poſſibili.* 409
Q. VII. *Vtrum natura vniuerſalis ſit vna vnitate ſimilitudinis.* 421
Q. VIt. *Vtrum natura vniuerſalis ſit vna extrinſecè, & Logicè vnitate præciſionis.* 424

DISPVTATIO V.

De cauſis quæ conſtituunt vniuerſale. 438
Quæſtio I. *Vtrum vniuerſale retineat vniuerſalitatem in actuali prædicatione.* 439
Q. II. *Vtrum ſenſus poſſit facere vniuerſale.* 465
Q. III. *Vtrum ſolus intellectus humanus ſit cauſa vniuerſalis.* 475

DIS-

DISPVTATIO VI.

DE *prædicabilibus .* 492
Quæſtio I. *Vtrum prædicabile ſit genus ad omnia prædicabilia .* 491
Q. II. *Vtrum vniuerſale diuidatur in quinque prædicabilia .* 498
Q. III. *De genere, ſpecie, & differentia .* 500
Q. IV. *Quid ſit indiuiduum , & vtrum poſſit abſtrahi vna ratio indiuidui communis omnibus .* 509
Q. Vlt. *De proprio & accidente .* 517

DISPVTATIO VII.

DE *differentia ſpecifica, & numerica .* 527
Quæſtio I. *An differre ſpecie ſit differre in prædicatio nobiliſſimo .* 527
Q. II. *Vtrum differre ſpecie ſit differre notabiliter iudicio prudentum .* 530
Q. III. *Vtrum differentia ſpecifica ſit diſſimilitudo entitatiua .* 533
Q. IV. *Vtrum differentia ſpecifica ſit formalis , & numerica materialis .* 540
Q. V. *Vtrum omnes ſpecies habeant inæqualem perfectionem .* 556
Q. Vlt. *Vtrum detur ſpecies immultiplicabilis .* 566

DISPVTATIO VIII.

DE *antepradicamentis .* 580
Quæſtio I. *Quid ſit & quotuplex ſit nomen analogum .* 581
Q. II. *Vtrum conceptus formalis vel obiectiuus nominis analogi ſit conceptus ſimpliciter vnus & perfectè præciſus ab omnibus analogis .* 592
Q. III. *Quæ ſint, & quot ſint regulæ prædicamentales.* 608

DISPVTATIO IX.

DE *diuiſione entis in decem prædicamenta .* 617
Quæſtio I. *Quid ſit , & quotuplex ſit prædicamentum .* 618
Q. II. *Vtrum diuiſio entis in decem prædicamenta ſit immediata , & adæquata .* 629
Q. III *Quid ſit, & quotuplex ſit ſubſtantia , quæ ſpectat ad primum prædicamentum .* 636
Q. IV. *Vtrum ſubſtantia prædicamentalis ſit vniuocè prædicabilis de omni ſubſtantia .* 646
Q. V. *Quid & quotuplex ſit accidens prædicamentale &*

an

an ſit realiter diſtinctum à ſubſtantia. 649
Q. VI. *Vtrum ratio abſtractiſſima accidentis prædicamentalis ſit vniuoca, vel analoga omnibus accidentibus.* 660
Q. VII. *Vtrum Deus pertineat ad aliquod ex decem prædicamentis.* 668

DISPVTATIO X.

De poſt prædicamentis. 674
Quæſtio I. *Quid ſit & quotuplex ſit oppoſitio prædicamentalis.* 675
Q. II. *Vtrum oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima.* 685

DISPVTATIO XI.

In libros Peribermenias. 683
Quæſtio I. *An voces ſint ſigna naturalia conceptuum, & rerum.* 688
Q. II. *Vtrum veritas ſit adæquate intrinſeca actui vero.* pag. 706
Q. III. *An eadem propoſitio poſſit de vera tranſire in falſam.* 722
Q. VI. *Vtrum eadem Propoſitio poſſit eſſe vera ſimul & falſa.* 735

DISPVTATIO XII.

De futuris contingentibus. 743
Quæſtio I. *Quid ſit, & quotuplex ſit futurum?* 744
Q. II. *Vtrum propoſitio de futuro contingenti abſoluto ſit determinate vera, vel determinate falſa.* 754
Q. III. *Vtrum Propoſitio de futuro contingenti conditionatio ſit determinate vera, vel falſa.* 775
Q. VI. *Vtrum veritas, & ſcientia futurorum contingentium repugnet libertati.* 786

DISPVTATIO VLTIMA.

In libros Priorum, & Poſteriorum. 803
Q. I. *De Syllogiſmo in genere.* 804
Q. II. *Vtrum principium regulatiuum cuiuſcumque ſyllogiſmi ſit dici de omni, & dici de nullo.* 811
Q. III. *De ſyllogiſmo demonſtratiuo.* 821
Q. IV. *Vtrum detur ſcientia, & de nouo acquiratur.* 833
Q. V. *Vtrum circa idem obiectum poſſit eſſe ſimul actus ſcientiæ, & opinionis.* 835
Q. VI. *De diuiſione, & obiecto ſcientiarum.* 866

10.

POETICAE PHILOSOPHORVM PARENTI

A Philoſophis veritatis inuentoribus paratus interitus optabilis atque ſplendidus.

ARGVMENTVM PROLVSIONIS

Habitæ in ſtudiorum inſtauratione ab eiuſdem operis auctore cum Philoſophiam primâ vice profiteri aggrederetur.

SVbit animum voluptatis recordatio è canoris Muſarum nugis, atque Poetarum ſplendidis mendacijs delibatæ, dum inter Rhetores annis ſuperioribus luderem: nec temerè accidit, vt Diuino afflata ſpiritu Poeſis noſtros amores raperet, ex quo ſeueriora Philoſophiæ ſtudia taciti agitantes à Pindo ad Liceum gradum parabamus; illam enim quòd per viam fabulis inſtratam ad veritatem enititur, *quid ni* appellem ſpecioſum ſapientiæ iocantis rudimentum, Philoſophum hoc eſt mor-

talem quémdam inter homines heroem face-
re condiſcentis? An quia Philoſophia mentem
illuminat, Poeſis eam oblectat facultatem,
quæ fabricatur corporum Simulacra? An po-
tius quòd illa venatur verum, hæc hæret in
cortice veritatis? Vtcumque res ſe habeat,
in vnius Ariſtotelis ſententiam inclinat ani-
mus, qui eo potiſſimum nomine inter cæte-
ras eloquentiæ artes Poeſim docuit Philoſo-
phiæ vtiliſſimam, quòd altera fabuloſis in-
uentis mortalium animos rapit in admiratio-
nem magiſtram ſapientiæ, hoc eſt nobiliſſimæ
prolis parentem obſcuram, & ignobilem; altera
veritatis inuentæ aſpectu admirationem delet
fabuloſis commentis excitatam. Felicem enim
verò Poeſim (ità nobis inclamare liceat primum
Philoſophiæ terentibus limen) quæ mira iactan-
do partum procreaſti ſplendida tibi fata inferen-
tem: Et ò nimium beatam; ſi mucrone veritatis,
quem ſapientia ſtringit in cladem erroris, tua
penitus ad vitalia deſcendente merearis extin-
gui. Ingratam ne igitur Philoſophiam dicam
aduerſus Poeſim, cuius è fontibus illa manauit,
ſi ſuæ matris in viſcera ferrum conuertit? Immò
laudanda, quia perimit; damnanda ſi parceret;
eà conditione in lucem edita, vt per innocen-
tis parricidij piam impietatem graſſaretur ad
faſces literarum, & Mundi Principatum. Quid
verò Poeticæ iucundius, aut gratius accidere
poteſt, quám vmbras fabularum diſcuti luce
obortà veritatis, & imaginem contemptui ha-

beri

beri propoſito ſubiectoque oculis exemplari? Nihil profectò fas eſt Auroræ canoris ludentium auicularum vocibus exceptæ glorioſius ominari eo tempore, quo antelucano Cœli nectare irrorata terra matutinos ſe in flores induit, quàm ſpectatiſſimo fato in ſolis naſcentis aſpectu feliciter occumbere; non abſimili fato inter Philoſophiæ amplexus vobis iuuat Poeſim cadentem repræſentare, Muſarum fabulis, quæ Philoſophiam lactarunt, à Philoſophia diſſipatis. Quæ ne ad ſpeciem potius veri, quàm ad veritatem dicta cenſeantur, id in præſenti contendam; vt in præſtantiſſimam Poeticæ de nobis optimè meritæ facultatem Philoſophico ſtrenuè iacentem in puluere opportunè cadat illud lepidum carmen, quo in Apiculam electro incluſam luſiſſe olim fertur arguta Martialis Muſa: *credibile eſt illam ſic voluiſſe mori*.

Oculatiſſimus naturæ interpres & eiuſdem Sapientiæ propugnator acerrimus Ariſtoteles mendacium obiectauit illis Philoſophis ne dicam, an Philoſophiæ corruptoribus? qui Diuinam auſi ſunt criminari Prouidentiam, quòd in hominem auara, in cæteras belluas, vel cicures, vel feras ac Syluestres fuerit indulgentior. Quàm prouidam illam, & liberalem experimur in parando pecudum paſtu? Quàm ſedulam, & perſpicacem in formándis membrorum integumentis ad temporum iniurias repellendas? Non vacat ſingula perſequi, partim ſubmerſarum, partim fluitantiũ, & innantium belluarũ, partim

ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium. Quid plura? Animantium alias videmus corijs tectas (vt eleganter Tullius in ſecundo de natura Deorum) alias villis veſtitas, alias ſpinis, ac ſentibus hirſutas; pluma alias, alias obducit ſquama, aliæ cornibus, & roſtro armantur, aliæ habent effugia pennarum. Vnum hominem inermem, atque nudum ex vtero matris natura profundit, quem veluti è carcere ad ſupplicium trahit; vitam coactum agere omni morte nocentiorem, vt in eius caput licentius ſæuiat vel temporum iniquitas, vel inſtabilis fortunæ rota noſtram ludentis in ceruicem.

Hæc & alia crimina obiecta naturæ purgantem in Peripato his vocibus Philoſophũ audire videor. Adeone parentis optimæ laudes deteruntur, quæ hominẽ ante omnia diligens, & in oculis quodammodo ferens humani fabricam corporis operosè fuit machinata? Nudum, & omnium rerum difficultate laborantem genuit? At eã ſanciuit legem, vt omnibus Elementis ad eius inopiam ſubleuandam conſpirantibus, Cœlum, terra, plantæ, pecudes, cœteraque animantia hominibus non induendis tantum; verum etiam exornandis adlaborarent ad oculorum delicias, imò & ſatietatem. Quid enim oues aliud afferunt, niſi vt earum villis confectis, atque contextis homines veſtiantur? Quid bombices quid murices, niſi vt ſerica vellera, & Regias purpuras fabricentur ſui colore ſanguinis medicatas? Natiuis armis hominem natura frauda-

dauit? Non repugno: at qui fieri vnquam potuit vt imbellis & inermis homo pugnaciſſimas atque inuictas belluas exarmauerit? Glorietur, ſi poteſt, vel Arctois niuibus intractabilis Caucaſus, vel innumeris fœcunda monſtris Africa vidiſſe adeò immanem, & efferatã belluam, quam humanæ vires non perdomuerint? An tantùm fidere valuerunt productis cornibus tauri, vt obluctantes ceruices iugo ſupponere; vireſque humerorum adhibere non cogerentur ad aratra extrahenda; quibus alto incandentis puluere Canopi æquora ſulcarentur? Nequicquam exertis armauere vnguibus fuluâ ſuperbos iubâ Leones inhoſpita Lybiæ nemora, fruſtrà ſpecus abditiſſimæ, antraque ſolis inaceſſa radijs aluere Tygres manſueſcere indociles, quandoquidem manum omnium inſtrumentorum inſtrumentum natura nobis ſuggerit, quâ immanes atque bellicoſas feras venando nanciſcimur, eaſque vel iniectis vinculis, vel inſertis collo catenis circumductas ſpecie triumphalis pompæ per vrbes inſpectantium multitudine oppletas noſtræ non dicam neceſſitati, ſed etiam oblectationi cogimus inſeruire. Quòd ſi non aliá poterat viá eniti homo ad occupandum imperium terrarum, & principatum exercendum in cœteras belluas iam diù ſibi debitum, præſtat ſemel atque iterum dicere; tanti fuit inermem ac indigentem naſci: vel ipſis *calamitatibus* eius fortunam atque felicitatem *fabricantibus*. Quis igitur ſuſpicari poterit, an

vertenda ſit naturæ vitio naſcentis hominis pretioſa indigentia, quæ tot tantáſque peperit opes plurimarum artium ſtudio comparatas? Auara, credo, & iniqua fuit in hominem natura, quem vt faceret induſtrium, fecit indigentem, cui certum negauit integumenti genus, vt daret omnia, quem tamdem vt faceret bellandi ſcientiſſimum, omnibus armis conſultò exarmauit. Fidem hiſce vocibus adſtruunt ad omnia è temporis veſtigio armorum genera paranda expeditæ manus; quas multarum artium miniſtras promptè ac faciliter adhibemus, adeò vt in rerum naturá, quaſi alteram naturam conemur efficere.

Hactenus ſapientiſſimus Philoſophus, qui causà olim in Græcia peroratà nobis in præſenti poteſtatem facit ita in rem noſtram ratiocinandi. Poterit ne quiſpiam dubitare, an natura, cui tanta fuit machinandi corporis cura; in condendà fabricandàque mente vel defecerit inuita, vel volens peccauerit? Aut ità qui ſentiet, non apertiſſimè inſaniet? Hominem igitur ratione præditum animal de induſtriâ ſtupore, & admiratione incendit, vt admiratione non minus quám indigentiá ſtimulante congeſtas in naturæ viſceribus veritatis opes popularetur; & intelligentem animum, quem nudam veluti tabulam, nulliſque formatam coloribus condiderat, omnium rerum cognitione, diuinà nimirum ſupellectili exornaret; Hinc omnibus ingeneráta ſcientiæ cupiditas, in quà excel-

lere

lere pulchrum putamus, labi autem, errare, neſcire, decipi & malum, & turpe ducimus; hinc rerum aſpectabilium humanis iniecta pectoribus admiratio; hinc ſenſuum exiſtit amor, quorum celeritate ſimul & ſagacitate vtimur ad venandam veritatem; hinc natura hominem molita prouidentiâ tam diligenti, tamque ſolerti, vt eſſet ex terrâ non tamquam incola, & habitator, ſed quaſi ſpectator ſuperarum rerum atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Accedit, quòd homines ad natiuam veritatis indigentiam propulſandam habent ſenſus acerrimos, atque exercitatos, qui ſunt fideliſſimi rerum interpretes, atque nuntij, iſdem multo antecellunt ſenſibus beſtiarum, fabricati nimirum à naturæ ingenio, non tàm ad vitam corporis alendam, propagandamque, quàm ad animum veritate informandum. Quid enim tactus toto corpore æquabiliter fuſus? Cuius nimirum hebetudo tanta eſt; vt Ariſtotele teſte indicet ſtuporē mentis, & ingenij tarditatē. Quid narium & guſtandi magna iudicia commemorem? ad quos ſenſus capiendos, & pèrfruendos plures etiam, quàm æquum eſſet, artes repertæ ſunt. Teſtes compoſitiones vnguentorum, ciborum conditiones, & cætera corporum lenocinia, quæ non ſine magno ſenſu doloris eò videmus proceſſiſſe, vt immanes opes exigui ventris inſatiabilis ingluuies deuorauerit, & ampliſſima familiarum patrimonia ingenioſa vnius hæredis gula decoxerit.

 rit.

rit. Rogo enim: cur pronas in terram pecudes, eaſque ventri obedientes ſatiat cibus, quem occupant, & paſtum ſibi parant quo naturæ impleant deſideria, non ſeruiant voluptati? E contrariò homines paruo, & parabili victu non contenti exquiſitiſsimis ament dapibus ſaginari, & potiſsimùm illis, quibus pretium accedit à raritate? An quià felicitatis ſummopere appetentes, quam ſapienter Auguſtinus in amore veritatis collocauit, guſtatu, & tactu, quarum ſunt vehementes voluptates, abutuntur ad quęritandam nouam, & inuſitatam multiplicis veri apparentis experientiam? Ex quo factum arbitror, vt mortalium intemperantia ſciendi auida, ſapientiæ omnia intelligentis tenebroſà ſimilitudine præſcriptos imperio rationis limites tranſiliat, varietate ſaporum diſcernát prouincias, Phaſiacis Colchis petitas alites confundat populati Oceani pretioſo piſcatu, temporum viciſsitudines perturbèt, vt vernæ roſæ hibernis innatent poculis, & brumalis glacies æſtiuum Falernum frangat. Nihil eſt igitur, quod æquè mentis dignitatem oſtendat factæ ad interiorem veritatis medullam enucleandam, ac vitioſa & inordinata humanæ imbecillitatis appetentia illecebris ſenſuum abutentis ad falſa gaudia delibanda. Certè Auguſtinus illa eadem, quibus à Manichæis petebamur, iacula in aduerſariorum capita retorquens demonſtrauit humanam naturam fuiſſe ab optimo Deo conditam Diuinæ capacem felicitatis ex eo,

quod

quod homines deficientem quamdam & vmbratilem veri ſpeciem vitijs fallentibus conſectando Deum peruerſè imitarentur. Non ne inſana illa popularis auræ aucupandæ libido, quâ plerique mortalium ducuntur ad agendam ſua poſt fata vitam per hominum ora volitantem, & in ſaxis cinerum cuſtodibus vmbram diligunt periture immortalitatis, argumentum eſt animi ab omni temporis morſu intacti, & cogitatione perpetui æui curſum præcipientis? An non perfruendorum ſenſuum infinita cupiditas, & ſitis inexplebilis neſcio quam veritatis imaginem corporum repræſentatam coloribus experiendi, perſuadet noſtris latentem ſenſibus animum veritatis addiſcendæ ſtudioſum, cuius auaritiam impelleret ad hauriendum verum ipſa exhauriendi deſperatio? Quid longiùs perſequi iuuat reliquos ſenſus, quibus quantum cœteris præſtet animantibus homo, nemo eſt qui non intelligat? Cur enim oculi, qui plurimas corporum proprietates percipiunt in pictis, fictis, cœlatiſque formis multa cernunt ſubtiliter? colorum etiam, & figurarum venuſtatem, atque, vt ita dicam, ipſam etiam decentiam iudicant? Cur auribus ineſt admirabile quoddam, artificioſumque iudicium, quo iudicatur, & in vocis, & in tibiarum, neruorumque cantibus varietas ſonorum, interualla, diſtinctio, & vocis genera permulta? Ex his omnibus perſpicuè conſtat, bené ac ſapienter fuiſſe à *Deo inſtitutum*, vt corpore incluſus animus, cui

cui nullam rerum cognoſcendarum formam indidit naturá, ſtupore defixus hæreat, dum extimas corporum imagines intuetur, quibus fingendis induſtria ſenſuum adlaborat:ex quo fit,vt ignotæ veritatis intelligentiam ratiocinationis ope perſequatur; quemadmodum enim ad æraria montium populanda, & abditiſſimas Indiarum opes aureis è Peruuiæ viſceribus ferro laceratis egerendas Europæ accendit auaritiam auri argentique difficultas; & tot tantaſque artes partim ad vſum vitæ, partim ad oblectationem necèſſarias pretioſa peperit indigentiá; ita noſtris inſita mentibus admiratio, Troianus veluti equus, effudit armatam induſtriá, & improbo labore Palladem ad ignorantiæ regnum admotis ſápientiæ flammis hauriendum; hominem enim ſuaptè natura curioſum animal, ardentibus vrget ſtimulis ad beatas liberalium diſciplinarum fodinas ſpoliandas admiratio, hoc eſt inopia veritatis. Indè eſt voluptatem, vt Ariſtoteles in primo Rhetoricorum oſtendit,eſſe comitem admirationis, eo quòd veritatis, quæ, teſte Platone, ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitarét, cupiditatem accendit hominibus iucundiſſimam.Cur enim ijs artibus vehementer delectamur, è quibus vberiorem admirationis meſſem colligimus? Niſi quiá ipſa quodammodo ignorantia placét per ſcientiam mox extinguenda. Quapropter cum inter huiuſmodí artes principem ſibi locum vindicet Poeſis, vt nemo in dubium reuocabit, qui eiuſ-

dem

dem inſtitutiones Ariſtotelis calamo exaratas vel leuiter delibauerit; conſequens eſt; vt nata Philoſophia ex rerum admirabilium fabuloſâ inuentione, veritate, hoc eſt iis armis; quibus extinguitur admiratio, fabuloſa Muſarum monſtra mactauerit.

Pergo nunc, & vrgeo anguſtius; quidni ſapientiſsimus naturæ opifex Deus, qui omnia molitus vnico Verbo mundum ſingulas eleganter in partes tribuit, Poetam voluit agere nobilis, & ordinatæ Tragœdiæ carmen meditatum modulantem? Auguſtinum conſulite, qui duo præclariſsima Philoſophiæ lumina Platonem, eiuſque auditorem Ariſtotelem ſecutus ex harmonico numeroſi carminis concentu, cuius ordinem componit diſsidentium Elementorum amabilis pugna, in ſapientiæ latentis amorem exarſerat. Quid enim verò aliud ſunt adeò formoſæ corporum ſpecies, quæ in hâc mortalitatis ſcenâ ſui ſpectaculo noſtros implent oculos, niſi quædam exanguia fabularum cadauera, neſcio quo veri apparentis colore animata? Probè ſiquidem Diuinus nouerat Artifex ſenſibus admouendas fabularum vmbras; ne infirmis humanæ intelligentiæ oculis tenebras offunderet æternæ fulgor veritatis; hinc elegantiſsimum Diuinæ mentis carmen nobilium varietate fabularum illuminatum, quas vero efficit ſimillimas ſapientiſsimi conditoris *obſcura imitatio*; proportionis vmbræ quâdam *ſuauitate* coloris aſperſæ; vt ſui amore incenderet

ret animum æterna pulchritudo formoſam reddens corporum deformitatem.

Pulcherrimi Poematis, quod in ipſo mundi exordio modulari natura incæpit; non impar fuit euentus: intuendæ nimirum veritatis in ſpecioſo fabularum cortice latentis non minus, quam lucentis deſiderium excitatum: ad ſtabilem ſemperque manentem rerum inſtabilium rationem venandam inflammati mortalium animi; lenito aſpero difficultatum obiacentium cliuo facilior per corporum formas, quas oculis vſurpamus, inſtrata via ad ſublimiorem rerum ordinem aſſequendum. Naturæ itaque ingenium ars imitata debuit fabularum & carminum dulcedine verum ſtudioſè aſpergere; vt amor inueniendæ veritatis eruditos impelleret animos ad vniuerſa Philoſophiæ ſpatia tranſuolanda. Hinc eſt quod ille idem mitioris aeris, & ſpirabilis Cœli hauſtus, qui Diuinum, vt aiunt, furorem vatibus inſpirauit, conſequentibus deinde temporibus lactauit Philoſophos, qui Cœleſtibus arcanis rimandis nobiles curas intulerunt: ex quo factum eſſe crediderim, vt antequam ad moralium quæſtionum iuga complananda ſeptem Græciæ ſapientes animum aduerterent, Linus, Orphéus, Muſæus vates diuina modulantes Philoſophiæ proluſerint; mox feraciſſimis mentibus iniecto ſapientiæ robuſtioris deſiderio, viam ad naturæ aperiendos fontes parauerint vates celeberrimi, quos vna ſimul ætas effudit, Sappho, Alceus, Steſichorus, Simonides, Anacreon, & Pindarus.

Te-

Teſtis vniuerſa Græcia, quæ ingenti cum ſenſu voluptatis vidit plauſus, & admirationis famulatu ſtipatas Muſas in bicipitis Parnaſſi laureato vertice imperantes, eademque mox iucundiùs ſuſpexit carminum, & fabularum lepore comparatam admirationem victricibus Philoſophiæ armis deleri, ludicrà prius velitatione in Zenonis Porticu, deindè robuſtiùs in Academià Platonis, tamdem in Ariſtotelis Peripato acerrimè præliãtis: Teſtis hæc noſtra Italia, in quam, ad auguſtiora rerum initia fatis ducentibus, græca immigrauit literatura, Cœli liberioris clementiã vel in Latio, vel apud amœnos Hetruriæ colles quærentibus Muſis, quæ cum Philoſophis fœderatæ bellum ignorantiæ intulerunt eo temporum ſucceſſu continuatum, vt à primis illis temporibus deducta ſapientia, finitimis inundatis regionibus, ad noſtram vſque ætatem incorrupta permanauerit. Nimius eſſem, ſi vellem ſingulas Poetarum fabulas recenſere, quarum, elegantia Philoſophiam Peripateticam impulit ad inueniendam veritatem, hoc eſt ad fabularnm vmbras ſplendido & optabili fato abſumptas luce veritatis extinguendas.

Quid igitur mirum, ſi Philoſophia, quæ Græciæ ſpeciosè mentientis errores deleuit; triumphũ mox canens in Latio deſcenderit ad cauſam Religionis orandam in Concilijs; & Ariſtotelem protulerit ad hæreſum, & barbaræ ſuperſtitionis fabuloſa monſtra conterenda? Quem enim verò lapidem non mouerat veterum Arabum ſtulta-

ſa-

ſapientiâ; vt deſpicabilem redderet ſacrorum voluminum ſtultitiam planè ſapientiſſimam, in quæ aureas velut in fodinas congeſtam admiramur eam doctrinam, quam extrà naturæ conſpectum Deus eſſe voluit? Vbi iniquo & improſpero Marte pugnatum fuerat certamẽ, quod Religionem inter atque ſuperſtitionem commiſſum fuit; dum Tyrannorum potentiam exarmauit inuicta Martyrum patientia, non agendo præclara; ſed mira & incredibilia patiendo; longe diſparis formæ bellum immiſcuit hoſtis teterrimus; incruentum quidem, ſed non verendum minus; ad fidem oppugnandam impia ſuperſtitio Ariſtotelis doctrinam iuſſâ induere, hoc eſt arma non ſua; his erroribus promiſcuè diſſeminatis; Philoſophiam cum fide pugnare; nec fieri vnquam poſſe, vt vnius effâta cum alterius ſententijs cohæreant; verum id tamdem eſſe, cui omnia conſonant; adeoque illam religionem improbandam, cui repugnaret veritas hauſta è fontibus rationis.

Secundum hoc certamen haud minus proſperè, ac feliciter ceſſit, etenim noſtra repetentes arma iniuriâ vſurpata hoſtem in acie confecimus, ipsâ philoſophiâ vocatâ ad arcem Religionis propugnandam; hinc Arabum ſuperbia fracta, oſtenſo, quàm apto inuicem nexu copulentur profana, & ſacra literatura, altera hærendo ad radices veritatis, altera naturam prætergreſſa, Diuina ſpeculando. Hanc operam egregiè nauauit Doctor Angelicus, qui mente donatus

tus planè Diuinâ effata naturæ, per Ariſtotelem euulgata ita Cœleſtibus inſeruit Oraculis, vt Scholaſtica Theologia in lucem edita perfidos transfugas, iuratoſque fidei hoſtes debellauerit. His olim victorijs atque triumphis alebatur Piloſophia, cuius ante currum captiuæ ducebantur Parnaſſi fabulæ, admiratio extincta, deleta ſuperſtitio; in illam vnicè curam incumbebat, vt mortalium animi euaderent optimè morati; iidemque formarentur ad ſpirans quoddam & animatum Diuinitatis ſimulacrum; hinc re familiari ſapienter adminiſtratâ, quâ condendis legibus, quâ moderandis vrbibus, quâ regendis prouincijs admouebatur, adeò vt comprobata fuerit vox illa Platonis, tùm demum beatas fore Reſpublicas, ſi aut Philoſophi regerent, aut Reges philoſopharentur.

Non poſſum in hâc ſupremâ Orationis parte præterire nihil eſſe Philoſophiæ regnanti magis pertimeſcendum, quàm pacem bello nocentiorem. Quid enim ſi blanda Poetarum vitia irrumperent in victricis Philoſophiæ campos, & victam triumphatamque Poeſim vlciſcerentur? An non id contingeret, ſi pace indecorâ vtentes Philoſophi Poetam potius agerent fabularum inuentorem, quàm magiſtrum Sapientiæ ſtudioſum. Certè ſi ab illis tumulis, vbi tot annos ſepulti dormiunt Scipionum, Fabiorum, & Cæſarum auguſti cineres; quorum armis totus exarſit orbis terrarum, ſi è tumulis inquâ ſuâ

exci-

excitarent capita; & oculorum acie Romanam hanc Vrbem, olim terrarum Dominam, circumductâ, viderent quà ſepultos in florentiſſimi Imperij ruinis arcus, quà iacentes Pyramides, arces exciſas, diruta mœnia, quà ſqualidum inculti Capitolij cliuum, quà theatra non dicam ætatis morſu attrita, verum barbaro ferro lacerata, quo Gothus, Vandalus, & Romanorum vitijs armatus hoſtis regnatrici vrbi inſultauerat; tanti cauſam excidij quærentibus occurrerent luxus, voluptates, cœteraque vitia, quæ à victis olim nationibus victricem in gentē fœdè immigrarunt. Ego profectò trepidis eorum auribus non deſinerem ſatyrici vatis voces inculcare, quibus Romam ſe ſuis mactantem viribus irriſerat. *Sæuior armis luxuria incubuit victumque vlciſcitur orbem*: inuicta enim verò Romanorum arma fregit exterarum regionum barbarus luxus, qui Pœnorum inultos Manes domeſticis armis conflagrantium Quiritum ſanguine ſaturauit. Non abſimile te fatum maneret ò Philoſophia, ſi deletis Poetarum fabulis, extinctâque admiratione filiâ ignorantiæ, ſi debellatâ ſuperſtitione, robuſtiſſima deponeres argumentorum arma, quibus in confertiſſima hoſtium agmina impetum feceras, & ornata phaleris in arenam deſcenderes ad certamen ludicrum magis quàm verum ineundum. In huiuſmodi ſcopulos ne offendat, omnes eò curas cogitationeſque Philoſophis intendendas iudico, ne tritam ab antiquioribus Philoſophis viam relinquentes decepti ſpecie

noui-

nouitatis Chimęram venentur imagine veri perſonatam; Auditorum ſpe intercisá, quibus gratiſſimum exiſtit in hoc ſubluſtri crepuſculo dubiâ etiam veritatis luce aſpergi, donec illuceſcente die liceat è fonte non defecturo eam haurire veritatem; quâ non visá omnia mira, quâ visá mirum nihil.

PHILOSOPHIAE PERIPATETICAE

Ab Ariſtotele traditæ cùm Religione Concordia ex ipsâ Diſcordiâ Demonſtratur.

ARGVMENTVM.

Alterius Proluſionis ab eodem Auctore habita cùm Philoſophia iterum profitenda Publicè preluderet.

ANimi ægritudinem, quá Philoſophiam ſemel emenſam iterum metiri aggredior, nec poſſum nec debeo vobis in ipſo dicendi limine diſſimulare, tum quod ciborum eadem condimenta palato nouitatis appetente faſtidimus, tum quia otium annuum, quod ad priuata ſtudia totum contuli voluptate incredibili, curas publicas reddidit interpellando grauiores. Duo tamen ſunt quæ dolorem conceptum, vel expungunt; vel mitigant; alterum Diuinitatis oraculum; quo natum hominem ad laborem, perinde vt auem ad volandum monitus communem vtilitatem habeo commodis priuatis

tis

cis potiorem;alterum quo vehementer delector, eſt liquidæ, & ſinceræ voluptatis recordatio, quam memini hauſtam ex mirabili concordia peripateticæ doctrinæ ab Ariſtotele traditę cum illis veritatibus, quas extrà conſpectum naturæ poſitas Deus nobis reuelauit. Quid enim poteſt magis cohærere cum vero quam verum? Nullum cenſeo adeò ſplendidum mendacium, cui tenebras aliquando non offundat rerum inter ſe pugnantium diſcordia; nulla veritas ità in obſcuro, vt eam non efficiat aſpectabilem cæterarum rerum, quæ cum ipſá conſentiunt, harmonia quædam, & concentus longè ſuauiſſimus. Hinc illi menti, quam nulli ſecundam poſt homines natos arbitror, probatum olim fuit, quòd verum tamdem illud ſit, cui omnia conſonant; quanto hinc habendus in pretio Ariſtoteles? qui cæteros ætatis ſuæ Philoſophos eo nomine antecelluit, quòd Philoſophiam tradidit Religioni à Dei verbo in terras inuectæ mirè concinentem. Id, ni fallit animus, olim impulit Legislatorem noſtrum de Chriſti Republicá optimè meritum ad leges condendas quibus cautum foret, ne aliá quam Ariſtotelis luce afflari pateremur Academias pietati, & bonis artibus excitatas; idem in præſenti mouet me Ariſtotelis doctrinæ iamdiù amantiſſimum ad eius amore, & ſtudio Auditores meos inflammandos eá potiſſimum de cauſá, quòd cum fide ità conſentiat, vt nihil ſuprà: quod ſi nobis è ſententiá ceſſerit; noſtri, vt arbitror, labores cætera

ingrati, & inamœni aliquo voluptatis ſapore condientur.

Facturus igitur operæ pretium videor, ſi Philoſophiæ recurrendæ iuſſus proludere paucis exequar, quod erit huius anni, & conſequentium inſtitutum: admirabilem nempè concordiam luminis naturæ cum lumine fidei, quorum alterum in Ariſtotele fuit ſummum, alterum nullum; eam enim è re natâ conabimur identidem Auditoribus noſtris fruendam repræſentare. Veſtris itaque oculis eſt animus hodiernâ die in huius rei argumentum Ariſtotelem ſubijcere non eo vultus, & oris habitu, quo nobis pulcherrimum erudita reddidere Commentaria ad eum illuſtrandum exarata; ſed qualem vmbris inuoluunt ſtudioſè mendicatis, quicumque eius doctrinam criminantur, hanc enim contendimus ab ipſis maculis, quibus perſtringitur, cohoneſtatam. An laudi vertendum, quòd ſolem celebraueris, vbi nullis circumiacentibus nebulis minuta ſydera & grandiores Planetas luce ſuâ extinguat? illud intrà gloriam facinus duco, quod ij meditantur, qui Planetarum Principem, luce poſthabitâ, vel Lunæ interpoſitu vel vmbris circumductis gatiorem nobis repræſentant. Prodeant itaque ſplendida illa vitia, quibus fama, eſt ab Ariſtotele contrà fidem olim peccatum, & cæterarum agmine virtutum ſilere iuſſo cauſam noſtram apud vos orent; Ariſtotelis enim, quem fatemur aliquandò egregiè hallucinatum, plùs peccata, quam Platonis, &

cæte-

cæterorum virtutes Religioni profuere; Diuinâque Prouidentiâ factum reor, vt eius vitiſs virtutes non minùs, quàm aduerſis proſperè irradiarentur.

Hæc ſunt, quæ paſſim audimus á Sciolis iactata in vulgus, qui ad ſapientiæ corticem hærendo buccis, vt aiunt, crepantibus audent vel Religionem lacerare, vel Ariſtotelis famæ obſtreperé. Præcipua, quibus illa nititur, fundamenta eſſe vnius ſummi ac æterni Numinis Prouidentiam, quà humana diuinaque omnia temperantur, & mentes regendis animandiſque corporibus creatas poſt fatum commune victuras æternitati; vtrumque ab Ariſtotele dirutum, & funditus euerſum, Deo mundi procuratione, nobis æuo ſempiterno defraudatis; illius enim vitæ incertus, quàm præcipimus ſpe numquàm defecturam, tulit ancipitem ferè omnium exiſtimatione de animæ immortalitate ſententiam. An Deum ſine certá rerum futurarum præſenſione aſſeruit prouidentem? eodem certè mucrone, quo ſcientiam perdidit, prouidentiam iugulauit; hominemque vt faceret liberum, fecit ſacrilegum. An prouidum credidit quem operandi neceſſitate impoſitá negauit beneficum? Corrumpit enim beneficium ipſa beneficij neceſſitas, cùm illud quod confertur, non tàm ex doni magnitudine, quàm ex animo donantis debeat æſtimari. Quis vnquàm ab orbe condito liberalem habuit, de aliјs benemerendi neceſſitatem ineluctabilem? Orbem, at ait,

 ope-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

opere meditato Dei Prouidentia fabricauit?Sed cogente fato ſempiternũ; optimè deductá ęterna mũdi molitione exDei mundũ molientis neceſſitate. Hinc meritò caſtigandus, quod cauſam nõ peſſimam orauerit argumento deterrimo; ereptá conditori debitá libertate, vt conditis rebus immeritam donaret æternitatẽ; beneficientiam itaque in ſummo Principe maximam, quiá voluit amplificare, anguſtauit; immò extincto ſpiritu, vndè vitam ducunt beneficia, exanimauit. Præterea quis potiſſimum beneficentiæ fontem ignoret, hominis cum Deo amicitiam? vnde Cœleſtes emanant voluptates ad terras Dei nectare irrorandas: fontem hunc, quem nobis recludit fides, occluſit Ariſtoteles; Diuinæ ratus dignationi aduerſarium fœdus cum homine contractum, quaſi amicitiam velit abrumpere, qui transfuſá Diuinitate, amicum in Deum cupiat commigrare. Quid? Quod in ſententiam communi felicitati præpoſteram viſus eſt inclinaſſe: Præſenti nè, an futuro æuo duceret conſequendam, eſt adhuc in obſcuro; variant enim auctores eius mentem in rebus, quæ ad mores ſpectant, interpretati. At beatam hominis vitam inter animi bona cenſuit reponendam, ſupremæ videlicet facultatis actum nobiliſſimum. Itá profectò; ſed opinione magis, quám perſuaſione veri, eſt viſus collimaſſe; adeò vt ſecum ipſe concertando locum ſuſpicioni fecerit, quid tamdem de fine ſupremo ſentiret. Mitto plurima, in quibus Ariſtoteles diuinè, vt aiunt,

de

de virtutibus locutus, humana fuit paſſus, veritate vel deſertá, vel non aſſecutá; Quæ igitur poteſt fingi religionis cum huiuſmodi Philoſophi præceptis concordia, qui auſus eſt præcipua eius fundamenta conuellere.

His & alijs id genus Ariſtotelis doctrinam inculant, quibus non tám diluendis, quám in rem noſtram amplificandis præſens diſſertatio debet inſudare: nobis enim iam diù eſt perſuaſũ, nihil eſſe vndè magis conſtet vtriuſque luminis, hinc rationis, hinc fidei concordia, quàm certam Ariſtotelis ab ipsá fide diſcordiam; quod ſi non minus ſpeciosè, quam verè dictum argumentis cogentibus confecero, liquebit omnibus vitia, quæ in tanti Philoſophi doctrinam irrepſere, cæterorum virtutibus præoptanda, perindè ac ſoli offuſas maculas, quæ ab ipsá deformitate ſpeciem accipiunt cæteris aſtris formoſiorem.

Prouiſum nobis fuit ab optimo rerum omnium conditore, vt ad regnum veritatis tergeminá graſſaremur viá, ratione, fide, & aſpectu beato Diuinitatis: prima id aſſequi non poteſt, quo altera ſubobſcurè; tertia clariſſimè pertingit; quò fit ex ijs, quæ ad Deum ſpectant, plura oſtendi rationis lumine, quibus componendis opus habemus altiori luce; quemadmodum veritates diuinitus inſpiratas ægerrimè componimus intellectu nec dum cœleſti lumine inundato. Id Ariſtoteles, vt ita dicam, odoratus mentem cæterá feliciſſimam in Dei meditatione

ne occupatam oculis Talpæ coæquauit ad ſolis aſpectum fœdè caligantibus. Vertendum igitur laudi, quòd errauerit, Deum rationis ope ſpeculatus, non enim potuit veritati reuelatæ prodeſſe certiùs, quàm errando, ea propter circá mundi æternitatem, Deique extra ſe operantis neceſſitatem turpiter lapſus, quòd Auguſtiſſimæ Triadis Sacramentum ignorauerit: in hoc quia totius rei vertitur ſumma, neceſſe habeo rem altius redordiri ſubtiliori confirmandam ratiocinatione.

Nouerat profectò vir mentis acerrimæ & rerum naturalium cognitione apprimè inſtructus vel nullum in terris colendum Numen, vel vnum eſſe, idemque optimum: nouerat præterea boni naturam latere, qui bonum finxerit infœcundum; quid enim magis illi cõſentaneũ, quàm ſui copiam facere? Cur in boni cupiditatem tot natura ſtimulis nos impellere voluit? An vt omnibus illuderet rei deſiderio numquam aſſequendæ? An potiùs vt nemo ignoraret illud tantùm eſſe bonum, quod ſui communione felicem efficit ſui ipſius appetentem? Indè compertum Ariſtoteli, vel optimum non eſſe mundi opificem, vel eum otianti ſimilem non egiſſe vitam æuo infinito infœcundam. Quò fit, vt ſuo coæuum artifici mundũ opinatus, Platonem carperet, quaſi Deum animo agitauerit homini Stolido, & amenti ſimillimum, quem in ſui contemplatione vnicè defixum intuentes riſu effuſo excipimus, eo vitæ genere ante orbis fabri-

bricam menti ſapientiſſimæ impoſito, quod nemo eſt, qui vel in ipſo Margite ioco non duxerit traducendum. Quid in viliſſimo dixerim mancipio? quod in rebus, ſenſu & ratione carentibus natura damnauit: ſolem pulcherrimum nempè huius mundi oculum quis vmquam vidit ſine vberrimâ pompâ radiorum ſterilem, & otiantem? Quæ maria terras adeò barbaras, & inhoſpitales alluunt, è quibus per cæcos calles, & occultas rimulas non irrumpant flumina ad agros ingentium aquarum eluuione locupletandos? An fontem reperies, vndè in ſubiectos campos innumeri ſe riuuli non effundant?

Huc adde omnibus rebus à naturâ ingeneratam operandi mirabilem appetentiam certiſſimum fœcunditatis argumentum: hinc ea, quæ ſunt magis perfecta, maiori vrgentur inclinatione ad operandum; vt facilè conſtat in rebus vitâ, & ſenſu præditis, quæ longè antecellunt non ſolùm perfectione, ſed etiam cupiditate operandi cæteras res vitâ, & ſenſu deſtitutas; Quid quod ea quæ agunt vitam intelligentem, ſunt magnopere à natura ad operandum deſtinata? Quis ergo niſi apertè deſipiat, in eâ erit ſententiâ, quod Deus naturâ ſupremus, dignitate maximus, ſcientiâ infinitus ſecum ipſe æternum pugnauerit, & vim illam, quam ex ſe habet ad largiendum incredibilem, infinitâ voluerit auaritiâ retardare?

Ecce vobis Ariſtotelem in rem noſtram ſapienter, & acutè delirantem, quem ſpecioſa pro-

ſecto argumentatio, & tanto digna Philoſopho in errorem induxit grandem certè, ſed minimè pœnitendum; quis enim ſplendidum non appellet errorem, quo religionis veritati proludebatur? hinc Ariſtotelis crimina, quæ adeò nobilem originem iactant, eius doctrinæ fidem augent potiùs, quàm eleuent; neminem adeò iniquum cenſeo rerum æſtimatorem; qui Ariſtotelem non iudicet veniá dignum, quod errauerit, admiratione, ac laude, quod erroris ſui adeò ſplendidam habuerit cauſam; quam enim in partem, rogo vos, flecteret ſe Philoſophus acutiſſimus, anguſto naturæ limite, ceu Gyaræ clauſus ſcopulis? Mundum diceret liberè aliquando conditum? quod ſatis conſtabat; at cogebatur ſempiternam Deo negare fœcunditatem ex boni ſummi æternitate conſequentem. Orbem aſſereret cogente fato procreatum? libertas repugnabat, indiuidua ſupremi Domini comes; his anguſtijs vrgebatur; & quia non poterat, ſemper licet iaculando, ſemel collimare: non volebat, quod certè debuiſſet, humanæ mentis imbecillitatem moderatè, ac patienter ferre; Deum, quem optimum nouerat, debuit vel negare liberum, vel auarum & ſterilem confiteri. Hinc bonitati poſthabitá libertate ſapienter errauit, vt veritatem errando confirmaret á Dei verbo de Vno Trinoque Deo reuelandam; eam enim quia non nouit, coactus eſt de ſummo bono pugnantia dicere, in eum ſcopulum, turpiter ne an ſpecioſe? offendens, quem euadere conabatur.

tur. Quid poteſt fingi magis contrarium optimo quám defectus boni? Quis coniungat cum turpi egeſtate opulentiam infinitam? Deum optimum ſimul, eumque imperfectum, locupletiſſimum, & indigentē excogitauit Ariſtoteles, ex quo vt ſummè bonum defenderet, compulſum ait neceſſitate ad mūdum fabricandum. Defectum non dixerim vmbram egeſtatis? An maior ſeruitus quám egere ſeruitio? Quomodo expers indigentiæ, qui ne temporis quidem punctum ſolus potuit viuere? ſuo itaque ſe ferro conficit Ariſtoteles, qui obtentu bonitatis Deum fecit indigentem; at qui fieri poteſt vt ſit ſummè bonus, qui vitam egit abſque vllá communione infinitam? Hunc nodum planè inextricabilem, quem naturæ lumen obtruncare poteſt magis, quám ſoluere, tunc explicare nouimus cum Triadem Auguſtiſſimam Philoſophis inacceſſam reuelauit Perſonata Diuinitas, vt anguſtius vrgendo breui conficio, iáctis ſuper ſpecioſo Ariſtotelis errore tantæ rèi fundamentis.

Ea proculdubio eſt boni conditio, vt aliquo germine in dies ſoboleſcat, id enim Philoſophus naturá duce ſapienter intellexit: Hinc Deum amabilis vrget neceſſitas ſui quám maximè poteſt largiendi, quadam tamen in communione ſui ſeruatá decentiá. Quid autem bono ſummo minus conſentaneum, quám eos largiendo imitari, qui fœnerantes gratiam arbitrantur facere beneficia, dum accipiunt? Quodlibet bonum intimá, & natiuá vi agitur ad copiam ſui faciendam,

dam, eo diſcrimine inter finitum, & infinitum, quòd illud vtpote ex alicuius mali mixturá valdè exiguum acquirit dando, quæſtuoſa largitione; hoc è contrario nihil poteſt largiendo lucrari. Hinc bonum finitum ad donandum impellit, primùm egeſtas natiua, tum indè conflata auaritia: bonum verò infinitum illa eadem vrget opulentia, quæ formas continet rerum omnium effectrices. Neceſſitas igitur, quam bono ſummo Ariſtoteles tribuit naturam boni acutè, & ſolerter venatus, eſt opulentiæ, non egeſtatis indicium; adeoque non debuit Deum cogere ad orbem procreandum ſempiternum, ne nimirum omnium haberetur egentiſſimus alienæ depulſor egeſtatis: molitionem mundi liberam, & boni ſummi neceſſariam fœcunditatem, quæ ratione ſpectatá videbantur Ariſtoteli viciſſim pugnare, vnum potuit fidei lumen ſimul componere, Perſonarum quippe multitudo in vnam coaleſcentium naturam eſt acerrimum argumentum illius blandæ neceſſitatis, quá bonum rapitur infinitum ad copiam ſui, quantam poteſt maximam ſine vllá egeſtatis vmbrá faciendam. Quid ergo potuit Ariſtoteli etiam erranti glorioſius accidere? quid nobis iucundius Philoſophiá vtentibus ad præſidium Religionis, quàm ipſius Ariſtotelis errores in argumentum eius veritatis conuertere quam fides docet de Triadis Diuinæ ſimpliciſſimá naturá, Philoſophiæ, vt falsò credidit Dialecticorum cauillatio, repugnantem?

At

At ſententiam pariter tulit amicitiæ hominis cum Deo inuiſam, ratus nullum ad extinguendam amicitiam præſentius venenum Diuinitate alteri amantium impertitâ. Quid indè? Specioſum non inclamem errorem, qui viam insternebat amplexandæ Religioni? eius enim originem mihi altiùs repetenti occurrit eiuſdem ignorantia veritatis, in quam duce Religione penetrauimus, vt paucis oſtendo. Mutui amoris iura eò ſpectant, vt conſpiret in ſtudiorum, & voluntatum coniunctionem animorum multitudo; de hác concordiá multum decerpit amantium egeſtas, quá veluti quodam vinculo iugantur amicitiæ, ea propter ab amoris lege nimiùm deflectentes: hinc eas, quæ á fonte pellucido profectæ fluunt turbidæ, inſectatus olim Auguſtinus adoleſcentiam ſuam huiuſmodi amoribus ineſcatam his lugebat acutis verbis. *Nondum amabam, & tamen amare amabam, & ſecretiore indigentiá oderam me minus indigentem.* Qualis igitur poteſt fingi animorum conſenſio, quam indigentia parit mater ſimultatum? illa tamdèm firma, illa conſtans erit amicitia, quam vel vtriuſque vel alterius amantis opulentia copulauerit. Quid itaque mirum ſi ad humana diuertere per amicitiæ fœdera indignum Deo Ariſtoteles credidit, qui boni ſummi naturá non ſatis exploratá, non alio cenſuit vinculo amantes coniungi, quàm reciprocá egeſtate? Ex quo nobis conſtare cæpit nihil olim fuiſſe negotioſius otiante diuinitate, patuit etiam, amicitias

ege-

egeſtate conflatas eſſe deterrimas, quæ verò parantur opulentiá cogente, optimas: quò fit, vt amicitiæ naturá intimè ſpectatá nulla ſit, quæ cum Diuiná poſſit comparari. Hinc ſumma, eaque præſtantiſſima inter Perſonas, quæ vnam efficiunt naturam: longo inde proxima interuallo inter naturás in vnam Perſonam commigrantes; tertia, quæ cœteros homines itá Deo coniungit, vt vnica Dei amantis gloria ſit hominis, qui amatur felicitas. Ex quibus efficitur, quæ de ſuá naturá Deus reuelauit, adeò cohærere cum iјs, quæ lumen rationis de fine amicitiæ oſtendit, vt circá hominis cum Deo amicitiam Ariſtoteles eo errauerit nomine, quòd aſſequi non potuit adeò ſublimis Myſterij intelligentiam. Huc adde varios cogitationum æſtus, quibus iactabatur incertus noſtræ felicitatis; ieiunam de Animæ immortalitate tractationem, vitam illam, quam ducit animus á corpore, tamquam è cuſtodijs liberatus, ne ſummo quidem ore delibatam, de ipſo Mundi Opifice pauca profectò, licet ſubtiliter, diſputata: quid eum poſtremò impulit vt ſapientiſſimæ illuderet menti, quam ignaram futuri culpauit? illud idem, quod impulit ad negandum liberum Mundi Conditorem: obtentu libertatis noſtræ Deo impoſuit ignorantiam Ariſtoteles, quaſi neceſſe ſit beneficium perdat ſcientia beneficij; Nos è contrario ad libertatem hominis propugnandam adhibemus ſcientiam futurorum; nouimus enim Religionis ductu adeò beneficum

bo-

bonum ſummum, vt velit eſſe munera ſua merita noſtra, eaque debeat coronare, dum iſta remuneratur; Quid enim magis è re optimi Principis, quám beneficia vetera nouis cumulare? Ad tuendam igitur hinc hominis libertatem, hinc Dei ſummam liberalitatem, opus eſt illá eadem ſcientiá, quam Ariſtoteles vel non intellexit, vel noluit intelligere, ne humanam læderet libertatem, quia nimirum intelligere non valuit, quanta eſſe deberet in bono ſummo liberalitas, ſe abſque minimá egeſtatis maculá effundente.

Nimius eſſem, veſtráque abuterer patientiá, ſi vellem genio meo indulgere, incredibilis eſt enim voluptatis fructus, quem ſemper acceptum memini ex concordiá rationis cum fide, quam mihi parit Ariſtotelis á Religione manifeſta diſcordia: vt igitur eò reuertar, vnde fueram profectus, liquidò conſtat talem eſſe ác tantum, quod initio contenderam, Philoſophiæ cum fide concentum, vt non poſſit de rebus naturalibus pro dignitate diſputare, qui ad veritates reuelatas mentem aliquando non intenderit; hinc mihi Ariſtotelis Philoſophiam Auditoribus meis tradituro neceſſitas incumbit delibandi è re natá arcanum illud verum, ad quod inſpectandum opus eſt oculis luce diuiná illuſtratis: quod tamen, ne in alienam meſſem videár immiſiſſe falcem, moderatè feram, ratus laboris non exiguum pretium fore iniectam capacioribus animis pabuli nobiliſſimi cupiditatem; id

ſi

ſi vtcumque pro cáptu meo præſtitero ; erit quantùm arbitror muneri meo , Deique gloriæ , quod maximè cupio , factum ſatis .



LO:

LOGICAE SVMMVLAE
SIVE
INTRODVCTIO COMPENDIARIA In Ariſtotelis Logicam.

VEritatem, quam ingenioſè Philoſophus Cratippus ait obſcuro, & ſinuoſo latere in ſpecu conantes è naturæ latebris eruere debemus in ipſo Philoſophiæ veſtibulo ad Logicam confugere, quæ veluti quandam ingenij facem præfert ad venandam veritatem. Præcepta Logicæ in compendium miſſa vulgò appellant Summulas, quas nos etiã in præſenti tradere decernimus, ne tritam à maioribus noſtris viam relinquamus; breuitati tamen, atque claritati ſtudebimus, ijs de induſtriâ omiſſis, quæ maiori vrgentur difficultate. Illud tamen auditorum meorum auribus, animiſq;inculcare non deſinam, quod omnes moneri ſolent cum prima Logicæ rudimenta delibant, ne ità rerum varietate ac terminorum multitudine ſe obrui patiantur; vt ſpes omnis proficiendi infringatur, nihil enim eſt adeo arduum, quod labore improbo non ſuperetur.

Operatio intellectus, cuius nomine ſignificatur cognitio quam intellectus operando exercet, diuiditur in apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum: *Apprehenſio eſt cognitio nihil affirmans, vel negans*: *indiciuṃ eſt cognitio affirmans, vel negans vnum de alio*; *Diſcurſus eſt cognitio inferens vnum ex alio*. hinc eſt quod intellectus cognoſcendo Petrum format apprehenſionem, affirmando hominem de Petro & dicendo *Petrus eſt homo*, exercet iudicium: dum infert vnum ex alio dicendo *Petrus eſt homo*, *ergo eſt animal* format diſcurſum. De tribus intellectus operationibus ſermo nobis erit in Summulis, quas proinde in tres partes diuidimus, vt ſingulis operationibus ſingulę partes reſpōdeant.

PARS I.

De primà intellectus operatione, & ad ipſam ſpectantibus.

PRima operatio eſt apprehenſio, quæ diuiditur in ſimplicem, & complexam: per ſimplicem apprehenſionem vnicam tantum rem apprehendimus, plura per complexam, ita apprehendendo Petrum formamus apprehenſionem ſimplicem, apprehendendo Petrum doctum formamus complexam. Res apprehenſæ ſunt ſimpliciſſima dialecticæ elementa, quæ

Gram-

Grammatici vocant dictiones, Logici terminos, de quorum definitione, diuiſione, ſuppoſitione & proprietatibus, hic agendum eſt.

CAPVT I.

Quid ſit Terminus.

1. TErminum definio cum Ariſtotele in primo Priorum cap. primo *eſſe id in quod reſoluitur propoſitio tanquam in ſubiectum, & prædicatum.*

Hæc definitio explicatur & probatur. In omni propoſitione inueniuntur duo termini, quorum alter vocatur ſubiectum, hoc eſt id, de quo aliquid affirmatur vel negatur, alter vocatur prædicatum, hoc eſt id quod de alio affirmatur, vel negatur: præter hos duos terminos inuenitur verbum, quod eſt copula, ſiuè nexus vniens in propoſitione affirmatiuâ vnum terminum cum alio, hoc eſt prædicatum cum ſubiecto. In hâc propoſitione. *Petrus eſt homo:* *Petrus*, *& homo* ſunt termini: *Petrus* eſt ſubiectum, quia eſt id, de quo homo affirmatur, *homo* eſt prædicatum, quia eſt id, quod affirmatur: Verbum *eſt* fungitur munere copulæ vnum extremum cum alio copulantis.

2. Dictum eſt in traditâ definitione propoſitionem reſolui in ſubiectum, & prædicatum.

Digitized by Google

Ratio eſt, quia propoſitio eſt compoſitum Logicum ex ſubiecto, & prædicato inuicem vnitis: ſed omne compoſitum ſolutâ vnione deſtruitur & reſoluitur in partes componentes; ergo ablato verbo, deſtruitur copula, quâ extrema colligantur, adeoque propoſitio diſſoluitur, ſed propoſitione deſtructâ remanet ſubiectum, & prædicatum, ſicuti deſtructâ domo remanent lapides. Ergo propoſitio reſoluitur in ſubiectum, & prædicatum, quibus componitur.

3. Hinc colliges primò omnia nomina tam ſubſtantiua, quàm adiectiua eſſe per ſe terminos; Ratio eſt, quia poſſunt eſſe ſubiectum, vel prædicatum per ſe alicuius propoſitionis.

4. Colliges ſecundò pronomina, aduerbia præpoſitiones, & alia ſimilia, non eſſe per ſe terminos, ſed modificationes terminorum: ratio eſt, quia per ſe loquendo non ſunt ſubiectum, vel prædicatum, ſed ſolùm modificationes ſubiecti, & prædicati, vt patet in iſtis propoſitionibus: *Aliquis homo eſt doctus : Petrus eſt valde iuſtus*; quia ly *aliquis* in primà propoſitione non eſt ſubiectum, ſed modificat ſubiectum, & in ſecundà propoſitione ly *valdè* non eſt prædicatum, ſed illud modificat, quia oſtendit modum, quo iuſtitia eſt in Petro.

5. Duo ſunt argumenta, quibus hæc doctrina vrgetur. Primo: poteſt aliqua propoſitio reſolui in aduerbium tanquam in ſubiectum, vt

liqui-

liquidò conſtat in ea, quam in hunc modum formare quis prohibet? *Valdè eſt aduerbium* ergo aduerbia ſunt termini, quia non minus reſoluitur in aduerbium hæc propoſitio, quàm alia quælibet in nomen ſubſtantiuum, eſt igitur vtriuſque par ratio.

6. Secundò: verbum aliquando prædicatur, vt contingit in hac propoſitione *Petrus currit*, in quâ nihil eſt, quòd præter verbum dicatur de Petro, ergo non ſola nomina ſunt termini, cum verbum poſſit induere naturam termini.

7. Primum argumentum ſoluit vulgaris, & trita diſtinctio illius, quod per ſe & per accidens ſolet contingere, eſt enim accidentarium cuilibet aduerbio, vt propoſitio in illud reſoluatur tanquam in ſubiectum, quòd cæteris nominibus ſiuè ſubſtantiua, ſiuè adiectiua eâ ſint, per ſe conuenit: neque aliam tibi rationem afferre poſſum, niſi ſapientum inſtitutionem, quibus libuit vſurpare nomina ad propoſitiones formandas, & aduerbijs vti, quibus nominum ſignificatio extendatur, vel limitetur: In forma diſtinguo antecedens: reſoluitur per ſe: nego antecedens; per accidens; concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, ergo ſunt termini per ſe: nego conſequentiam, per accidens; concedo conſequentiam.

8. Secundum argumentum ſoluitur diſtinguendo duplicem ſignificationem eius, quod

prædicatur in qualibet propoſitione, vnam explicatàm quàm formalem vocant Philoſophi, aliam implicitam, ſiuè æquiualentem: non eſt neceſſe, vt præter verbum aliquid expreſsè ſit quod enuncietur, ſufficit enim ſi contineatur in verbo, quod illi æquiualeat, vt videre eſt in propoſitione, quam nobis arguens opponit, ea enim æquiualet iſti: *Petrus eſt currens*: idem dic de aliâ quacumque, quàm in eamdem rem tibi poteris pro arbitrio fingere.

CAPVT II.

Quotuplex ſit terminus.

1. Celeberrima eſt termini partitio in mentalem, vocalem, & ſcriptum, propoſitio enim, quæ conficitur ex terminis, prius concipitur mente, deinde vocibus expreſſa caracteribus exaratur.

2. Terminus vocalis, de quo potiſſimum agitur, alius eſt ſignificatiuus, alius non ſignificatiuus. Terminum ſignificatiuum rectè definit Toletus lib. 1. cap. 11. & nos cum ipſo in huuc modum: *eſt vox ſignificatiua ad placitum ex quâ componitur ſimplex propoſitio*. Dicitur vox, quiâ plura ſunt ſigna, quæ non ſunt voces, vt patet in rebus tùm ex naturâ ſuâ tùm etiam ex humano arbitrio inſtitutis ad aliud ſigni-

ſignificandum, fumus enim eſt ſignum naturale ignis, & ſonus æris campani futuram lectionem indicat: hac de cauſa in tradità definitione debuit fieri mentio vocis, vt nimirum à notione termini ſignificatiui ea ſigna excluderentur, quæ conſiſtunt in rebus. Dicitur præterea vox ad placitum ſignificatiua, quod enim huiuſmodi vox *lapis* ſignificet aliquid à ſe diſtinctum, pendet à liberà hominum voluntate, quà ſeclusà non eſt, cur lapidem potius quàm panem ſignificet. Cæteras particulas ſingillatim exponere eſt ſuperuacaneum, carent enim difficultate, quià ſignificant eum finem, ad quem termini ordinantur, videlicet propoſitionem, quam componunt.

3. Terminus non ſignificatiuus eſt *vox quæ nihil ſignificat à ſe diſtinctum*: exemplum habes in hac voce *bliſtri* toties apud Dialecticos decantatà, id enim inter has duas voces *bliſtri*, & *lapis* intereſt quòd recitato *bliſtri* nihil intelligis à recitantis voce diſtinctum, audito verò enunciari lapidem, mente formas imaginem lapidis, qui incurrit in oculos, vel pedem lædit.

4. Obijces; vox quæ nihil ſignificat, aliquid ſignificat, ſed *bliſtri* nihil ſignificat, vt tu ipſe fateris, ergo aliquid ſignificat, adeoque dum dicis eſſe vocem, quæ nihil ſignificat, tibi apertè contradicis, partitio igitur

termini in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum eſt inutilis,immò nulla. Maior probatur, quià iſta vox *nihil* habet aliquam ſignificationem, quæ conſiſtit in nullà re ſignificanda, ſi ergo *bliſtri* nullam rem ſignificat, iàm ſignificat: tùm quia qui pronunciat *Bliſtri* ſignificat ſe loqui ſine vllà ſignificatione, quod ſine dubio eſt aliquid ſignificare.

5. Reſpondeo diſtinguo maiorem: vox quæ nihil negatiuè ſignificat, aliquid ſignificat: nego maiorem, vox quæ nihil poſitiuè ſignificat, aliquid ſignificat, concedo maiorem: & diſtinguo minorem, *bliſtri* nihil negatiuè ſignificat: concedo minorem: nihil poſitiuè ſignificat nego minorem,& conſequentiam. Quid eſt nihil negatiuè ſignificare? Eſt non ſignificare, ſiuè carere omni ſignificatione: in hoc ſenſu verum dicit,quicumque dicit *Bliſtri* nihil ſignificare, ideo enim nihil ſignificat quia non ſignificat. Quid verò eſt nihil poſitiuè ſignificare? Eſt habere aliquam ſignificationem, quæ conſiſtit in ſignificandà carentià alicuius rei: in hoc vtique ſenſu non dicit verum qui dicit *Bliſtri* nihil ſignificare, non enim vtimur hac voce ad ſignificandam carentiam alicuius rei. Hinc magnum agnoſces diſcrimen inter duas iſtas voces *Bliſtri*, & *nihil*,prima enim nihil negatiuè ſignificat,quià nō ſignificat,ſecunda verò nihil poſitiuè ſignificat, quia ſignificat caren-

carentiam omnium rerum. Certiſſimum huius diſcriminis argumentum eſt, quòd rogatus ab amico, quantum habeas pecuniæ in marſupio nummis vacuo, ais te nihil habere, non ais te habere *bliſtri*, niſi velis apertè delirare. Eſt igitur in voce, quæ nihil ſignificat, puerilis, & futilis æquiuocatio, quæ iam diù eſt quòd torquet addiſcentes rudimenta Logicæ: ab omnibus tricis te facilè expedies diſtinguendo accuratè vocem, quæ nullam rem negatiuè ſignificat, à voce, quæ nullam rem poſitiuè ſignificat, facillimum enim eſt confundere vnam ſignificationem cum aliâ. At non ne ſignificat ſe non velle aliquid ſignificare qui loquitur in hunc modum? Minimè verò, quia perindè non vult aliquid ſignificare, qui eam vocem format, ac qui nullam format, ſicuti ergo nihil ſignificat, qui nihil dicit, ſiuè non loquitur, ita nihil ſignificat qui loquendo dicit *Bliſtri*.

CAPVT III.

De Diuiſione Termini ſignificatiui.

1. TErminus ſignificatiuus diuiditur primo & immediatè in categorematicum, ſyncategorematicum, & mixtum. Categorematicus eſt ille, *qui per ſe abſque vllo additamento aliquid*

quid ſignificat, vt homo Ciuitas. Dicitur autem per ſe ſignificare, quia per ſe poteſt eſſe vel ſubiectum, vel prædicatum alicuius propoſitionis *Terminus ſyncategorematicus eſt ille, qui nihil per ſe ſignificat, ſed alteri adiunctus facit eum aliter ſignificare, vt omnis nullus, aliquis*, per ſe hic terminus *omnis* nihil ſignificat: quod ſi adiungatur huic termino *homo* facit eum aliter ſignificare, ac ſi idem terminus abſque vllo ſyncategoremate pronunciaretur. Ratio eſt, quia homo aliter ſignificat in iſtà propoſitione *omnis homo currit*, ac in iſtà: *homo currit*; quia pro huius veritate ſufficit vnum tantum hominem currere, cum alia non poſſit eſſe vera, niſi omnes currant. Terminus mixtus, *eſt qui participat aliquid ex vtroque*, vt *doctè, benè, ſapienter*, & cætera aduerbia.

2. Terminus categorematicus diuiditur in complexum, & incomplexum. Terminus complexus eſt ille *cuius partes per ſe ſunt ſignificatiuæ*; hoc eſt cuius partes retinent eamdem ſignificationem ſeparatæ, atque coniunctæ, vt hæ voces *homo iuſtus* formant terminum complexum, quia idem ſignificat hæc vox *homo* ſimul cum aliâ voce, ac ſeorſim. Terminus incomplexus eſt ille, *cuius partes per ſe non ſunt ſignificatiuæ vt homo*, quia ſingulæ partes componentes hanc vocem *homo* nihil ſignificant, vt omnibus patet.

3. Diui-

3. Diuiditur tertiò terminus ſignificatiuus in communem, ſiue vniuerſalem, & ſingularem. Terminus communis eſt ille, *qui plura ſignificat de quibus poteſt ſingillatim prædicari*, vt hæc vox *homo*; quia plura ſignificat, nempè Petrum, Paulum &c. de quibus poteſt prædicari ſingillatim, dicendo *Petrus eſt homo*. Terminus ſingularis eſt iile, *qui vnum tantum ſignificat, vt* hæc vox *Petrus*.

4. Dubium hinc naſcitur, ad quem potiſſimum terminum pertineant, ſingularem nè, an communem *Sol, Phœnix*, & *Deus*, cum ad vtrumque promiſcuè aſſirmandum vtriuſque termini natura nos videatur impellere.

5. Hoc dubium facilè ſolues, dicendo Solem, & Phœnicem eſſe terminos communes, Deum vero ſingularem: ratio cur Sol, & Phœnix ſint termini communes, eſt, quia licet vnus tantum in Cælo ſplendeat ſol, & vnicus in rerum natura inueniatur *Phœnix*; nihilominus non eſt, cur plures non poſſint in Cælo ſplendere Soles, de quibus verè prædicetur natura ſolis, & plures non poſſint in terra reperiri Phœnices, de quibus pariter affirmetur natura Phœnicis, quis enim impedit quominus Deus qui eſt poteſtatis infinitæ, in præſenti alium ſolem, aliumque Phœnicem producat? ſatis enim eſt ſi ea, de quibus dicitur terminus communis poſſint eſſe: quidquid ſit, an verè

ſint,

ſint, vel non ſint. Ratio è contrario cur *Deus* non ſit terminus communis, ſed tantum ſingularis, eſt omnino oppoſita, quia Deus ita eſt vnus, vt repugnet eſſe plures Deos, cum neceſſe ſit vnicum eſſe in Cælo numen adorandum in terris, vt naturæ fideique lumen nobis demonſtrat, iuxta illud: *Audi Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt*. Neq; mihi opponas plurâ olim fuiſſe apud antiquos Numina, nimirum Iouem, Martem, Mercurium, & ſimiles, quia, vt optimè noſti, nihil habebant Diuinitatis præter nomen, quo vocabantur falsò Dij.

6. At inquies, tres ſunt Perſonæ Diuinæ: nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & de ſingulis verè dicitur hoc nomen *Deus*, quis enim ignorat filium eſſe Deum, non minus quã Patrem? cur ergo non erit *Deus* nomen commune? verum quidem eſt tres eſſe perſonas diuinas, & verum pariter eſt ſingulas eſſe Deum: quis autem dicat tres eſſe Deos? cum ergo non poſſit verè dici tres eſſe Deos, ſicuti verè ſunt tres homines tres Perſonæ humanæ, quibus verè conuenit hominis appellatio, eſt manifeſtum diſparem rationem eſſe inter hominem, & Deum, atque adeò hunc eſſe terminum ſingularem, illum vniuerſalem.

C A-

CAPVT IV.

De diuiſione Termini ſingularis.

1. ANte quam agamus de termino vniuerſali vberius exponendo; opus eſt abſoluere ea, quæ ſpectant ad partitionem termini ſingularis, qui proinde diuiditur in collectiuum, determinatum, & indeterminatum. Terminus collectiuus plura ſignificat ſub vnà collectione, vt *Populus*, *Ciuitas*, *Domus*, & alia id genus.

2. Vrgebis: hic terminus ſignificat plura, ergo non ſignificat vnum, quid enim magis opponitur, quam vnum, & plura, hoc eſt vnum, & non vnum? terminus igitur collectiuus, non eſt terminus ſingularis. Adde quod nullum eſt diſcrimen inter hanc vocem *homo*; & hanc aliam *Ciuitas*, cum vtraq; ſignificet plura.

3. Reſpondeo: diſtinguo antecedens; ſignificat plura collectiuè: concedo antecedens: ſignificat plura deſtributiuè: nego antecedens; & conſequentiam. Vox quæ ſignificat plura collectiuè, vnam tantum rem ſignificat, nimirum vnam collectionem, quæ ex pluribus rebus conſtat; ita Ciuitas ſignificat plures Domos vnam Vrbem componentes; Populus plures homines vnam multitudinem conſtituentes

tes : è contrariò vox , quæ ſignificat plura diſtributiuè, de quibus ſingillatim verè prædicatur , ſignificat rem non tantum vnam , hinc patet diſparitas manifeſta inter hos terminos. *Homo* , & *Ciuitas* , quia hic terminus *Homo* vtpote vniuerſalis ſignificat omnes homines , de quibus poteſt ſingillatim prædicari natura hominis , dicendo *Petrus eſt homo* , *Paulus eſt homo* , & ſic de infinitis alijs Perſonis humanæ naturæ : oppoſitum contingit in hàc voce *Ciuitas*, quæ ſignificat omnes Vrbis exempli gratia Romanæ Domos , de quibus ſingillatim non poteſt prædicari *Ciuitas* ,dicendo *iſta Domus eſt Roma*, ſed neceſſe eſſ omnes Domos Vrbis Romanæ in vnam collectionem confluere , quæ verè dicitur Ciuitas Romana .

4. Terminus determinatus eſt ille , qui vnum determinatè ſignificat , vt *Petrus* , qui ſignificat hunc hominem determinatum : vnde ſequitur terminum ſingularem latiùs patere : quàm terminum determinatum , quia quilibet determinatus eſt ſingularis , quilibet verò ſingularis non eſt determinatus . Terminus indeterminatus ſiue vagus eſt ille , qui vnum indeterminatè ſignificat,nimirum *aliquis homo* : audito enim aliquem hominem in foro ludere ſtatim intelligis vnum hominem ludere , ſed nondum intelligis quis ille ſit, qui ludit , Petrus ne , an Paulus .

5. Hinc

5. Hinc terminus determinatus infert indeterminatum, qui enim in hunc modum arguit *Petrus currit, ergo aliquis homo currit*, optimè arguit, quia verum eſt currente Petro aliquem hominem currere, è contrariò terminus indeterminatus non infert determinatum, quia non benè arguit, qui arguit Petrum currere eò quod aliquis homo currat, cũ poſſit contingere, vt Petro non currente Paulus currat.

CAPVT V.

De diuiſione termini Communis.

1. HVc vſque de termino ſingulari ſatis, quantum arbitror, diximus; ſupereſt dicendum de termino Communi, ſiue vniuerſali, quem vtpotè momenti maioris debemus amplius exponere, & in alios terminos partiri.

2. Primo itaque diuiditur in tranſcendentem, & non tranſcendentem, quem alij vocant traſcendentalem. Tranſcendens eſt ille, qui vagatur per omnia rerum genera, cum nihil ſit in rerum naturà, de quo non poſſint termini tranſcendentes prædicari. Huiuſmodi ſunt *Res*, *Ens*, *Vnum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Verum*, qui vt altius inhæreant menti ſignificantur hac voce *Reubaü* prima enim litera ſignificat *Res*, ſecunda *Ens*, & ſic de reliquis. Nihil reperies de

de quo non poſſis verè dicere quidquid ſignificatur iſtis vocibus, vt facilè conſtat, At mendacium nunquid eſt bonum? eſt vtique bonum in genere entis, quia verè eſt in rerum naturà, non eſt bonum in genere moris, quià non eſt benè moratus, quicumque mentitur: bonum autem, quod vagatur per omnia eſt bonum in genere entis, non in genere moris.

3. Terminus non tranſcendens, eſt ille *qui non vagatur per omnia rerum genera, ſed reſtringitur ad aliquod genus determinatum*: vt hic terminus *animal*, qui terminus non poteſt verè affirmari de omnibus rebus, ſed de illis ſolum, quæ includuntur in genere animalis, hoc eſt de omnibus animalibus, ideo hæc propoſitio eſt vera: *homo eſt animal*, iſta alia eſt falſa: *planta eſt animal*.

4. Diuiditur ſecundo terminus communis in vniuocum, æquiuocum, & analogum. Vniuoca definiuntur ab Ariſtotele in 1. de ante prædicamentis cap. 1. eſſe illa, *quorum nomen eſt commune, & ratio per nomen importata eſt omnino eadem*. Duo requiruntur ad formandum terminum vniuocum, primò quod nomen ſit pluribus commune, Secundò, quod ratio, ſiue conceptus ſignificatus hoc nomine ſit omninò idem in omnibus, de quibus prædicatur, ità *animal* eſt terminus vniuocus, quia non ſolum nomen eſt omnibus animalibus commune vi-

de-

delicet homini,equo,Leoni &c. ſed etiam illud, quod per hoc nomen ſignificatur, nempe eſſe principium ſentiendi eſt omnino idem in omnibus animalibus.

5. Æquiuoca ab eodem Ariſtotele loco cit. definiuntur, *quorum nomen eſt commune, ratio vero per nomen ſignificata eſt omnino diuerſa*: itá hoc nomen *canis*,quod prædicatur de cane cœleſti, terreſtri, ac maritimo, eſt æquiuocum, nomen enim eſt commune omnibus, quiá tàm appellatur canis ille qui eſt maritimus, quàm terreſtris, ratio veró ſignificata per nomen eſt omnino diuerſa, quiá nomine canis ſignificantis canem cœleſtem intelligitur quædam ſtella, nomine canis ſignificantis canem terreſtrem intelligitur animal latrabile.

6. Analoga, quæ medium locum tenent inter vniuoca, & æquiuoca, ſunt illa, *quorum nomen eſt commune, & ratio per nomen ſignificata eſt partim eadem, partim diuerſa*. Hæc ſubdiuiduntur in analoga attributionis, & proportionis. *Analoga attributionis ſunt illa, quæ ſignificant ordinem, quem plura habent ad vnum* ita *ſanum* eſt analogum attributionis inter animal, medicinam, & cibum, quiá hæc omniá denominantur ſana per ordinem ad ſanitatem animalis. *Analoga proportionis ſunt illa,quæ fundantur in quàdam proportione vnius ad aliud*: ita *ridere* dicitur analogicé de homine, & prato

viridi, hinc originem habent omnes metaphoræ, quas reijcimus ad Rhetores: in omnibus analogis inuenitur principale analogatum, pro quo ſupponit ſolùm terminus analogus.

CAPVT VI.

Afferuntur aliæ Diuiſiones Terminorum.

1. **T**Erminus communis iterum diuiditur in concretum, & abſtractum. Terminus concretus eſt ille *qui ſignificat aliquid compoſitum ex ſubiecto, & forma*. Terminus abſtractus *eſt illa forma, quæ tribuit denominationem concreto*. Ita *album* eſt terminus concretus, *albedo* terminus abſtractus, quia album eſt aliquod totum, quod componitur ex ſubiecto, videlicet pariete, & albedine, quæ eſt forma exiſtens in pariete, eumq; denominans album.

2. Hinc terminus concretus alio nomine vocatur denominatiuus; & abſtractus, denominans: tria igitur debent accuratè diſtingui in termino concreto ſiuè denominatiuo, videlicet tota denominatio, res denominata, & forma denominans. Tota denominatio eſt terminus concretus, res denominata eſt ſubiectum, ex quo hic terminus componitur; forma denominans eſt forma, ex quà componitur idem terminus: illud itaque, quod conſtat ex pariete,

&

& albedine eſt concretum,ſiuè tota denominatio, quæ ſignificatur hac voce *album*, paries verò quem albedo informat, eſt res denominata, albedo eſt forma denominans.

3. Hinc eſt,quòd terminus concretus, ſiuè tota denominatio *albi* duo ſignificat, nimirum ſubiectum quod eſt paries, & formam, quæ eſt albedo,ſed non ſignificat eodem modo vtrumque, quia in recto ſignificat ſubiectum,in obliquo formam, ideò rogatus,quid ſit album ſtatim reſpondet: *album eſt id, quod habet albedinem*, in quà propoſitione explicante naturam termini concreti, ponitur in recto ſubiectum, & in obliquo forma. In hac diuerſa ſignificatione ſubiecti, & formæ componentium terminum concretum habet fundamentum illa celeberrima diſtinctio, quam in totius Philoſophiæ decurſu adhibebimus frequentiſſimam illius pro quo ſupponit terminus concretus, & illius quod tantùm ſignificat; terminus enim concretus formam tantùm ſignificat, & ſubiectum non ſolùm ſignificat, verùm etiam pro eo ſupponit. Indè eſt eſſe veram hanc propoſitionem, quæ formari poteſt de lacte in hunc modum. *Album eſt dulce* falſam verò aliam: *albedo lactis eſt dulcedo*; ratio eſt quia veritas propoſitionis pendet ex identitate prædicati cum ſubiecto ſecundum id pro quo vtrumque ſupponit,ſed iſta identitas inuenitur in primà pro-

poſitione, non inuenitur in ſecundâ, ergo prima eſt vera, ſecunda falſa.

4. Notandum inſuper eſt, concreta alia eſſe ſubſtantialia, alia accidentalia, hæc verò alia eſſe intrinſeca, alia extrinſeca: ſubſtantialia conſtant ex duplici parte ſubſtantiali, vt omnia ſuppoſita, quæ conſtant ex naturâ, & ſubſiſtentiâ, vt *homo* qui conſtat ex humanitate, & habente humanitatem. Accidentalia conſtant ex duplici parte, quarum vna eſt accidentalis: iſta aliquando eſt intrinſeca, aliquando extrinſeca rei denominatæ; quando eſt intrinſeca, conſtituit concretum accidentale intrinſecum, vt *album*: albedo enim eſt intrinſeca parieti, quem denominat album: quando vero eſt extrinſeca conſtituit concretum accidentale extrinſecum vt *cognitum*, cognitio enim eſt forma extrinſeca illi rei, quæ appellatur cognita.

5. Diuiditur prętereà Terminus communis in connotatiuum, & abſolutum. Terminus conotatiuus *eſt ille, qui ſignificat aliquid per modum adiacentis*: huiuſmodi ſunt omnia nomina adiectiua, quæ ſignificant aliquid per modum rei adiacentis alteri: *vt album, iuſtum*, & ſimilia, quæ ſignificant albedinem, & iuſtitiam per modum adiacentis ſubiecto albo, & iuſto. Terminus abſolutus *eſt ille, qui ſignificat rem per modum per ſe ſtantis*: huiuſmodi ſunt omnia nomina ſubſtantiua, vt *homo, lapis, albedo* quia
hic

hic terminus *albedo* licèt ſignificet formam alteri inhærentem, nihilominus eſt terminus abſolutus, quia in modo ſignificandi non inuoluitur hæc inhærentia.

6. Hinc colliges diſcrimen inter terminum abſolutum, & connotatiuum eſſe in diuerſo modo ſignificandi, & nullatenus in re ſignificatà. Hinc eſt, quòd terminus abſolutus ſe habet ad terminum abſtractum, & connotatiuus ad concretum, ſicuti terminus ſuperior, & vniuerſalior ad terminum inferiorem, & minus vniuerſalem, quia omne abſolutum eſt abſtractum, & omne connotatiuum eſt concretũ; non tamen è contrariò omne concretum eſt connotatiuum, hic enim terminus *homo* eſt concretus, & tamen non eſt connotatiuus.

7. Diuiditur rurſus idem terminus in terminum finitum ſiue finitantem, & infinitum, ſiue infinitantem. *Terminus finitus eſt ille, qui aliquid determinatè ſignificat*, vt *homo*, *lapis*, &c. *Terminus infinitus eſt ille, qui aliquid determinatè ſignificat, & negat illud, quod ſignificat, nihil tamen determinatè affirmat, vt non homo, non lapis*: qui enim dicit *non homo currit*, negat hominem currere, quem ſignificat determinatè, & affirmat indeterminatè aliquid diſtinctum ab homine currere, hinc eſt quòd termini euadunt infiniti, per hoc, quòd particula *non* ante ipſos ponatur.

 Hinc

8. Hinc colliges, quòd particula *non* ſi ponatur in propoſitione ante verbum, propoſitio euadit negatiua, ſed termini non ſunt infiniti, ſi verò eadem particula ponatur ante ſubiectum, vel ante prædicatum fit propoſitio de ſubiecto, vel prædicato infinito, vt patet in hac duplici propoſitione: *non homo eſt equus, equus eſt non homo.*

9. Diuiditur denique terminus in Terminũ primæ intentionis, & Terminum ſecundæ intentionis Terminus primæ intentionis *eſt ille, qui ſignificat ea prædicata, quæ conueniunt rebus ante omnẽ intellectus operationem, vt homo, animal.* Terminus ſecundæ intentionis *eſt ille, qui ſignificat ea prædicata, quæ conueniunt rebus in ordine ad operationem intellectus, vt ſubiectum, prædicatum.* Ea prædicata, quæ conſtituunt terminos primæ intent. vocantur primò intentionalia, & ſunt entia Phyſica, & realia. Prædicata, quæ conſtituunt Terminos ſecundæ intentionis vocantur ſecundò intentionalia, & ſunt entia Logica, quia ea ſpeculari ſpectat ad Logicam.

CAPVT VII.

De Terminis pertinentibus, & impertinentibus.

1. INter Terminos vltimum locũ habent illi, qui comparantur inuicem, & diuiduntur

tur in Terminos pertinentes, & impertinentes.

2. Termini impertinentes, *ſunt illi, qui ità ſe habent, vt neque vnus alteri repugnet, neque vnus ſequatur ex altero: ita iuſtum, & album* ſunt termini impertinentes, quià vnum alterum non excludit, idem enim poteſt eſſe album, & iuſtum, neque vnum ex altero ſequitur, quia hæc conſequentia non eſt bona: *hoc ſubiectum eſt album, ergo eſt iuſtum.*

3. Termini pertinentes *ſunt illi, qui vel habent inuicem repugnantiã,* & iſti dicuntur pertinentes repugnantià, *vt calidum, & frigidum, album, & nigrum, vel ita ſe habent inter ſe, vt vnus alterum inferat, vt homo, animal,* qui termini dicuntur pertinentes ſequelà, quià hæc conſequentia eſt bona: *Petrus eſt homo, ergo eſt animal.*

4. Termini pertinentes ſequelà diuidũtur in Terminos ſe nõ mutuo inferentes, & ſe mutuo inferentes: termini *ſe nõ mutuo inferentes ſunt illi qui ſunt tales vt ab vno valeat conſequẽtia ad alterũ, ſed non e contrariò, ita homo, & animal* ſunt termini pertinẽtes ſequelà non mutuà, quia bene infertur ab homine animal, ſed nõ è cõtrariò ab animali homo, cum omnis homo ſit animal, ſed non omne animal homo: huiuſmodi termini appellantur à Logicis termini nõ conuertibiles.

5. *Termini ſe mutuo inferentes, adeoque pertinentes ſequelà mutuà ſunt illi à quibus valet con-*

ſequentia mutua. huiuſmodi ſunt *homo*, & *riſibile*: ſicuti enim benè infertur; *eſt homo*: *ergo riſibilis*, ità benè infertur *eſt riſibilis ergo homo*. Huiuſmodi termini vocantur conuertibiles.

6. In terminis pertinentibus ſequelà non mutuà ille, à quo alius infertur, vocatur terminus inferior, ille vero à quo alius non infertur, vocatur ſuperior, ita *homo* à quo infertur *animal* eſt terminus inferior, *animal*, à quo non infertur *homo*, eſt ſuperior.

7. Sunt hic aliquæ regulæ obſeruandæ in argumentis, quæ fiunt ex terminis conuertibilibus, & non conuertibilibus. Modus arguendi in terminis conuertibilibus eſt iſte; quicquid affirmatur, vel negatur de vno termino, affirmatur etiam, vel negatur de altero; ità de Petro, de quo affirmatur homo, affirmatur etiam riſibile, & de equo, de quo negatur homo, negatur etiam riſibile.

8. Modus arguendi in terminis non conuertibilibus eſt duplex; primus modus eſt, quando arguitur ex parte prædicati, hoc eſt quando terminus non conuertibilis eſt prædicatum, vt in hàc propoſitione *Petrus eſt homo*, tunc ſi terminus non conuertibilis ſit inferior, valet cônſequentia ab affirmatione vnius, ad affirmationem alterius, quia de quocunque affirmatur terminus inferior, affirmatur etiam ſuperior, ita eſt bona conſequentia *Petrus eſt homo ergo eſt*

ani-

animal; & tamen à negatione vnius termini nonvalet conſequentia ad negationem alterius, quia: terminus ſuperior non negatur de omni eo, de quo negatur inferior; ita non valet *equus non eſt homo, ergo non eſt animal*. Secundus arguendi modus eſt ex parte ſubiecti, hoc eſt, quando vnus ex terminis non conuertibilibus eſt ſubiectum, tunc enim valet affirmatiuè, & negatiuè, cum hoc tamen diſcrimine, vt ſi ſubiectum ſit terminus inferior, valeat conſequentia ad terminum ſuperiorem particulariter ſumptum, vt *homo currit, ergo aliquod animal currit*, ſi verò ſubiectum ſit Terminus ſuperior, tunc valeat conſequentia à ſuperiori vniuerſaliter accepto ad inferiorem, vt patet in hoc exemplo; *omne animal eſt videns: ergo homo eſt videns*.

9. Termini pertinentes repugnantiâ diuiduntur in diſparatos, contrarios, priuatiuos, contradictorios, & relatiuos.

10. Termini diſparati *ſunt illi, qui ſignificant res diuerſas, vt homo, equus*.

11. Termini contrarij *ſunt illi qui ſignificant duas res poſitiuas ſe excludentes, vt calidum, & frigidum*.

12. Termini priuatiui *ſunt illi, quorum vnus ſignificat carentiam alterius cum potentià illud habendi: vt cæcus, & videns* quia cæcus dicit ſubiectum carens viſione, cum habeat potentiam videndi.

13. Ter-

13. Termini contradictorij *ſunt illi, quorum vnus negat totum id, quod alius ſignificat, vt currens non currens.* Hinc colliges terminos fieri cõtradictorios, per hoc quod Termini finiti euadant infiniti.

14. Termini relatiui, *ſunt illi, quorum vnus refertur ad alterum; vt pater, & filius, Dominus, & ſeruus.* Vnus modus arguendi eſt communis iſtis terminis, videlicet ab affirmatione vnius ad negationem alterius: *vt Petrus eſt pater Franciſci, ergo non eſt eius Filius.*

CAPVT VIII.

De ſuppoſitione Terminorum.

1. SVppoſitio Terminorum rectè definitur à Toleto l.2.c.2. *eſt vſus termini vel pro ſe, vel pro ſuo ſignificato.*

2. Sciendũ eſt voces poni loco conceptuũ ad ſignificandas res, quià non poſſumus loqui de rebus niſi vtamur vocibus, quoniam verò aliquando incidit ſermo de ipſis vocibus, ad quas ſignificandas non vtimur alijs ſignis à voce diſtinctis, ideò ſuppoſitio termini bene dicitur eſſe vſus Termini, vel pro ſe, hoc eſt pro ipsâ voce, vel pro ſuo ſignificato, hoc eſt pro re ſignificatâ per vocem. Hinc naſcitur diuiſio ſuppoſitionis, quæ diuiditur in materialem, & formalem.

3. Sup-

3. *Suppoſitio materialis eſt vſus Termini ad ſignificandam ipſam vocem*, vt patet in hàc propoſitione: *homo eſt vox. ſuppoſitio formalis eſt vſus Termini ad ſignificandam rem, vt homo eſt animal*: ideò in prima propoſitione *homo* dicitur ſupponere materialiter, in ſecundâ formaliter.

4. Suppoſitio materialis diuiditur in intrinſecam, & extrinſecam; *intrinſeca eſt vſus Termini pro ſe ſecundum illud, quod habet ex naturâ ſuâ*. ità in hàc propoſitione *Petrus eſt vox* ly *Petrus* habet ſuppoſitionem materialem intrinſecam, quià hic terminus habet ex naturâ ſuâ, vt ſit vox. *Suppoſitio materialis extrinſeca eſt vſus Termini pro ſe ſecundum illud, quod pronenit ex liberâ hominum inſtitutione*: ità in hac propoſione *Petrus eſt nomen ſecundæ declinationis* ly *Petrus* ſupponit materialiter ſuppoſitione extrinſecâ, quià eſt nomen ſecundæ declinationis ex liberâ hominum voluntate.

5. Suppoſitio formalis primò diuiditur in propriam, & impropriam. Propria *eſt vſus termini pro re, quam propriè ſignificat*: *Impropria verò eſt vſus termini pro re, quam ſignificat ſolum impropriè*. Exemplum ſuppoſitionis propriæ eſt hoc, *homo currit*, quia ly *homo* ſupponit pro re, ad quam propriè ſignificandam ea vox vſurpatur: exemplum ſuppoſitionis impropriæ eſt hoc: *Imago Cæſaris eſt homo* ly enim

homo

homo impropriè tantùm ſignificat hominem pictum. In omnibus locutionibus metaphoricis termini ſupponunt impropriè: hinc colliges fallaciam, quæ committi ſolet, quando ſuppoſitio mutatur de propriâ in impropriam, vt patet in hoc argumento ſophiſtico: *Ridere eſt mouere os, ſed prata rident, ergo prata mouent os*: fallacia conſiſtit in eo quòd terminus *ridere* in vnâ propoſitione ſupponit propriè, in aliâ impropriè,

6. Diuiditur ſecundò ſuppoſitio formalis in ſimplicem, & perſonalem: ſuppoſitio ſimplex *eſt vſus termini ad ſignificanda prædicata ſecundò intentionalia* ſuppoſitio perſonalis: *Eſt vſus termini ad ſignificanda prædicata primò intentionalia*. Dictum eſt cap. præcedenti n. 9. prædicata primò intentionalia eſſe prædicata realia, quæ prædicantur de rebus ante quamcumque operationem intellectus, prædicata verò ſecundò intentionalia eſſe prædicata, quibus obiecta denominantur extrinſecè ab actibus intellectus. In hàc propoſitione *homo eſt animal* ly *homo* habet ſuppoſitionem perſonalem, quia homo eſt animal nullo intellectu cogitante: in iſtâ vero propoſitione *homo eſt ſpecies*: ly *homo* ſupponit ſimpliciter, quià non habet eſſe ſpeciem niſi per operationem intellectus, qui confundit omnes homines, eoſque denominat *ſpeciem*. Ex eo quòd vnus terminus poteſt adhi-

beri

beri in argumento, modò cum ſuppoſitione ſimplici, modò cum perſonali, naſcitur fallacia, quæ reddit argumentum ſophiſticum, vt patet hoc exemplo: *homo eſt ſpecies, ſed Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt ſpecies*: Conſequentia enim eſt falſa, licèt antecedens ſit verum.

7. Diuiditur ſuppoſitio perſonalis in eſſentialem, & accidentalem. *Eſſentialis eſt vſus termini pro eo quod res habet eſſentialiter*; vt *Petrus eſt homo*: *ſuppoſitio accidentalis eſt vſus termini pro eo, quod res habet accidentaliter*, vt *Petrus currit*. Notandum hic eſt, quòd propoſitio de ſubiecto habente ſuppoſitionem eſſentialem vt ſit vera, non eſt neceſſaria exiſtentia ſubiecti, quæ vocatur conſtantia ſubiecti: hinc eſt, quod iſta propoſitio *Petrus eſt homo* vera eſt, etiam ſi Petrus non exiſtat, quià terminus ſupponens eſſentialiter abſtrahit ab omni tempore: vice versà non poteſt eſſe vera propoſitio de ſubiecto habente ſuppoſitionem accidentalem, niſi ſubiectum exiſtat, ideò de Petro non exiſtente non poteſt formari verè hæc propoſitio: *Petrus currit*.

8. Diuiditur quartò ſuppoſitio in diſtributiuam, copulatiuam, determinatam, & confuſam.

9. Suppoſitio diſtributiua *eſt vſus termini communis pro omnibus ſuis inferioribus diſtributiuè acceptis*: ita in hàc propoſitione, *omnes diſcipuli*

ſtu-

ſtudent, ly *omnes diſcipuli* ſupponit diſtributiuè, quia nullus eſt diſcipulus, qui non ſtudeat.

10. Suppoſitio copulatiua *eſt vſus termini cõmunis pro omnibus inferioribus collectiuè acceptis*: ita in hac propoſitione. *Omnes diſcipuli ſunt centum*, ly *omnes diſcipuli* ſupponit collectiuè, quia omnes collectiuè accepti, nõ verò ſinguli ſunt centum. Ex mutatione ſuppoſitionis diſtributiuæ in copulatiuam naſcitur fallacia, quæ reddit hoc argumentũ falſum. *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim: ſed Petrus, & Paulus ſunt Apoſtoli ergo Petrus, & Paulus ſunt duodecim*: fallacia conſiſtit in illo termino *Apoſtoli*, qui in maiori ſupponit collectiuè, in minori diſtributiuè.

11. Suppoſitio determinata *eſt vſus termini communis pro omnibus ſuis inferioribus diſiunctiuè acceptis*, *vt aliquis diſcipulus ſtudet*, quæ propoſitio reſoluitur in illam: vel *Petrus ſtudet*, *vel Paulus ſtudet*, & ſic de ſingulis diſcipulis.

12. Suppoſitio confuſa *eſt vſus termini communis pro omnibus inferioribus diſiunctim acceptis*: *vt aliqua nauis eſt neceſſaria ad nauigandum*; quæ propoſitio reſoluitur in iſtam: vel hæc, vel illa nauis eſt neceſſaria ad nauigandum. Hinc colliges diſcrimen inter ſuppoſitionem determinatam, & confuſam, quòd propoſitio, in qua terminus ſupponit determinatè, reſolui debet in propoſitionem diſiunctiuam, in

in quà de ſingulis ſeorſim affirmatur illud, quod affirmatum eſt de termino communi: propoſitio verò, in quà terminus communis ſupponit confusè, reſolui debet in aliam propoſitionem diſiunctiuam, in quà de omnibus ſimul acceptis cum particulà diſiunctiuà *vel* affirmetur illud, quod affirmatum eſt de termino communi.

13. Vltimo ſuppoſitio diſtributiua diuiditur in completam, & incompletam.

14. Suppoſitio completa *eſt vſus termini communis pro ſingulis illius generis*, vt *omne animal eſt viuens*, ly *enim omne animal* ſupponit pro ſingulis animalibus.

15. Suppoſitio incompleta *eſt vſus termini communis pro generibus ſingulorum*. Vt *omne animal fuit in arcà Noe*, ly enim *animal* non ſupponit pro ſingulis animalibus, alioquin propoſitio eſſet falſa: ſed pro generibus ſingulorum, hoc eſt *nullum eſt genus animalium, ex quo aliquod non fuerit in arca Noe*.

CAPVT IX.

De alijs Terminorum proprietatibus.

1. Reliquę terminorũ proprietates ſunt ampliatio, reſtrictio, diminutio, alienatio, & appellatio.

2. Am-

2. Ampliatio *eſt extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem*.

Notandum hic eſt, quòd terminus in propoſitione aliquando ſumitur cum ſtatu, quòd tunc contingit, quando accipitur pro re præſenti, vt in hàc propoſitione. *Petrus diſputat*. ly *Petrus* dicitur habere ſuum ſtatum, quià ſupponit pro Petro exiſtente in eo tempore, in quo profertur propoſitio: aliquando terminus ſumitur promiſcuè pro tempore præſenti, futuro, vel præterito, & tunc dicitur ſumi cum ampliatione.

3. Hinc colliges, quòd in propoſitione, in quà eſt verbum de præterito, ampliatur ſubiectum ad ſignificandum tempus, vel præteritum, vel præſens: prædicatum verò non ampliatur, ſed eius ſignificatio reſtringitur ad præteritum: vt *Petrus cucurrit*, ly *Petrus* ſumitur cum ampliatione ad tempus præteritum, adeoque facit hunc ſenſum Petrus, qui eſt, vel fuit, cucurrit: At in propoſitione, in quà verbum eſt de futuro, ampliatur ſubiectum ad ſignificandum tempus præſens, vel futurum: *vt Petrus audiet lectionem*, ſenſus eſt: *Petrus qui eſt, vel erit, audiet lectionem*.

4. Reſtrictio è contrario *eſt coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem*: quemadmodum enim ampliatur terminus per extenſionem à ſuppoſitione minori ad maiorem, ità reſtrin-

ſtringitur per coarctationem à maiori ad minorem.

5. Tribus modis fit reſtrictio: primò per additionem alicuius adiectiui, quod extremo appoſitum illius ſignificationem reſtringit, *vt homo iuſtus eſt amicus Dei*; ly enim *iuſtus* reſtringit ſignificationem hominis, ſecundò per additionem caſus obliqui ex parte eiuſdem termini, vt *liber Ariſtotelis eſt Grecè conſcriptus*. Tertiò per appoſitionem ſubſtantiui inferioris vt *Apoſtolus Petrus eſt Chriſti Vicarius*.

6. Diminutio *eſt additio alicuius dictionis, per quā Terminus ex ſe ſupponēs abſolutè, ſupponit ſecundum quid*: vt *Aethiops eſt albus ſecundū dentes*. ly *ſecundum dentes* vocatur additum diminuens quia ly *albus* ſupponit abſolutè, ſed modificatus additione diminuēte ſignificat ſolos dentes Aethiopis eſſe albos.

7. Alienatio *eſt diſtractio Termini à ſuppoſitione propriâ ad impropriam*, vt *leo marmoreus videtur in foro*: *leo* vocatur terminus diſtractus: *marmoreus* additum diſtrahens, quià determinat alium terminum ad habendam ſignificationem impropriam.

8. Hinc colliges diſcrimen inter reſtrictionem, diminutionem, & alienationem: reſtrictio eſt talis, vt additum reſtringens neque mutet, neque diminuat ſignificationem Termini, cui adiungitur, ſed ſolum trahat ſignificatio-

nem ad pauciora ſuppoſita: in diminutione additum ſecundum quid diminuit integram ſignificationem termini:in alienatione additum diſtrahens facit Terminum tranſire à ſuppoſitione propriâ ad impropriã:ideò nõ valet conſequentia à termino alienato, vel diminuto ad eumdem abſolutè, & ſimpliciter acceptum, vt *leo marmoreus videtur in foro: ergo leo videtur in foro*.

9. Appellatio termini definitur eſſe *applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatum alterius*, vt *Petrus eſt ſapiens*, ly *ſapiens* applicat Petro ſuam ſignificationem formalem: aliquando appellatio fit ex parte ſubiecti, quod denominatur Terminus appellatus, & prædicatum Terminus appellans: aliquando fit ex parte prædicati, vt *Petrus eſt magnus Logicus*, vbi ly *magnus* non appellat Petrum, ſed Logicum.

10. Appellatio aliquando eſt materialis, aliquando formalis; *materialis eſt quando appellatio fit termino materialiter conſiderato*: vt *muſicus ædificat*, quià non ædificat, quatenus muſicus;*formalis eſt,quando appellatio fit Termino formaliter conſiderato*: vt *homo eſt diſcurſiuus*, quia ly *diſcurſiuus* conuenit homini formaliter, quatenus homo eſt: Cauendum eſt diligenter ne varietur appellatio de materiali in formalem, quià argumentum euadit ſophiſticum, vt

vt patet hoc exemplo. *Homo qui currit eſt Petrus, ſed video hominem qui currit, ergo video Petrum.* Ly enim *Petrus* in maiori habet appellationem materialem, in conſequentia formalem.

CAPVT X.

De Definitione.

1. DVo modi ſciendi traduntur ab Ariſtotele, quorum alter eſt definitio, alter diuiſio; de primo agemus in hoc cap. de 2. in ſequenti.

2. Definitio *eſt oratio, quæ declarat naturam, & eſſentiam rei,* ita *homo definitur eſſe animal rationale,* ly *homo* vocatur definitum, ly *animal rationale* vocatur definitio.

3. Hinc colliges inter definitum, & definitionem non dari diſtinctionem realem, ſed ſolum formalem, quæ vocatur diſtinctio rationis. Ratio eſt, quia homo, & animal rationale ſunt idem realiter, ſed diſtinguuntur formaliter, quod enim ſignificatur confuſè per ly *homo* ſignificatur diſtinctè per ly *animal rationale*.

4. Definitio eſt triplex, alia eſſentialis, alia cauſalis, alia deſcriptiua.

Definitio eſſentialis *eſt oratio declarans eſſentiam rei per genus, & differentiam.* Genus

Digitized by Google

eſt prædicatum eſſentiale, quod res definita habet commune cum alijs rebus. Differentia eſt prædicatum eſſentiale, quod diſtinguit, & diſcernit rem definitam à quacunque aliâ re; hæc definitio *homo eſt animal rationale*, eſt eſſentialis, quia declarat eſſentiam hominis per *animal*, quod eſt genus, & *rationale* quod eſt differentia.

5. Definitio cauſalis eſt *oratio, quæ declarat rem per aliquam eius cauſam*. Quatuor ſunt cauſæ: materialis, formalis, finalis, & efficiens, de quibus agemus in Phyſica.

6. *Definitio deſcriptiua*, quæ potius vocatur deſcriptio, quam definitio, *eſt illa, per quam ſignificatur qualis res ſit*: Huiuſmodi eſt ſecundum plures Theologos definitio fidei, quam tradit Paulus Apoſt. *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*.

7. Hinc colliges cum Ariſtotele in 6. Top. ad bonam definitionem tria eſſe neceſſaria, quorum vnum ſi deficiat eſt mala definitio, quia bonum ex integrà cauſà, malum ex ſingulis defectibus. Primò vt omnis definitio ſit clarior re definità: ratio eſt, quia definitione vtimur ad declarandam rem definitam, ergo conceptus definitiuus debet eſſe clarior re definità, aliter ignotum explicaretur per ignotius, vel æquè ignotum, quod repugnat. Secūdò vt definitio conuertatur cum re definità, adeo-

que

que à definito ad definitionem valeat mutua conſequentia; vt *eſt homo; ergo animal rationale*: *eſt animal rationale; ergo homo*. Tertiò, vt nihil deficiat ex ijs quæ pertinent ad eſſentiam rei, & nihil ſit ſuperfluum: hæc definitio *homo eſt animal rationale coloratum*, eſt mala, quia ly *coloratum* eſt ſuperfluum, non enim declarat eſſentiam hominis.

8. Duplex modus argumentandi deſumitur à definitione: vnus eſt: de quocunque prædicatur definitum, prædicatur definitio; & de quocunque prædicatur definitio, prædicatur definitum: ita de Petro, de quo affirmatur homo, affirmatur etiam animal rationale, & de equo, de quo negatur homo, negatur etiam animal rationale, vt patet. Alius modus argumentandi eſt: de omni eo, de quo prædicatur definitum, vel definitio, prædicatur etiam quicquid dicitur de definitione, vel definito: vt *homo eſt capax beatitudinis*, *ergo animal rationale eſt capax beatitudinis*.

CAPVT X. ET VLTIM.

De Diviſione.

1. D*Iuiſio eſt oratio totum diſtribuens in ſuas partes*. Dicitur *oratio* ad differentiam diviſionis Phyſicæ, quæ fit, quando per mortem

tem anima diuiditur à corpore,vel per gladium aliquod lignum ſecatur in duas partes; diuiſio enim Logica, de qua loquimur, eſt illa, quæ fit mente, & voce, quando aliquid totum diſtribuimus in ſingulas partes: vt hæc oratio, qua dico, *bonum aliud eſſe vtile, aliud iucundum, aliud honeſtum*, eſt diuiſio boni, quod vocatur diuiſum in tria enumerata bona, quæ vocantur membra diuidentia.

2. Diuiſio alia eſt generis in ſpecies, alia totius in partes, alia ſubiecti in accidentia. Diuiſio generis in ſpecies tunc fit, quando prædicatum vniuerſale diuiditur in prædicata minus vniuerſalia, de quibus eſſentialiter prædicatur, vt diuiſio animalis in rationale, & irrationale: hinc eſt, quòd diuiſio eſſentialis fit in partes, quæ differunt eſſentialiter. Diuiſio totius in partes fit,quando aliquod totum diuiditur in partes Phyſicas,vt diuiſio hominis in corpus, & animam, vel partes continuas, quæ vocantur quantitatiuæ;vt diuiſio ligni bipalmaris in duos palmos. Diuiſio ſubiecti in accidētia fit,quando ſubiectum in varia accidentia diuiditur,quæ ſubiecto inhęrent,vt diuiſio hominis in doctum, & indoctum, liberalem, & auarum.

3. Hinc colliges, hæc eſſe obſeruanda pro bonâ diuiſione. Primò ſingula membra diuiſionis debent eſſe inferiora diuiſo, quià diuiſum debet latiùs patere, quàm ſingulæ partes, in

in quas diuiditur, ideò diuiſio animalis in rationale, & irrationale eſt bona, quià magis latè patet animal, quàm rationale: è contrariò diuiſio animalis in ſenſitiuum, & rationale, eſt mala, quia ſenſitiuum æque latè patet ac animal, omne enim animal ſentit. Secundò omnia membra diuidentia debent eſſe æqualia diuiſo, adeo vt nihil contineatur ſub diuiſo, quod non includatur in membris diuidentibus: hinc eſt, quod diuiſio animalis in hominem, & ceruum non eſt bona, quià membra diuidentia non adæquant diuiſum. Tertiò diuiſio fieri debet in membra diuidentia, quorum vnum ab altero ſit diuerſum; hinc eſt quod diuiſio animalis in rationale, & riſibile non eſt bona, quià riſibile eſt, idem ac rationale.

4. Primus modus argumentandi in diuiuiſione eſt arguere ab affirmatione diuiſi ad affirmationem alicuius ex membris diuidentibus, & vice verſà ab affirmatione alicuius ex membris diuidentibus ad affirmationem diuiſi. Ratio eſt, quià non poteſt de aliqua re affirmari genus, quin affirmetur aliqua ſpecies ſub illo genere contenta: ita animal, quod eſt genus, & totum diuiſum, non poteſt affirmari de equo, quin affirmetur, vel rationale, vel irrationale, quæ ſunt membra diuidentia: ſimiliter de quocunque affirmatur aliqua ſpecies, affirmatur etiam genus, ita de Petro, de

quo affirmatur rationale, affirmatur etiam animal.

5. Secũdus arguendi modus eſt argumentari à negatione diuiſi ad negationem membrorum diuidentium, & è contrariò, cum hoc tamen diſcrimine, vt procedendo à negatione diuiſi ad negationem membrorum diuidentium, liceat negare omnia membra ſimul, & ſeorſim accepta: procedendo verò à negatione membrorum diuidentium non liceat procedere ad negationem diuiſi, niſi à negatione omnium: vt *lapis non eſt animal* valet conſequentia: *ergo non eſt homo*: rurſus valet alia conſequentia *ergo lapis non eſt homo*, *neque leo &c.* E contrariò non valet *lapis non eſt equus*, ergo *non eſt animal*, quia homo non eſt equus, & tamen eſt animal; valet verò: *lapis non eſt equus, neque homo, neque alia ſpecies animalium, ergo lapis non eſt animal*.

6. Tertius arguendi modus eſt ab affirmatione diuiſi, & negatione vnius membri diuidentis ad affirmationem alterius: vt *animal eſt rationale, vel irrationale, ſed homo eſt animal non irrationale, ergo eſt animal rationale*.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS

PARS

PARS II.

De ſecunda intellectus operatione.

ABſolutis in primâ parte quæ ſpectant ad Terminorũ cognitionẽ, gradum facimus ad ſecundam intellectus operationem, per quã iudicamus de rebus apprehenſis affirmatiuè, vel negatiuè.

CAPVT I.

De *Nomine*, *Verbo*, *&* O*ratione*.

1. NOmen definitur ab Ariſtotele in primo Perihermenias cap. 2. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore; cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua, finita, & recta*,

2. Dicitur *vox ſignificatiua ad placitum*, ad excludenda ſuſpiria, & alias ſimiles voces, quæ naturaliter ſignificant affectus internos. Dicitur *ſine tempore* ad excludẽda omnia verba, quæ ſignificant cum tempore, vt dicetur infrà: Per illas particulas: *cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua*, *excluduntur Orationes*, *quarum partes ſeparatæ ſignificant*. Per vltimas particulas *finita & recta* excluduntur omnes caſus obliqui, & omnes termini infiniti, qui vt

opti-

optimè notat ibidem Ariſtoteles nō poſſunt appellari nomina eò quòd nihil determinatè ſignificāt. Rationem, cur caſus obliqui nō ſunt nomē, affert Ariſtoteles, quià nomen propriè eſt illa pars orationis, quæ addito verbo facit orationem veram, vel falſam, ſed ſolum rectum facit orationem veram, vel falſam, vt patet in hac propoſitione *Paries eſt albus*, ergo &c. hinc eſt, quòd caſus obliqui ingrediuntur orationem tanquam caſus nominum, non tanquam nomina.

3. Verbum definitur: *eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua, finita, & recta, & eſt eorum, quæ de altero dicuntur nota.*

4. Dicitur verbum *eſſe vox ſignificatiua cum tempore*, quià nullum eſt verbum, quod non ſignificet rem eſſe, vel fieri in aliquo tempore præſenti, præterito, vel futuro. Dicitur *eſſe nota eorum quæ de altero dicuntur*, quià verbum coniungit vnum Terminū cum alio, quod fit in propoſitione affirmatiua, vel ſeparat vnum ab alio, quod fit in negatiua.

5. Obijc: Dantur aliqua nomina, quæ ſignificant tempus vt *dies*, *hora*, & dantur alia nomina, quæ important tempus, vt *cœna*, *prandium*, quæ ſignificant comeſtionem veſpertinam, & matutinam, ergo nomen eſt vox ſignificatiua cum tempore.

6. Reſ-

6. Reſpondetur: diſtinguo antecedens: dantur aliqua nomina, quæ important tempus ſignificando, vel connotando tempus, conc. antecedẽs, ſignificando cum tempore, nego antecedẽs,& conſequentiam. Ratio eſt, quia ſignificare tempus, connotare tempus, & ſignificare cum tempore ſunt res diuerſæ: hoc nomen *dies* ſignificat tempus, ſed non ſignificat cum tempore; hoc nomen *cœna* connotat tempus, quia ſignificat comeſtionem factam tempore veſpertino, ſed non ſignificat cum tempore, quia id eſt proprium ſolius verbi habentis vim ſignificandi actionem factam in tempore præſenti, præterito, vel futuro.

7. *Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſeparatæ ſunt ſignificatiuæ.* Ita Card. Toletus in l.p. cap.16. Dicitur *partes ſeparatas eſſe ſignificatiuas*, quia per hoc diſtinguitur oratio a nomine, quod partes orationis idem ſignificant ſeparatę ac coniunctæ.

8. Oratio diuiditur in perfectam, & imperfectam. *Perfecta eſt illa, quæ facit ſenſum perfectum, nec relinquit animum auditoris ſuſpenſum*: vt *Petrus ſtudet*. *Oratio imperfecta eſt illa, quæ facit ſenſum imperfectum, & relinquit animum auditoris ſuſpenſum*, vt *ſi Petrus ſtuderet*.

9. Oratio perfecta alia eſt, in qua eſt verum, vel falſum, quales ſunt omnes orationes iudicatiuæ, vt *Petrus eſt doctus*, alia eſt, in

qua

qua non inuenitur verum, vel falſum, ſicuti ſunt orationes imperatiuæ, & optatiuæ. *Vtinam ſtudcres: fac vt ſtudeas;* Ratio patet cur in iſtis non ſit verum, vel falſum, in illis veró ſit, quia dicenti *Petrus eſt doctus*: reſpondetur *tu dicis verum, vel falſum*: dicenti verò *Vtinam ſtuderes* non reſpondetur *dicis verum, vel falſum*: ergo oratio iudicatiua eſt illa, in qua eſt verum vel falſum, ſecus oratio optatiua.

CAPVT II.

Quid ſit Propoſitio, & quotuplex ſit.

1. *ORatio enunciatiua nihil eſt aliud quàm propoſitio qua intellectus iudicat prædicatum eſſe, vel non eſſe in ſubiecto.*

2. Propoſitio alia eſt ſimplex. alia compoſita, ſiuè Hypothetica. *Propoſitio ſimplex, quæ appellatur Categorica, & abſoluta eſt illa, in quà de vno ſubiecto affirmatur, vel negatur vnum prædicatum* vt *homo eſt animal*. quòd ſi prædicatum ſignificet aliquid diſtinctum ab eſſe, propoſitio vocatur de tertiò adiacente, vt *homo eſt doctus*: ſi verò prædicatum ſignificet aliquid indiſtinctum ab eſſe, propoſitio vocatur de ſecundo adiacente, vt *Petrus exiſtit*.

3. Propoſitio compoſita, ſiue Hypothetica *eſt illa, quæ componitur ex pluribus propoſitioni-*

bus

bus ſimplicibus: vt *Petrus currit*, & *Paulus ſtudet*. Propoſitio compoſita diuiditur in diſiunctiuam, copulatiuam, conditionalem, & cauſalem.

4. Propoſitio diſiunctiua eſt illa *quæ cōponitur ex duabus propoſitionibus ſimplicibus coniunctis particula diſiunctiua vel*; vt *Petrus ſtudet, vel Paulus currit*.

4. Propoſitio copulatiua eſt illa, *quæ componitur ex duabus ſimplicibus coniunctis particula copulatiuà &*; vt *Petrus currit, & Paulus ſtudet*. Hinc colliges ad propoſitionem copulatiuam non requiri duplex prædicatum formaliter, & explicitè, ſufficit enim duplex ſubiectum formaliter, & explicitè: vt *Petrus, & Paulus currunt*: ideò propoſitio *omnis homo currit* non eſt copulatiua, licet virtualiter, & implicitè contineat plura ſubiecta.

5. Propoſitio conditionalis eſt illa, *in quà vnum affirmatur, vel negatur ſub conditione alterius, vt ſi petam ab amico librum, dabit*. Prima pars conditionalis; quæ exprimitur per particulam *ſi* ex. gr. *ſi petam librum* vocatur conditio, ſecunda pars, nimirum *dabit librum* vocatur conditionatum.

6. Propoſitio cauſalis eſt illa, *in qua inueniūtur duæ propoſitiones cum particulà cauſali quià* vt: *quia ſol eſt, dies eſt*, prima propoſitio vocatur antecedēs, & ſecunda cōſequens; ratio eſt, quia

quiá intellectus formando propoſitionem cauſalem implicitè, & virtualiter diſcurrit, quicumque enim dicit *quia ſol eſt, dies eſt* arguit ex ex ſolis ſplendentis præſentiâ lucis diurnæ exiſtentiam.

CAPVT III.

De materiâ, formâ, quantitate, & qualite Propoſitionis.

1. IN qualibet re naturali ſolent Philoſophi quatuor conſiderare, materiam, ex quâ res eſt facta, formam, per quam res eſt, paſſiones, & proprietates ab eadem re prouenientes, quæ vocantur qualitates; denique magnitudinem, ſiue quantitatem, vt in homine conſiderant corpus, quod eſt materia, animam, quæ eſt forma, colorem, qui eſt qualitas, & magnitudinem, quæ eſt quantitas; eodem modo quatuor conſiderant Logici in omni propoſitione, quæ eſt aliquod totum Logicum, videlicet materiam, formam, qualitatem, & quantitatem.

2. Materia propoſitionis ſunt Termini, quiá propoſitio componitur ex Terminis: quiá verò Termini, hoc eſt, ſubiectum, & prædicatum poſſunt inter ſe ità comparari, vt prædicatum ſem-

ſemper, vel nunquam ſit in ſubiecto, vel aliquando ſit, aliquando non ſit, ideò triplex datur materia, videlicet neceſſaria, quando prædicatum ſemper eſt in ſubiecto, vt *homo eſt animal*, contingens, quando prædicatum aliquando eſt, aliquando non eſt in ſubiecto; vt *homo eſt albus*; remota, quando prædicatum nunquam eſt, nec poteſt eſſe in ſubiecto, vt *homo eſt equus*.

3. Forma nihil eſt aliud, quàm verbum, ſiue copula connectẽs ſubiectum, & prædicatum ideò in hac propoſitione *homo eſt animal*, ly *eſt* habet rationem formæ, quià per ipſam fit compoſitum hoc logicum, quod vocatur propoſitio.

4. **Qualitas propoſitionis eſt affirmatio, & negatio, quia omnis propoſitio diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam:**

5. Quantitas propoſitionis eſt reſtrictio, vel extenſio principalis ſubiecti, ſicuti enim quantitas hominis eſt eius magnitudo, ità quantitas propoſitionis eſt illa, per quam cognoſcitur, an principale ſubiectum extendatur ad multa, vel pauca.

6. Quadruplex eſt quantitas propoſitionis, videlicet vniuerſalis, vt *omnis homo eſt animal*; indefinita, vt *homo eſt animal*; particularis, vt *aliquis homo currit*; ſingularis, vt *hic homo currit*: Ex quo patet ſubiectum huius pro-

Digitized by Google

propoſitionis: *homo eſt animal*; modò extendi; modò reſtringi ad ſignificandum plures, vel pauciores homines.

7. Hinc colliges primò, hanc propoſitionē *omnis homo eſt animal* eſſe in materià neceſſarià, quia neceſſe eſt, omnem hominem eſſe animal, ſecundùm qualitatem eſſe affirmatiuam, ſecundùm quantitatem eſſe vniuerſalem.

8. Colliges ſecundò, propoſitionem indefinitam in materia neceſſaria æquiualere propoſitioni vniuerſali: vt hæc propoſitio *homo eſt animal*, æquiualet iſti: *omnis homo eſt animal*: in materià verò contingenti æquiualere particulari: vt *homo currit* æquiualet iſti propoſitioni: *aliquis homo currit*. Ratio eſt, quià in propoſitione neceſſarià prædicatum ſemper ac neceſſariò eſt in ſubiecto, ſecus in contingenti, ergo prædicatum in propoſitione neceſſaria debet affirmari de omnibus incluſis in ſubiecto, quod affirmari non debet in propoſitione contingenti.

9. Præcipùa proprietas omnium propoſitionum eſt veritas, vel falſitas; nam nulla ſit propoſitio, quæ non ſit vera, vel falſa. Ratio eſt, quià propoſitio vera eſt propoſitio conformis obiecto, hoc eſt, quæ iudicat rem eſſe, ſicuti verè eſt; propoſitio falſa eſt propoſitio difformis obiecto; hoc eſt quæ iudicat rem eſſe aliter

ter ac eſt, ſed omnis propoſitio eſt conformis, vel difformis obiecto, ergo omnis propoſitio eſt vera, vel falſa: ità hæc propoſitio *Petrus ſtudet* eſt vera, vel falſa, quia ſi Petrus ſtudet eſt vera, ſi non ſtudet, falſa.

10. Propoſitio copulatiua eſt vera, ſi vtraque ſimplex ſit vera: eſt falſa, ſi vna tantum ſit falſa: vt hæc propoſitio copulatiua: *Petrus ſtudet, & Paulus currit* eſt vera Petro ſtudente, & Paulo currente, quòd ſi Paulus nō currat, etiā ſi Petrus ſtudeat, propoſitio eſt falſa; ratio eſt, quia bonum deſumitur ex integrà cauſa, malum verò ex ſingulis defectibus, ideò vt propoſitio ſit vera requiritur veritas omnium partium, vt ſit falſa, ſufficit falſitas vnius.

11. Propoſitio diſiunctiua eſt vera, ſi vna ex duabus ſimplicibus ſit vera: è contrariò eſt falſa, ſi neutra eſt vera: vt hæc propoſitio diſiunctiua *Petrus currit, vel Paulus ſedet* eſt vera currente Petro, etiam ſi Paulus non ſedeat, eſt falſa ſi neque Petrus currat, neque Paulus ſedeat. Ratio eſt, quia per propoſitionem diſiunctiuam affirmatur currere Petrum, & ſedere Paulum ſub diſiunctione.

12. Hinc colliges, quòd in propoſitione diſiunctiua valet ſemper argumentari à falſitate vnius propoſitionis ſimplicis ad veritatem alterius, *vt Petrus currit, vel Paulus ſedet, ſed Petrus non currit, ergo Paulus ſedet*. Non valet à

F con-

contrario vniuerſaliter, hoc eſt, in omni caſu arguere à veritate vnius ad falſitatem alterius, quia vtraque propoſitio poteſt eſſe vera.

13. Vt autem à veritate vnius partis ad falſitatem alterius conſequentia ſit optima, neceſſe eſt propoſitionem diſiunctiuam conſtare ex terminis contradictoriè oppoſitis vel formaliter, vel illatiuè. Ratio eſt ſatis manifeſta, quia prædicata contradictoriè oppoſita non poſſunt eſſe ſimul vera, neque poſſunt eſſe ſimul falſa, alioquin nulla eſſet neceſſitas, vt quælibet res ſit, vel non ſit; nullaque eſſet repugnantia, vt idem ſit, & ſimul non ſit. Hinc eſt, veritatem vnius partis in ijs, quæ componunt oppoſitionem contradictoriam, eſſe falſitatem alterius, atque adeò ex veritate vnius partis neceſſariò inferri neceſſitate conſequentiæ falſitatem alterius; quod non habet locum in cæteris propoſitionibus diſiunctiuis, quæ non conſtant ex prædicatis viciſſim oppoſitis. Hæc igitur propoſitio diſiunctiua: *Petrus orat, vel non orat*: eſt talis naturæ, vt in hunc modum liceat arguere. *Eſt verum Petrum nunc orare, vel nunc non orare: ſed eſt verum Petrum nunc orare; ergo non eſt verum Petrum nunc non orare*. Apud veteres dialecticos inuenies, propoſitionem diſiunctiuam non eſſe veram, ſi omnes eius partes ſint veræ: id autem eſt apertè falſum, niſi ſermo ſit de illis propoſi-

poſitionibus, quæ conſtant ex terminis viciſſim oppoſitis: quis enim dicat hanc propoſitionē à Chriſto formatam: *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego ſum* non eſſe diſiunctiuam, eamq; nō eſſe veram etiamſi duo hic, & tres alibi orent?

14. Propoſitio conditionalis affirmat, vel negat aliquid ex ſuppoſitione alicuius conditionis, quæ vocatur Hypotheſis, ideò veritas vel falſitas deſumi debet ab illa re, quam affirmat futuram, vel non futuram: ita hæc propoſitio conditionalis *ſi petam ab amico librum, dabit* eſt vera, ſi facta ſuppoſitione, quod ego petam librum, amicus verè dabit librum.

15. Hinc colliges, quod propoſitio conditionalis nihil ponit in eſſe, quia id quod affirmat non eſt abſolutè, ſed tantum conditionatè futurum Prætereà conditionatum tranſit in abſolutum purificata conditione, hoc eſt exiſtente eâ re, quæ venit ex parte Hypotheſis.

16. Modus, quo arguitur in re præſenti, eſt huiuſmodi. *Si petam ab amico librum, dabit: ſed petam ab amico librum; ergo amicus dabit librum.* Huiuſmodi Syllogiſmus eſt Hypotheticus, & optimè concludit; quia vt dicam in Tertia Parte cap. 2. num. 8. neceſſe eſt vt conſequens ſit verum, ſi antecedens eſt verum; conſequens autem in hoc, & ſimilibus Syllogiſmis eſt illa propoſitio, in qua affirma-

tur, vel negatur extituram in ſtatu abſoluto rem hypotheticè enunciatam: antecedens, vnde infertur huiuſmodi conſequens, conſtat ex geminis propoſitionibus, quarum vna enunciat conditionatè rem futuram, vel non futuram, altera enunciat conditionem abſolutè ponendam, vel abſolutè non ponendam, ex quibus efficitur, vt conditionatum ſit abſolute ponendum, vel non ſit abſolutè ponendum. Cauendum tamen eſt, vt propoſitio, quæ purificat conditionem, non aſſumat ad eam purificandam aliam hypotheſim, quæ deſtruat propoſitionem hypotheticam; alioquin nihil concludetur, vt videre eſt, in hoc Syllogiſmo, qui eſt ineptus ad concludendum; falſum enim ex verò concludit. *Si peterem ab amico librum daret: ſi peterem, & ipſe non daret, ego peterem: ergo ſi peterem, & non daret, daret*: quòd eſt apertè impoſſibile.

17. Propoſitio cauſalis eſt vera, ſi illud, quod affirmatur eſſe cauſam alterius, verè eſt cauſa illius. Hæc propoſitio cauſalis, quia *ſol eſt, dies est*, eſt vera, quia præſentia ſolis eſt cauſa, cur dies ſit: è contrario eſt falſa, ſi illud, quod affirmatur eſſe cauſam, verè cauſa non eſt: vt hæc propoſitio *homo quia eſt animal, diſcurrit*: eſt falſa, quia non eſt verum, rationem cur homo diſcurrit eſſe, quia eſt animal: hinc eſt quādò propoſitio cauſalis poteſt eſſe falſa, etiam-

etiamſi vtraque ſimplex ſit vera, vt patet in exemplo propoſito.

18. Modus arguendi in propoſitione cauſali eſt ſatis ſimilis modo arguendi in propoſitione conditionali: ratio eſt manifeſta ex natura vtriuſque propoſitionis; quia hoc eſt diſcrimen inter vtramque propoſitionem, quòd cauſalis duo enunciat, quorum vnum eſt cauſa, cur ſit aliud; conditionalis autem duo enunciat, quorũ vnum ponetur, alio poſito; quidquid ſit an vnum ſit, vel nõ ſit cauſa alterius; id enim materialiter ſe habet ad conceptũ propoſitionis conditionalis: idcircò non eſt minus hypothetica propoſitio, in quà enunciatur aliquid futurum ſub hypotheſi diſparata, hoc eſt ſub ea hypotheſi, quæ nihil omninò conducit ad exiſtentiam conditionati, quàm ſit hypothetica illa, in quà enunciatur aliquid futurum ſub hypotheſi conducente ad exiſtentiam conditionati. Hinc omnis propoſitio cauſalis infert neceſſariò hypotheticam; non omnis hypothetica infert cauſalem: ita hæc propoſitio, *quia Sol eſt, dies eſt* infert iſtam: *ſi Sol eſt dies eſt*, è contrario iſta hypothetica. *Si Turca ſaltabit, Petrus conuertetur*; non infert hanc cauſalem: *Quia Turca ſaltabit, Petrus conuertetur*. Eodem igitur modo philoſophandum eſt de argumentatione, quæ fundatur in propoſitione cauſali, ac de modo, quo ſumus philo-

tur, vel negatur extituram in ſtatu abſoluto rem hypotheticè enunciatam: antecedens, vnde infertur huiuſmodi conſequens, conſtat ex geminis propoſitionibus, quarum vna enunciat conditionatè rem futuram, vel non futuram, altera enunciat conditionem abſolutè ponendam, vel abſolutè non ponendam, ex quibus efficitur, vt conditionatum ſit abſolute ponendum, vel non ſit abſolutè ponendum. Cauendum tamen eſt, vt propoſitio, quæ purificat conditionem, non aſſumat ad eam purificandam aliam hypotheſim, quæ deſtruat propoſitionem hypotheticam; alioquin nihil concludetur, vt videre eſt, in hoc Syllogiſmo, qui eſt ineptus ad concludendum; falſum enim ex verò concludit. *Si peterem ab amico librum daret: ſi peterem, & ipſe non daret, ego peterem: ergo ſi peterem, & non daret, daret*: quòd eſt apertè impoſſibile.

17. Propoſitio cauſalis eſt vera, ſi illud, quod affirmatur eſſe cauſam alterius, verè eſt cauſa illius. Hæc propoſitio cauſalis, quia *ſol eſt, dies est*, eſt vera, quia præſentia ſolis eſt cauſa, cur dies ſit: è contrario eſt falſa, ſi illud, quod affirmatur eſſe cauſam, verè cauſa non eſt: vt hæc propoſitio *homo quia eſt animal, diſcurrit*: eſt falſa, quia non eſt verum, rationem cur homo diſcurrit eſſe, quia eſt animal: hinc eſt quādò propoſitio cauſalis poteſt eſſe falſa,

etiam-

etiamſi vtraque ſimplex ſit vera, vt patet in exemplo propoſito.

18. Modus arguendi in propoſitione cauſali eſt ſatis ſimilis modo arguendi in propoſitione conditionali: ratio eſt manifeſta ex natura vtriuſque propoſitionis; quia hoc eſt diſcrimen inter vtramque propoſitionem, quòd cauſalis duo enunciat, quorum vnum eſt cauſa, cur ſit aliud; conditionalis autem duo enunciat, quorũ vnum ponetur, alio poſito; quidquid ſit an vnum ſit, vel nõ ſit cauſa alterius; id enim materialiter ſe habet ad conceptũ propoſitionis conditionalis: idcircò non eſt minus hypothetica propoſitio, in quà enunciatur aliquid futurum ſub hypotheſi diſparata, hoc eſt ſub ea hypotheſi, quæ nihil omninò conducit ad exiſtentiam conditionati, quàm ſit hypothetica illa, in quà enunciatur aliquid futurum ſub hypotheſi conducente ad exiſtentiam conditionati. Hinc omnis propoſitio cauſalis infert neceſſariò hypotheticam; non omnis hypothetica infert cauſalem: ita hæc propoſitio, *quia Sol eſt, dies eſt* infert iſtam: *ſi Sol eſt dies eſt*, è contrario illa hypothetica. *Si Turca ſaltabit, Petrus conuertetur*; non infert hanc cauſalem: *Quia Turca ſaltabit, Petrus conuertetur*. Eodem igitur modo philoſophandum eſt de argumentatione, quæ fundatur in propoſitione cauſali, ac de modo, quo ſumus philo-

ſophari de argumentatione, quæ fundatur in propoſitione hypothetica.

19. Quia vero propoſitio, quæ ſemper, & eſſentialiter eſt vera, adeoque dicitur æternæ veritatis eſt in materia neceſſaria, quæ ſemper, & eſſentialiter eſt falſa, eſt in materia remota, ſiue impoſſibili, quæ autem contingenter eſt vera, hoc eſt ita vera, vt poſſit eſſe falſa, eſt in materiâ contingenti, ideo propoſitio copulatiua, quæ conſtat ex duplici ſimplici in materiâ neceſſariâ, eſt etiam in materiâ neceſſariâ: vt *homo eſt rationalis & leo eſt rugibilis*: quæ conſtat ex duabus ſimplicibus in materiâ remotâ ſiue impoſſibili, vel vnâ neceſſariâ, & aliâ impoſſibili, eſt in materia impoſſibili *vt homo eſt rugibilis, & leo eſt rationalis*: quæ conſtat ex duabus in materiâ contingenti, quæ poſſunt ſimul verificari, vel alterâ neceſſaria, & alterâ contingenti, eſt ſimiliter in materiâ contingenti, *vt Petrus currit, & Paulus ſtudet*. Dixi propoſitionem copulatiuam eſſe in materiâ contingenti, ſi componitur ex duabus ſimplicibus in materia contingenti, quæ poſſunt ſimul verificari, ſi enim non poſſint ſimul verificari, etiamſi vtraque propoſitio ſit in materiâ contingenti; propoſitio copulatiua erit in materiâ impoſſibili, vt patet in hâc propoſitione: *Petrus ſedet, & non ſedet*, quæ eſt in materiâ impoſſibili; adeoque ſemper falſa, etiamſi contin-

tin-

tingens ſit, Petrum ſedere, & contingens ſit, non ſedere.

20. Propoſitio diſiunctiua eſt in materiâ neceſſaria, quando vna ſaltem ex propoſitionibus ſimplicibus eſt in materiâ neceſſaria; vt *Petrus currit, vel homo est animal*. Ratio eſt, quia ad veritatem propoſitionis diſiunctiuæ ſatis eſt, ſi vna tantum ſit vera. E contrario non poteſt eſſe in materiâ impoſſibili, niſi vtraque ſit in materiâ impoſſibili: ratio eſt, quia propoſitio diſiunctiua non poteſt eſſe falſa, niſi vtraque ſit falſa. Tunc dicitur eſſe in materiâ contingenti, quando vel vtraque ſimplex eſt in materiâ contingenti, *vt Petrus currit, vel Paulus non currit*, vel altera eſt in materiâ contingenti, altera in materiâ impoſſibili: vt *vel equus eſt rationalis, vel Petrus currit*; ratio eſt, quia huiuſmodi propoſitio neque eſt neceſſariò vera, neque neceſſariò falſa, currente enim Petro eſt vera, non currente eſt falſa.

21. Hinc colliges propoſitionem diſiunctiuam poſſe aliquando fieri ex terminis contradictorijs, vt *Petrus ſedet, vel non ſedet*, aliquando ex Term. diſparatis, *vt Petrus currit, vel Paulus ſedet*: ſi fiat ex terminis contradictorijs, valet conſequentia à falſitate vnius ad veritatem alterius: & è contrario à veritate vnius ad falſitatem alterius; quod ſi fiat ex Terminis diſparatis, valet quidem conſequentia à falſi-

tate ad veritatem, ſed non à veritate ad falſitatem, vt dictum eſt in hoc eodem cap. nu. 11.

22. Propoſitio conditionalis eſt in materiâ neceſſariâ, quando poſita ſiuè purificata conditione neceſſario ponitur conditionatum; vt hæc propoſitio *ſi homo exiſtit, eſt animal rationale*, quia neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale, quando exiſtit: eſt in materiâ impoſſibili, quando poſita conditione impoſſibile eſt poni conditionatum, vt hæc propoſitio: *ſi equus exiſtit, eſt animal rationale*, quæ eſt neceſſariò falſa: tunc eſt in materia contingenti, quando poſitâ conditione poteſt eſſe, vel non eſſe conditionatum; vt hæc propoſitio: *ſi petam ab amico librum, dabit*, quæ poteſt eſſe vera, vel falſa, quia poſita conditione poteſt liber dari, vel non dari.

23. Propoſitio cauſalis eſt in materiâ neceſſaria, quandò affirmatur effectum procedere ab aliquâ causa, à qua neceſſariò procedit, vt hæc propoſitio *quia ſol lucet dies eſt*; neceſſe enim eſt, vt cauſa diei ſit ſolis præſentia: in materiâ impoſſibili eſt, quando affirmatur aliquid procedere ab alio, à quo procedere non poteſt; vt *quia ſol lucet, eſt nox*: fieri enim non poteſt, vt præſentia ſolis ſit cauſa noctis: tunc eſt in materiâ contingenti, quando affirmatur aliquid eſſe cauſam alterius, quod ab eo poteſt non procedere, *vt amicus donat librum, quia rogatur*

gatur; poteſt enim contingere, vt non rogatus donet.

CAPVT IV.

De *Oppoſitione Propoſitionum.*

1. OPpoſitio, de quâ in præſenti agimus, eſt illa quæ verſatur inter duas propoſitiones, & definitur eſſe *duarum propoſitionum vtroque extremo eodem ordine participantium ſecundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia.* Ex hàc definitione ſequitur propoſitiones non habere inter ſe oppoſitionem, niſi habeant eoſdem terminos retinentes eamdem ſuppoſitionem.

2. Oppoſitio hæc Logica, eſt quadruplex, videlicet contradictoria, contraria, ſubcontraria, & ſubalterna.

3. Oppoſitio contradictoria eſt *duarum propoſitionum oppoſitio ſecundum qualitatem, & quantitem repugnantium.* Illæ propoſitiones dicuntur habere repugnantiam in qualitate, & quantitate, quarum vna eſt affirmatiua, altera negatiua, vna vniuerſalis, altera particularis, vel vtraque ſingularis: *vt omnis homo currit, aliquis homo non currit, vel hic homo currit; hic homo non currit.*

4. Oppoſit. contraria eſt *duarum propoſitionum*

num vniuerſalium ſecundum qualitatem repugnantium oppoſitio, hoc eſt, quarum vna eſt affirmatiua, altera negatiua: ità illæ propoſitiones vniuerſales *omnis homo currit*, *nullus homo currit* ſunt contrariæ.


5. Oppoſitio ſubcontraria eſt *oppoſitio duarum propoſitionum particularium ſecundum qualitatem repugnantium*, *vt aliquis homo currit: aliquis homo nō currit*: quæ propoſitiones ſunt ambę particulares, & vna affirmat, quod altera negat, ideo dicuntur ſubcontrariæ, & habent oppoſitionem ſubcontrariam.

6. Oppoſitio ſubalterna eſt *duarum propoſitionum ſecundum quantitatem oppoſitio*: vt *omnis homo currit*: *aliquis homo currit*; iſtæ duæ propoſitiones opponuntur ſubalternè, quia vtraque eſt affirmatiua, & vna vniuerſalis, altera particularis: eodem modo opponuntur ſubalternè iſtæ duæ negatiuæ: *omnis homo non currit*, *aliquis homo non currit*.

7. Notandum hic eſt, quod in omni oppoſitione diligenter debemus obſeruare, ne fiat aliá mutatio inter propoſitiones oppoſitas, præter quantitatem, & qualitatem: ratio eſt, quia vt vna propoſitio habeat oppoſitionem cum alia, debet in vnà poni totum id, quod in aliá ponitur, exceptis ijs, in quibus opponuntur; ſed propoſitiones habentes aliquā oppoſitionem non opponuntur, niſi ſecundum

dum quantitatem, & qualitatem, quia contradictoriæ opponuntur: ſecundũ quantitatem, & qualitatem, contrariæ, & ſubcontrariæ ſecundum qualitatem; ſubalternæ ſecundum quantitatem; ergo non debet fieri mutatio, niſi in quantitate, & qualitate. Hinc eſt, quòd iſtæ propoſitiones *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit velociter*, non ſunt contradictoriæ, licet opponantur in quantitate, & qualitate, quia nimirum ponitur aliquid in vnà propoſitione, quod in alterà non fuit poſitum, videlicet ly *velociter*.

8. Maioris claritatis gratia deſcribitur ſequens figura, ex qua poteris cognoſcere oppoſitionem propoſitionum.



Hinc

Hinc colliges primò, non eſſe idem duas propoſitiones eſſe contradictorias, & habere prædicata contradictoria: ita illæ propoſitiones *Petrus currit: Paulus non currit*, habent prædicata contradictoria, quia currere, & non currere ſunt termini contradictorij: ſed propoſitiones non ſunt contradictoriæ, quia habent ſubiecta diuerſa.

9. Colliges ſecundò hanc eſſe regulam pro formandis contradictoriis. Quando ſubiectum alicuius propoſitionis ſimplicis eſt ſolus terminus categorematicus, tunc formatur contradictoria ponendo particulam negatiuam immediatè poſt ſubiectum propoſitionis ſimplicis: vt *Petrus currit* contradictoria eſt *Petrus non currit*: quando autem ſubiectum eſt aliquis terminus ſyncategorematicus & mixtus, tunc particula negatiua poni debet ante totam propoſitionem: vt *omnis homo currit*, contradictoria non eſt: *omnis homo non currit*, ſed iſta *non omnis homo currit*, quæ æquiualet huic: *aliquis homo non currit*.

10. Oppoſitio contradictoria inter propoſitiones Hypotheticas nimirum cauſales, & conditionales in eo conſiſtit, quod particula negatiua ponatur ante particulam conditionalem, & cauſalem, vt patet his exemplis: *ſi petam ab amico librum, dabit*: eius contradictoria eſt iſta, *non ſi petam ab amico librum dabit*:

bit; contradictoria huius propoſitionis cauſalis, *quia ſol lucet, dies eſt*, eſt iſta: *non quia ſol lucet, dies eſt*.

11. Alia regula tradi debet pro diſiunctiuis, & copulatiuis. Contradictoria propoſitionis copulatiuæ eſt duplex propoſitio ſimplex contradicens duplici propoſitioni formanti vnam copulatiuam, ſimul cum particula diſiunctiua *vel*. Exemplum ſit: *Petrus currit, & Paulus ſtudet*: ad quærendam contradictoriam huius propoſitionis copulatiuæ, formanda eſt propoſitio contradictoria propoſitionis ſimplicis *Petrus currit*, quæ *eſt Petrus non currit*, & ſimiliter formanda eſt propoſitio contradicens alteri ſimplici *Paulus ſtudet*, quæ eſt *Paulus non ſtudet*, & iſtæ duæ propoſitiones coniungendæ ſunt per particulam diſiunctiuam: *Petrus non currit, vel Paulus non ſtudet*, quæ propoſitio contradicit illi copulatiuæ: *Petrus currit, & Paulus ſtudet*.

CAPVT V.

De Proprietatibus oppoſitionis contradictoriæ, contrariæ, ſubcontrariæ, & ſubalternæ.

1. PRima regula pro oppoſitione contradictoria eſt huiuſmodi. Propoſitiones con-

contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ; ideò hæ propoſitiones *omnis homo currit, aliquis homo non currit* non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ. Ratio eſt, quia idem non poteſt eſſe ſimul, & non eſſe, ergo non poteſt Petrus ſimul currere, & non currere, ſed ſi propoſitiones condictoriæ eſſent ſimul veræ, Petrus ſimul curreret, & non curreret, quia ſi eſt vera hæc propoſitio *aliquis homo non currit* debet eſſe aliquis qui verè non currat, & huiuſmodi ſit Petrus, de quo probatur ſimul currere, ſi eſt vera cõtradictoria *omnis homo currit*: ergo duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, idem ſequitur, ſi eſſent ſimul falſæ ergo non poſſunt eſſe ſimul falſæ.

2. Hinc colliges ex veritate vnius contradictoriæ inferri falſitatem alterius, ideò ex affirmatione vnius ſequitur negatio alterius, conceſſa enim tanquam vera illa propoſitione *omnis homo currit* neganda eſt tanquam falſa eius contradictoria *aliquis homo non currit*, eodem pacto ex falſitate vnius ſequitur veritas alterius, ſi enim eſt falſa hæc propoſitio vniuerſalis *omnis homo currit*, eſt vera particularis: *aliquis homo non currit*.

3. Secunda regula pro propoſitionibus contrarijs eſt iſta. Propoſitiones contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed poſſunt eſſe ſimul falſæ. Ratio, cur non poſſint eſſe ſimul veræ eſt

quia

quia ſi contrariæ eſſent ſimul veræ, eſſent pariter veræ contradictoriæ, ſed contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, vt oſtenſum eſt, ergo neque contrariæ. Maior probatur, quia ſi ſunt ſimul veræ iſtæ duæ contrariæ *omnis homo currit nullus homo currit*, ſunt etiam veræ *omnis homo currit, aliquis homo non currit*, quia in hac vniuerſali *omnis homo currit* inuenitur particularis *aliquis homo currit*, & in hac vniuerſali *nullus homo currit*, inuenitur particularis *aliquis homo non currit*. Ratio verò, cur contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, eſt quia vt ſit falſa propoſitio vniuerſalis *omnis homo currit*, ſufficit, ſi vnus tãtum homo videlicet Petrus non currat, rurſus vt ſit falſa hæc vniuerſalis negatiua *nullus homo currit*, ſufficit ſi vnus tantum currat, videlicet Paulus, ſed Petrum non currere, & Paulum currere verificatur ſine vlla contradictione, ergo duæ contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ.

4. Hinc colliges, à veritate vnius contrariæ valere conſequentiã ad falſitatem alterius, ideo quicumq; concedit hanc propoſitionem, *omnis homo currit* debet negare contrariam: *nullus homo currit*. A falſitate vero vnius contrariæ non valet conſequentia ad veritatem alterius, quia duæ contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, vt demonſtratum eſt: ideò qui negat vniuerſalem affirmatiuam, non tenetur concedere vniuerſalem negatiuam.

5. Ter-

5. Tertia regula traditur pro ſubcontrarijs, quæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ. Ratio cur propoſitiones ſubcontrariæ *aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*, poſſunt eſſe ſimul veræ, eſt, quia ſi Petrus currit, eſt vera affirmatiua *aliquis homo currit*; ſi Paulus non currit, eſt vera negatiua: *aliquis homo non currit*: ſed poteſt eſſe ſimul verum, quod Petrus currat, & Paulus non currat, ergo propoſitiones ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ. Ratio cur non poſſint eſſe ſimul falſæ,eſt,quia ſi duæ ſubcontrariæ eſſent ſimul falſæ, duæ contrariæ eſſent ſimul veræ, quia ſi eſt falſa hæc affirmatiua *aliquis homo currit*, eſt vera contradictoria: *nullus homo currit* ſi eſt falſa negatiua: *aliquis homo non currit* eſt vera contradictoria *omnis homo currit*, quæ duæ propoſitiones vniuerſales ſunt contrariæ.

6. Hinc colliges valere conſequentiam à falſitate vnius ſubcontrariæ ad veritatem alterius, non valere conſequentiam ab vnius veritate ad falſitatem alterius.

7. Quarta Regula pro propoſitionibus ſubalternis eſt iſta. Quando propoſitio vniuerſalis, quæ vocatur ſubalternans eſt vera, etiam particularis, quæ vocatur ſubalternata eſt vera, quando verò ſubalternans, ſiuè vniuerſalis eſt falſa, non ſequitur particularem ſiuè ſubalternatam eſſe falſam. Ratio eſt, quia

ſi eſt

ſi eſt vera hæc propoſitio *omnis homo currit*,non poteſt eſſe falſa particularis: *aliquis homo currit*, aliter eſſet vera contradictoria *nullus homo currit*, id autem eſt impoſſibile, quia ſequitur duas contrarias eſſe ſimul veras. Quod autem particularis ſiuè ſubalternata poſſit eſſe vera, licet vniuerſalis, ſiuè ſubalternans ſit falſa, demonſtratur, quia ſupponendo eſſe falſam vniuerſalem *omnis homo currit*, non ſequitur eſſe falſam particularem *aliquis homo currit*, ratio eſt, quia licet non poſſit eſſe falſa iſta vniuerſalis *omnis homo currit*, niſi ſit vera particularis negatiua *aliquis homo non currit*, nihilominus poſſunt eſſe veræ iſtæ duæ particulares *aliquis homo currit*: *aliquis homo non currit*, quia ſunt ſubcontrariæ.

8. Hinc colliges à veritate propoſitionis ſubalternantis ;valere conſequentiam ad veritatem ſubalternatæ, non valere à falſitate ſubalternantis ad falſitatem ſubalternatæ.

9. Quæres, quam oppoſitionem habeant iſtæ propoſitiones *omnis homo currit; Petrus non currit*.

10. Reſpondetur habere oppoſitionem contrariam, ratio eſt quia illæ propoſitiones habent oppoſitionem contrariam, quæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, non ſimul veræ: ſed illæ propoſitiones poſſunt eſſe ſimul falſæ, quia poteſt ſimul contingere, vt Petrus currat, quo cur-

rente euadit falſa propoſitio ſingularis, & ſimul Paulus non currat, quo non currente euadit falſa vniuerſalis,ergo iſtæ propoſitiones ſunt contrariæ: idem dico de illis propoſitionibus *omnis homo currit, pauci homines non currunt.*

CAPVT VI.

De Aequipollentia, & Conuerſione Propoſitionum.

1. AEquipollentia propoſitionum nihil aliud eſt quàm æquiualentia duarum propoſitionum, quia eſt idem duas propoſitiones eſſe æquipollentes, & eſſe æquiualentes hoc eſt habere eamdem ſignificationem. Iſtæ duæ propoſitiones *omnis homo currit, nullus homo non currit* dicuntur æquipollentes, quia habent eãdem ſignificationem, idem enim ſignificatur per vnam propoſitionem, ac per aliam: rurſus hæc popoſitio *non omnis homo currit* æquiualet iſti, *aliquis homo non currit*.

2. *Conuerſio*, quæ eſt vna ex proprietatibus propoſitionum *bene definitur eſſe duarum propoſitionum vnius ad alteram per terminorum tranſpoſitionem conſequentia neceſſaria*: vt hæc propoſitio: *nullus homo eſt equus* conuertitur in iſtam: *nullus equus eſt homo*.

3. Ter.

3. Termini dicuntur tranſponi in conuerſione, quia prædicatum illius propoſitionis quæ conuertitur, & vocatur conuerſa, fit ſubiectum propoſitionis, in quam conuertitur, & vocatur propoſitio conuertens, & è contrario ſubiectum conuerſæ fit prædicatum conuertentis.

4. Conuerſio diuiditur in conuerſionem ſimplicem, conuerſionem per accidens, & conuerſionem per contrapoſitionem.

5. Conuerſio ſimplex *fit quando ſeruata eadem quantitate, & qualitate termini tranſponuntur*: huiuſmodi conuerſio datur in propoſitione vniuerſali negatiua; & particulari affirmatiua, quæ quando conuertuntur dicuntur ſimpliciter conuerti, vt hæc propoſitio vniuerſalis negatiua: *nullus homo eſt lapis* conuertitur in iſtam *nullus lapis eſt homo*: & iſta particularis affirmatiua: *aliquis homo eſt animal* conuertitur in hanc *aliquod animal eſt homo*; inter iſtas propoſitiones quæ conuertuntur ſimpliciter valet conſequentia mutua, ſicuti dictum eſt de terminis conuertibilibus, valet enim conſequentia à propoſitione conuerſa ad conuertentem, & à conuertente ad conuerſam, ſicuti enim valet: *nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo*; ità etiam valet *nullus lapis eſt homo, ergo nullus homo eſt lapis*.

6. Conuerſio per accidens *fit quando ſerua-*

ta qualitate, ſed mutatâ quantitate termini tranſponuntur: huiuſmodi conuerſione conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, quæ dicuntur conuerti per accidens; quia factâ tranſpoſitione terminorum vniuerſalis affimatiua mutatur in particularem affirmatiuam, & vniuerſalis negatiua in particularem negatiuam: ita hæc affirmatiua vniuerſalis: *omnis homo eſt animal* conuertitur in hanc particularem affirmatiuam *aliquod animal eſt homo*, ſimiliter & negatiua vniuerſalis: *nullus lapis eſt homo* conuertitur in particularem, *aliquis homo non eſt lapis*: à propoſitione conuerſa valet conſequentia ad conuertentem, non verò à conuertente ad conuerſam; ità valet, *omnis homo eſt albus, ergo aliquod album eſt homo*: non valet, *aliquod album eſt homo, ergo omnis homo eſt albus*.

7. Conuerſio per contrapoſitionem *fit quando manente eadem quantitate, & qualitate propoſitionis termini tranſponuntur, & fiunt infiniti*: huius conuerſionis ſunt capaces vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua; ità hæc propoſitio vniuerſalis *omnis homo eſt animal* conuertitur in hanc: *omne non animal eſt non homo*: hæc particularis: *aliquis homo non eſt albus* conuertitur in iſtam: *aliquod non album, non eſt non homo*.

8. Omnes iſtæ conuerſiones, vt facilius

reti-

retineantur; duobus ſequentibus verſibus exprimuntur.

Simpliciter feci: conuertitur Eua per acci;
Aſto per contra: ſic fit conuerſio tota,

9. Hi duo verſus qui ſunt obſcuriſſimi, vt patet, explicari debent per alia duo carmina, quibus declaratur vis ſignificandi, quæ eſt in ſingulis vocalibus ex quibus componuntur illæ tres voces *Feci*, *Eua*, & *Aſto*.

Aſſerit A, negat E, ſunt vniuerſaliter amba
Aſſerit I, negat O ſunt particulariter amba

10. Vocalis *A* ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, vocalis *E* vniuerſalem negatiuam, vocalis *I* particularem affirmatiuam, & vocalis *O* particularem negatiuam. In hac voce *Feci* inueniuntur duæ vocales *E* & *I*, ideò ſenſus eſt, propoſitionem vniuerſalem negatiuam, & particularem affirmatiuam conuerti ſimpliciter: In hàc voce *Eua* inueniuntur duæ vocales *E* & *A*, ideò ſenſus eſt, propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, & vniuerſalem negatiuam conuerti per accidens. Prætereà in hàc voce *Aſto* inueniuntur duæ vocales, *A* & *O*, quæ ſignificant, vniuerſalem affirmatiuam, & particularem negatiuam conuerti per contrapoſitionem.

CAPVT VII.

De Propoſitionibus modalibus.

1. PRæter propoſitiones ſimplices, & compoſitas, quæ vocantur propoſitiones de ineſſe, dantur propoſitiones modales, in quibus iudicatur prædicatum eſſe in ſubiecto cum aliquo modo, ſiuè determinatione: ita hæc propoſitio: *neceſſe eſt hominem eſſe animal*, eſt modalis, quia non ſolum iudicat prædicatum eſſe in ſubiecto, quòd eſt omnibus propoſitionibus commune, ſed etiam iudicat modum, quo prædicatum eſt in ſubiecto; nimirum neceſſitatem, quam habet homo, vt ſit animal.

2. Triplex datur modus propoſitionis modalis, ſicuti triplex datur materia propoſitionis ſimplicis, nimirum neceſſarium, impoſſibile, & contingens, ſiue poſſibile: ita hæc propoſitio: *neceſſe eſt hominem eſſe animal* eſt de modo neceſſariò: hæc propoſitio *impoſſibile eſt hominem eſſe equum* eſt de modo impoſſibili, & iſta propoſitio, *poſſibile eſt hominem currere* eſt de modo poſſibili.

3. Colliges primò in hac propoſitione modali *neceſſe eſt hominem eſſe animal* inueniri modum & dictum: modus eſt ly *neceſſe eſt*, dictum verò eſt ly *hominem eſſe animal*. Quod dictum eſt

eſt de iſtâ propoſitione: *neceſſe eſt hominem eſſe animal* intelligendum eſt de quacumque alia propoſitione modali.

4. Colliges ſecundò pro cognoſcenda quantitate, & qualitate propoſitionum modalium, cognoſcendum eſſe modum, non dictum, ſi enim modus eſt affirmatiuus, propoſitio modalis eſt affirmatiua, licet dictum ſit negatiuum, vt hæc propoſitio *neceſſe eſt hominem non eſſe equum*, eſt affirmatiua. Hinc eſt, quòd ad formandam propoſitionem contradictoriam alicuius modalis, debet poni particula negatiua ante modum: vt *poſſibile eſt hominem currere*: contradictoria eſt iſta *non eſt poſſibile hominem currere*.

5. Colliges tertio duos modos eſſe vniuerſales, nimirum *neceſſarium* & *impoſſibile*; vnum particularem, videlicet *poſſibile* ſiuè *contingens*. Hinc eſt, quòd propoſitio de modo neceſſario & impoſſibili eſt vniuerſalis, de modo poſſibili ſiuè contingenti eſt particularis.

6. Aliqua ſunt notanda circa veritatem, & falſitatem propoſitionum modalium, ideò aliquas regulas perſpicuas, & faciles trademus ad earum veritatem cognoſcendam.

7. Prima regula eſt: propoſitio modalis de modo neceſſario eſt vera, quando dictum eius propoſitionis reſoluitur in propoſitionem de ineſſe in materiâ neceſſariâ: exemplum ſit: Hæc

propoſitio *neceſse eſt hominem eſse animal* eſt modalis de modo neceſſario, vt patet, eadem eſt vera, quia dictum propoſitionis, nimirum *hominem eſse animal* reſoluitur in iſtam propoſitionem ſimplicem: *homo eſt animal*, cuius materia eſt neceſſaria, videlicet neceſſaria connexio inter ſubiectum, & prædicatum. E contrario eſt falſa propoſitio de modo neceſſario, quando dictum reſoluitur in propoſitionem ſimplicem in materia contingenti, ſiue impoſſibili; vt hæc propoſitio *neceſse eſt hominem eſse equum*, & iſta *hominem currere eſt neceſse*, eſt vtraque falſa, quia dictum primæ propoſitionis reſoluitur in propoſitionem ſimplicem in materia impoſſibili; & dictum ſecundæ in propoſitionem ſimplicem in materia contingenti.

8. **Secunda Regula** eſt: propoſitio modalis de modo impoſſibili eſt vera, quando propoſitio, in quam reſoluitur eius dictum, eſt in meteria impoſſibili: ita hæc propoſitio: *impoſſibile eſt hominem eſſe equum* eſt vera propoſitio, quia iſta propoſitio; *homo eſt equus* in quam reſoluitur dictum propoſitionis modalis, eſt in materia impoſſibili, Econtrario eſt falſa, quando propoſitio, in quam dictum reſoluitur, vel eſt neceſſaria, vel contingens: vt *eſt impoſſibile hominem currere*, & iſta alia: *eſt impoſſibile hominem eſſe animal*.

9. Ter-

9. Tertia Regula eſt: propoſitio de modo poſſibili ſiue contingenti, tunc eſt vera, quando propoſitio ſimplex, in quam reſoluitur dictum propoſitionis modalis, non eſt impoſſibilis: ita hæc propoſitio *poſſibile eſt Petrum currere* eſt vera, quia hæc alia propoſitio *Petrus currit*, quæ conſtituit dictum modalis, non eſt impoſſibilis. Illa autem eſt falſa, cuius propoſitio de ineſſe eſt impoſſibilis: vt *hominem eſſe equum eſt poſſibile*, propoſitio eſt falſa, quia iſta propoſitio: *homo eſt equus*, eſt impoſſibilis.

10. Quarta & vltima Regula pro omnibus propoſitionibus eſt iſta. Omnes modales veræ ſunt neceſſariæ, & omnes modales falſæ ſunt impoſſibiles. Ratio eſt, quia omnes modales, vel ſunt de modo neceſſario, vel de modo impoſſibili, vel de poſſibili, ſiue contingenti: ſed nulla eſt modalis de modo neceſſario vera, quæ non ſit neceſſaria, quia ſi hæc propoſitio: *neceſſe eſt hominem eſſe animal*, eſt vera, datur neceſſitas, vt homo ſit animal, adeoque propoſitio modalis eſt neceſſaria: idem valet de propoſitione modali de modo impoſſibili verâ, quia ſi hæc propoſitio eſt vera: *hominem eſſe equum eſt impoſſibile* datur impoſſibilitas, vt homo ſit equus, ſed impoſſibilitas, vt homo ſit equus eſt neceſſitas, vt homo non ſit equus; ergo propoſitio affirmans hanc impoſſibilita-

tem eſt neceſſaria:quòd autem hoc idem valeat de modo poſſibili & contingenti demonſtratur, quia ſi hæc propoſitio: *poſſibile eſt hominem currere*, eſt vera, neceſſario exiſtit poſſibilitas curſus, ergo illa propoſitio: *poſſibile eſt hominem currere* non poteſt eſſe vera, niſi ſit neceſſaria. Eodem prorſus argumento oſtenditur modales falſas eſſe impoſſibiles: vnde ſequitur non eſſe idem propoſitionem modalem eſſe neceſſariam, & eſſe de modo neceſſario, vt patet.

CAPVT VIII. ET VLTIMVM.

De Propoſitionibus Exponibilibus.

1. PRopoſitiones exponibiles ſunt illæ, quæ ob aliquem terminum vel ſignum in eis incluſum continent æquiualenter plures propoſitiones; dicuntur exponibiles, quia cum habeant ſenſum obſcurum debent explicari per propoſitiones clariores, quæ continentur in illis. Huiuſmodi ſunt propoſitiones excluſiuæ exceptiuæ, & reduplicatiuæ, de quibus aliqua breuiſſimè dicemus, vt nihil ſit, de quo non fuerit à nobis tractatum in ſummulis.

2. Propoſitiones excluſiuæ, quæ modificantur aliquo ſigno excluſiuo, quale eſt, *tantum*, *ſolum*, & ſimilia ſunt in duplici differentia; aliæ ſunt, quæ dicuntur de prædicato excluſo,

&

& huiuſmodi ſunt, in quibus ſignum modificans propoſitionem ponitur ante prædicatum, vt hæc propoſitio, *homo eſt tantum animal rationale*: aliæ ſunt, quæ dicuntur abſolutæ, & ſimpliciter excluſiuæ, in quibus nimirum ſignum excludens ponitur ante ſubiectum propoſitionis, vt hæc propoſitio: *ſolus iuſtus ſaluabitur*.

3. Hinc colliges variari ſenſum propoſitionis excluſiuæ, quando ſignum ponitur ante prædicatum, & quando ponitur ante ſubiectum, vt patet in iſtis propoſitionibus *Apoſtoli ſunt tantum duodecim*: *tantum Apoſtoli ſunt duodecim*: prima enim eſt vera, quia exponitur per hanc copulatiuam: *Apoſtoli ſunt duodecim, & Apoſt. non ſunt plures*. Secunda eſt falſa, quia reſoluitur in iſtam copulatiuam falſam; *Apoſtoli ſunt duodecim, & nulli alij præter Apoſtolos ſunt duodecim*.

4. Debemus hic tradere modum reſoluendi propoſitiones excluſiuas, vt pateat earum oppoſitio.

5. Quantum ad excluſiuas de prædicato excluſo facile eſt eas reſoluere, ſi auferatur ſignum, & à prædicato remoueatur quilibet alius numerus, vel quæcumque alia res, vt hæc propoſitio. *Apoſtoli ſunt tantum duodecim* reſoluitur hoc pacto: *Apoſtoli ſunt duodecim, & non ſunt plues*.

6. Maior difficultas eſt in reſoluendis propoſi-

poſitionibus ſimpliciter excluſiuis;pro quarum reſolutione ſciendum eſt,huiuſmodi propoſitiones alias eſſe, in quibus affirmatur ſignum, & copula propoſitionis, & propterea vocantur integræ affirmatiuæ, vt hæc propoſitio *tantum homo eſt animal rationale*, alias eſſe, in quibus tam ſignum, quam copula negatur, & vocantur integræ negatiuæ, vt hæc propoſitio: *non tantum homo non eſt animal rationale*, alias, quæ vnam negationem habent, vel ante ſignum, vt hæc propoſitio: *non tantum homo eſt animal rationale* vel antè copulam, vt hæc propoſitio *tantum homo non eſt animal rationale*.

7. Propoſitiones integræ affirmatiuæ reſoluuntur per copulatiuas, quarum vna conſtat ex eodem prædicato, & ſubiecto, ablato ſigno excludente, alia conſtat ex eodem prædicato, & termino, qui ſit oppoſitus ſubiecto. ita hæc propoſitio: *homo tantum eſt animal rationale* debet reſolui in iſtas duas propoſitiones: *homo eſt animal rationale*, & *nihil aliud ab homine diſtinctum eſt animal rationale*.

8. Propoſitiones negatiuæ de ſigno, & affirmatiuæ de copula reſoluunturin duas diſiunctiuas contradictoriè oppoſitas duabus copulatiuis, in quas reſoluuntur excluſiuæ integræ affirmatiuæ: vt hæc propoſitio *non tantum homo eſt animal rationale* reſoluitur in iſtas diſiunctiuas *vel homo non eſt animal rationale*, *vel aliquid*

quid ab homine diſtinctum eſt animal rationale. ideo ad reſoluendam propoſitionem excluſiuam, quæ eſt affirmatiua de copula, & negatiua de ſigno, neceſſe eſt inuenire propoſitionem excluſiuam, quæ ſit integra affirmatiua, eamque reſoluere, vt dictum eſt in duas copulatiuas, quarum contradictoriæ cum particula diſiunctiua *vel* ſunt illæ propoſitiones, in quas reſoluitur excluſiua reſoluenda.

9. Hinc colliges contradictoriam huius propoſitionis: *ſolus homo currit*, & ſimilium, eſſe hanc diſiunctiuam: *vel homo non currit, vel aliquid ab homine diſtinctum currit*, Ratio eſt, quia non poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ, ſed altera eſt neceſſariò vera, & altera neceſſariò falſa, ſi enim nullus currat erit falſa prima, hoc eſt excluſiua, & vera ſecunda, videlicet diſiunctiua, nullo enim currente verum eſt hominem non currere, adeoque vera eſt illa pars propoſitionis diſiunctiuæ, *vel homo non currit*: quod ſi homo currit, & nihil diſtinctum ab homine currit, vera erit excluſiua, & falſa diſiunctiua, vt patet; rūrſus ſi homo non currat, & currat aliquid diſtinctum ab homine, vera erit diſiunctiua, & falſa excluſiua; ergo neceſſe eſt vnam ex illis propoſitionibus eſſe veram, & alteram falſā, quod erat demoſtrandum.

10. Propoſitiones excluſiuæ, quæ ſunt affirmatiuæ de ſigno, & negatiuæ de copula reſolui

ſolui debent in duas copulatiuas, eo modo, quo dictum eſt reſolui integras affirmatiuas. Propoſitiones integræ negatiuæ reſoluuntur in duas diſiunctiuas contradictoriè oppoſitas duabus prioribus copulatiuis. Exemplum ſit: *ſolus homo non eſt rationalis*: hæc propoſitio reſoluitur in hanc copulatiuam; *homo non eſt rationalis, & aliquid diſtinctum ab homine non eſt rationale* Hæc propoſitio integra negatiua: *non ſolus homo non eſt animal rationale* reſoluitur in iſtam contradictoriam præcedentis: *vel homo eſt rationalis, vel aliquid diſtinctum ab homine non eſt rationale*.

11. Propoſitiones reduplicatiuæ ſunt illæ in quibus inuenitur aliquòd ſignum, quod ponit aliquid ſupra terminum præcedentem: huiuſmodi ſigna ſunt, *quatenus, in quantum, prout* & ſimilia, quæ dicuntur reduplicare terminum, ante quem ponuntur: ita hæc propoſitio. *Omnis homo quatenus rationalis eſt riſibilis* eſt reduplicatiua; eius contradictoria eſt iſta *non omnis homo quatenus rationalis eſt riſibilis*. Prima propoſitio, quæ eſt tota affirmatiua reſoluitur in iſtam cauſalem: *omnis homo quia eſt rationalis: eſt riſibilis* ſecunda negatiua reſoluitur in propoſitionem cauſalem ſimiliter negatiuam: *non quia homo eſt rationalis eſt riſibilis*. Præterea propoſitio reduplicatiua, quæ eſt, negatiua de copula, & affirmatiua de ſigno reſoluitur in cau-

ſalem

ſalem affirmatiuam de ſolo conſequenti negato; vt hæc propoſitio *homo quatenus rationalis non eſt riſibilis*, debet reſolui in iſtam cauſalem *homo quia eſt rationalis non eſt riſibilis*: eius contradictoria eſt negatiua de ſigno, & copula: *homo non quatenus rationalis non eſt riſibilis*, quæ reſoluitur in cauſalem negatiuam de conſequenti negato: *non quia homo eſt rationalis, non eſt riſibilis*.

12. Propoſitiones exceptiuæ, quæ modificantur aliquo ſigno exceptionis, quale eſt, *præter*. & aliud ſimile, parum differunt ab excluſiuis, ideo ſunt reſoluendæ eodem modo, ac reſoluuntur excluſiuæ.

P A R S III.

De tertia operatione Intellectus.

ABſolutis ijs, quæ pertinent ad primam, & ſecund intellectus operationem aggredimur ea, quæ ſpectant ad tertiam operationem, quæ vocatur diſcurſus, eo quod intellectus ab vnaveritate cognita progreditur ad aliam incognitam: quemadmodum enim homo mouetur localiter relinquendo vnum locum, & acquirendo alium, ita mouetur intentionaliter quatenus per diſcurſum procedit ab vno cognito ad aliud incognitum.

In

Intellectum humanum eſſe diſcurſiuum ex eo manifeſtè conſtat,quòd experientia demonſtrat vnam rem ex alia inferri, ita quicumque fumum videt, ſtatim infert dari ignem. Hic diſcurſus diuiditur in virtualem, & formalem. Diſcurſus virtualis eſt vnus, & indiuiſibilis actus, quo intellectus cognoſcit vnam veritatem obiectiuam ex alia: ita hæc cognitio, quà cognoſco diem eſſe, quia ſol lucet,vocatur diſcurſus virtualis, quia ita cognoſcit has duas veritates, nimirum diem eſſe, & ſolem lucere, vt vnam cognoſcat ex alia. Diſcurſus formalis componitur ex pluribus cognitionibus realiter diſtinctis, quarum vna cognitio infertur ex aliâ, *vt Petrus eſt homo, ergo eſt animal.*

Hinc colliges tria requiri ad formalem diſcurſum, primò quòd ſint plures cognitiones realiter diſtinctæ, ſecundò quod vna cognitio ſit poſt aliam, tertiò quòd vna ſit ex aliâ: ideò ſi quis cognoſcat Petrum eſſe hominem, deinde cognoſcat eſſe animal, non diſcurrit, quia licet cognoſcat vnum poſt aliud, non cognoſcit vnum ex alio. De diſcurſu formali, qui pertinet formaliſſimè ad tertiam intellectus operationē, ſermo erit in hac poſtrema parte ſummularum, in qua breuiter, & dilucide omnia examinabimus, quæ pertinent ad bene argumentandum,

CA-

CAPVT I.

Quid ſit Argumentatio.

1. ARgumentatio, quæ eſt vnus ex tribus modis ſciendi dicitur eſſe præcipuum inſtrumentum, quod adhibere ſolemus in quacumque materia ad probandas veritates ignotas, & falſitatem improbandam: alio nomine appellatur conſequentia, quia formaliſſimè conſiſtit argumentatio in quàdam vi illatiuà, vnius veritatis ex alia, quæ vis ſignificãtur per hanc vocem *ergo*, quæ proindè vox vocatur particula illationis,

2. Argumentatio in genere,prout àbſtrahit ab hac vel illa ſpecie argumẽtations definitur à Toleto l. 1. cap. 8. *eſt oratio, in qua vnum ex alio conſequi ſignificatur*: ideò hæc oratio: *Petrus eſt homo, ergo eſt animal* vocatur argumentatio, quià ratione illius particulæ *ergo*, quæ eſt ante ſecundam propoſitionem, ſignificatur Petrum eſſe animal, quiá eſt homo, eo quòd eſſe hominem formaliſſimè ſit eſſe animal.

3. Hinc colliges in omni argumentatione tres partes eſſe neceſſarias, videlicet propoſitionem, quæ infertur, propoſitionem, ex quà infertur, & particulam illatiuam, quæ explicat conſecutionem vnius ex alio, & ſolet ap-

pellari nota conſecutionis, ſiuè conſequentia. Prima Propoſitio,ex qua infertur ſecunda vocatur conſequens, hoc eſt ea propoſitio, quæ ſequitur ex alterà. Hinc eſt aliud eſſe conſequens,aliud conſequentiam; conſequens eſt illa propoſitio, antè quam ponitur particula illatiua, conſequentia verò eſt ipſa vis illatiua, quæ dicitur illatio, ſiue argumentatio. Ex hac diuerſitate, quæ eſt inter conſequens, & conſequentiam,ſit vt prima propoſitio ſiue ſit concedenda, ſiue neganda, ſiue diſtinguenda ſemper dicatur concedo, vel nego, vel diſtinguo antecedẽs,ſecunda verò propoſitio ſi concedenda vel neganda ſit, dicatur concedo, vel nego conſequentiam, ſi diſtinguenda, dicatur diſtinguo conſequens, & deinde adhibità diſtinctione concedo, vel nego conſequentiam. Ratio eſt euidens ex dictis, quià conſequentia conſiſtit in indiuiſibili, cum nihil aliud ſit, quàm vis illatiua, adeoque non eſt capax diſtinctionis,vnde ſit, vt abſolutè ſit vera, adeoque concedenda, vel abſolutè falſa, adeoque neganda, conſequens verò, quia eſt propoſitio, eſt capax diſtinctionis ideò diſtincto conſequenti conceditur,vel negatur conſequentia.

4. Antequàm progrediamur ad tradendas ſingulas ſpecies argumentationis debemus ſtatuere, quid ſit conſequentia formalis, & conſequentia materialis, adeoque quando argumen-

mentatio concludat ratione materiæ, & quando concludat ratione formæ.

5. Conſequentia materialis eſt oratio, in qua vnum ex altero verè infertur ob ſolam rerum, atque Terminorum connexionem: vt hæc argumentatio eſt conſequentia materialis: *aliquis homo eſt animal, ergo Petrus eſt animal.*

6. Conſequentia formalis eſt oratio, in qua vnũ ex altero infertur non ſolũ propter cõnexionem rerum, vel terminorum, ſed etiam propter modum inferendi vnum ex alio, qui modus appellatur forma: ita hæc conſequentia eſt formalis: *omnis homo eſt animal; ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.*

7. Ratio cur hæc conſequentia: *ergo Petrus eſt animal* quæ deducitur ex duabus propoſitionibus præcedentibus appelletur conſequentia formalis, & illa conſequentia, *ergo Petrus eſt animal*, appelletur conſequentia materialis, ratio inquam eſt, quia ideò præciſè infertur bene Petrum eſſe animal, ex eo quòd aliquis homo eſt animal, quia datur neceſſaria connexio inter hominem, & animal, adeoque ſi ſumantur termini non habentes inter ſe connexionem neceſſariam; quamuis ſeruetur eadem diſpoſitio terminorum conſequentia eſt mala, & falſa, vt patet in hoc argumento *aliquis homo currit; ergo Petrus currit* conſequentia enim non valet, quia poteſt eſſe verum, quòd aliquis

homo currat, & Petrus non currat: ergo in tantum iſta conſequentia eſt bona: *aliquis homo eſt animal: ergo Petrus eſt animal*, in quantum materia huius argumenti ſunt termini, qui habent connexionem inter ſe neceſſariam: ergo prædicta conſequētia eſt bona materialiter, videlicet ratione materiæ, adeoque vocatur conſequentia materialis.

8. Ex aliâ parte ratio, cur bene inferatur concluſio in hoc argumento; *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*. Ratio, inquàm, non eſt connexio neceſſaria inter hominem, & animal, ſed eſt talis diſpoſitio terminorum, vt ſeruatâ eâdē diſpoſitione terminorum, in quacumque aliâ materiâ neceſſariò inferatur vera, & bona conſequentia, adeoque conceſſâ maiori, & minori propoſitione, non poſſit negari conſequentia.

CAPVT II.

Quotuplex ſit argumentatio.

1. QVatuor ſunt argumentationis ſpecies, in quas diuiditur argumentatio genericè accepta, videlicet exemplum, inductio, Enthymema, & Syllogiſmus.

2. Exemplum eſt conſequentia ab vno ſingulari ad alterum ſimile, vnde hæc cōſequentia vo-

vocatur exemplum: *Deus pepercit Niniuitis pœnitentibus, ergo etiam nobis parcet, ſi agemus pœnitentiam.*

3. Inductio eſt argumentatio ab inferioribus, ſiue particularibus ſufficienter enumeratis ad ſuperiora ſiue vniuerſalia: vnde hoc argumentum eſt inductio: *hic ignis calefacit, ille ignis calefacit, & nullus eſt ignis, qui non calefaciat, ergo omnis ignis calefacit.*

4. Enthymema definitur à Boetio: *eſt oratio in qua non omnibus præmiſſis propoſitis feſtinata concluſio infertur.* Hoc argumentum componitur ex duabus propoſitionibus, quarum prima vocatur antecedēs, & ſecunda conſequens, *vt Petrus eſt homo: ergo eſt animal.*

5. Syllogiſmus, qui eſt perfectiſſimus argumentandi modus, definitur ab Ariſtotele in primò l. Prior. c. 1. *Eſt oratio, in qua quibusdam poſitis, aliud quid à poſitis neceſſe eſt contingere, eo quod hæc ſint.*

6. Hinc colliges primò, tres propoſitiones requiri ad formandum Syllogiſmum, quarum duæ primæ vocantur præmiſſæ, & habent rationem antecedentis reſpectu tertiæ, quæ vocatur conſequens, ſiue concluſio, quia infertur, & ſequitur ex præmiſſis, vt patet in hoc Syllogiſmo. *Omne animal eſt viuens, ſed omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt viuens.* Prima Propoſitio *omne animal eſt viuens* vo-

catur maior, ſecunda propoſitio: *ſed omnis homo eſt animal* vocatur minor, tertia propoſitio: *ergo omnis homo eſt viuens* vocatur conſequentia.

7. Colliges ſecundò tres conditiones requiri ab bonum Syllogiſmum: primò vt conſequentia neceſſariò ſequatur ex diſpoſitione præmiſſarum, ita vt ſeruata eàdem terminorum diſpoſitione in quacumque materia, ſemper ſequatur, quòd eſt conſequentiam ſequi formaliter,& nō ſolū materialiter,vt dictum eſt c.1.n.6. ſecūdò, vt id quod ſequitur ex diſpoſitione præmiſſarū ſit propoſitio diſtincta à præmiſſis: tertiò vt ſequatur præcisè ex præmiſſis, quæ ſunt poſitæ in Syllogiſmo, adeoque non debeat poni alius Terminus, vel alia propoſitio, vt ſequatur conſequentia;

CAPVT III.

De regulis Generalibus bonæ Conſequentiæ.

1. Ntequam de Syllogiſmo copioſiùs agamus, neceſſe eſt tradere aliquas regulas, quæ inſeruiunt ad diſcernendas conſequentias bonas à malis. Huiuſmodi regulæ fundantur in quibusdam primis principijs, quorum primum eſt hoc.

2. Ex vero non ſequitur niſi verum: hoc eſt

eſt,in bona conſequentia ſi antecedens eſt verũ, etiam conſequens eſt verum. In hoc principio fundatur prima regula,quæ eſt iſta.Si antecedẽs eſt neceſſarium, conſequens etiam eſt neceſſarium, quòd ſi antecedens eſt poſſibile,vel contingens, conſequens etiam eſt poſſibile, vel contingens: in hoc argumento *homo currit,ergo mouetur* ex antecedenti poſſibili ſiue contingenti infertur conſequens poſſibile, ſiue contingens, ſicuti enim contingit hominem currere, ita contingit hominem moueri. In hoc argumento. *Homo eſt animal,ergo eſt viuens* antecedens eſt neceſſarium, & conſequens etiam neceſſarium, quia neceſſe eſt hominem eſſe viuentem: hinc colliges conſequentiam non eſſe bonam quando antecedens eſt verum & conſequens falſum:*vt Petrus eſt homo,ergo eſt Angelus.*

3. Secundum Principium eſt: falſum non ſequitur niſi ex falſo. In hoc principio fundatur alia regula bonæ conſequentię,quæ eſt illa: ſi conſequens eſt falſum, antecedens etiam eſt falſum, alioquin falſum ſequeretur ex non falſo contra huius principij veritatem. Ratio, cur falſum non ſequitur niſi ex falſo eſt manifeſta, quia ex verò non poteſt ſequi falſum, vt oſtenſum eſt in hoc eodem capite numero ſecundò; ſed ex verò poteſt ſequi falſum, ſi falſum poſſet ſequi ex eo, quòd non eſt falſum, ergo falſum non ſequitur niſi

ex falſo, adeoque vel nulla eſt conſequentia vnius propoſitionis ab alia, vel ex falſitate conſequentis ſequitur falſitas antecedentis, idcircò ab oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, quia ergò ex homine infertur animal, ſi falſum eſt, aliquid eſſe animal, erit etiam falſum, eſſe hominem. Ratio à priori huius doctrinæ eſt, quia nullum verum poteſt cohærere cum falſo: ſi ergo aliquid eſt falſum, erit etiam falſum id, vnde ſequitur, alioquin verum cohæret cum falſo, quod repugnat.

4. Hinc colliges quòd antecedẽs eſt impoſſibile ſi conſequens eſt impoſſibile, vt patet in hoc argumento: *lapis eſt homo, ergo eſt animal*; conſequentia eſt optima, ſed quià conſequens eſt impoſſibile, cum impoſſibile ſit lapidem eſſe animal ex impoſſibilitate conſequentis ſequitur impoſſibilitas antecedentis.

5. Præterea ſi conſequens eſt contingens, vel poſſibile, antecedẽs nõ eſt neceſſarium: ratio eſt, quia quod eſt neceſſario verum, non poteſt eſſe falſum, quod autem eſt contingenter verum, poteſt eſſe falſum, ergo ſi conſequens eſſet contingens, & antecedẽs neceſſarium poſſet conſequens eſſe falſum, quando antecedẽs eſt verum, adeoque falſum ſequeretur ex vero contra idem principium.

6. Tertium principium eſt: ex falsò poteſt ſequi vt verum, vel falſum. Hoc principium eſt

ita

ita intelligendum, vt faciat hunc ſenſum. In bonâ conſequentiâ poteſt fieri vt aliquando ex antecedente falſo inferatur conſequens verum, vt patet in hoc argumento *homo eſt lapis, ergo eſt ſubſtantia*; cõſequentia eſt bona, & conſequens eſt verum, licèt antecedens ſit falſum. In hoc principio fundatur tertia regula, quæ eſt huiuſmodi. Ex antecedente impoſſibili poteſt inferri conſequens aliquando impoſſibile aliquando contingens, aliquando neceſſarium. Exemplum conſequentis impoſſibilis eſt hoc. *Equus eſt homo, ergo eſt animal rationale*: conſequentia eſt bona, ſed conſequens eſt impoſſibile, ſicuti eſt impoſſibile antecedens. Exemplum contingentis eſt: *homo volat, ergo mouetur*. Conſequentia eſt bona, & conſequens eſt contingens, licet antecedens ſit impoſſibile. Exemplum conſequentis neceſſarij eſt: *equus eſt homo, ergo eſt animal*: conſequens eſt neceſſarium, & antecedens impoſſibile.

7. Quartum principium eſt. Conſequens verum inferri poteſt aliquãdo ex antecedẽti vero, aliquando ex antecedẽti falſo. In hoc principio fundatur quarta regula videlicet conſequens neceſſarium infertur aliquando ex antecedẽti impoſſibili, vt *equus eſt homo, ergo eſt animal* aliquando ex neceſſario, vt *equus eſt hinnibilis, ergo eſt animal*: aliquando etiam ex contingenti *equus currit, ergo eſt animal*.

Quin-

8. Quinta regula eſt huiuſmodi. In bonâ conſequentiâ ex contradictorio conſequentis bene infertur contradictorium antecedentis, non autem ex contradictorio antecedentis contradictorium conſequentis, vt in hac conſequentia, quæ eſt optima: *eſt homo, ergo eſt animal*, valet argumentari à contradictorio conſequẽtis ad contradictorium antecedentis hoc pacto: *non eſt animal, ergo non eſt homo*, at è contrario nõ valet *non eſt homo: ergo non eſt animal*, quia equus eſt animal, licet non ſit homo.

9. Sexta, & vltima regula eſt iſta. Quidquid infertur ex cõſequẽti infertur ex antecedẽti & ex quocumque infertur antecedens, infertur etiam conſequens: ita in hac conſequentiâ; *eſt homo, ergo eſt animal*: quiâ ex animali infertur viuens, ex viuente ſubſtantia, ideò ex homine infertur viuens, & ſubſtantia, adeoque eſt legitima hæc conſequentia. *Homo eſt animal, & animal eſt viuens, & viuens eſt ſubſtantia, ergo de primo ad vltimum homo eſt ſubſtantia*, Eodem pacto quando antecedens, ex quo in bona conſequentia infertur conſequens, infertur ex alio antecedenti, idem conſequens infertur ex eodem antecedenti: vt *Petrus eſt animal: ergo eſt viuens*, quiâ hoc antecedens *Petrus eſt animal* infertur ex alio antecedenti, videlicet *Petrus eſt homo*; ex hoc eodem anteceden-

ti,

ti Petrus eſt homo. infertur prædictum conſequens, *ergo eſt viuens*.

CAPVT IV.

De principijs præcipuis ſyllogiſmi.

1. PRæcipuam ſpeciē argumentationis diximus eſſe ſyllogiſmum, qui ſi benè conficiatur iuxta leges benè ſyllogizandi, quàs *infra* trademus, non poſſunt eſſe veræ duæ pręmiſſæ, quæ habent rationem antecedentis, quin ſit vera conſequentia: vnde ſequitur non poſſe ſine manifeſta contradictione negari conſequentiā conceſſā vtràque præmiſſà, quando argumentum eſt in formà. Tota difficultas eſt in tradendà arte bene ſyllogizandi, quà cognita facilè erit diſcernere ſyllogiſmos benè concludentes à ſyllogiſmis ſophiſticis, & fallacibus. Hanc artem traditurus in capitibus ſequentibus neceſſarium nobis eſt de illis agere, ex quibus componitur ſyllogiſmus.

2. Principium alicuius rei dicitur illud, à quo res habet eſſe: huiuſmodi eſt duplex, aliud intrinſecum, quod vocatur intrinſecum conſtitutiuum rei, vt anima eſt principium intrinſecum hominis, quià intrinſecè conſtituit hominem: aliud eſt principium extrinſecum, quod videlicet requiritur, vt res ſit, quamuis non

non pertineat ad intrinſeca eius conſtitutiua. idea domus, quam habet artifex in mente dum ſabricat domum dicitur principium extrinſecum domus. De principijs extrinſecis cuiuſcumque ſyllogiſmi agemus in cap. præſenti, de intrinſecis in ſequenti.

3. Principia extrinſeca, quæ regulant omnes ſyllogiſmos, ſunt duo principia vniuerſaliſſima, & nota lumine naturæ, quæ ab Ariſtotele in lib. 1. Prior. c. 1. appellantur *dici de omni*, & *dici de nullo*, ſiue *dictum de omni*, & *dictum de nullo*.

4. *Dici de omni* nihil aliud formaliſſimè eſt, quàm prædicatum, quod dicitur de ſubiecto vniuerſali, dici de ſingulis in ſubiecto incluſis, vt patet iſto exemplo. Hoc prædicatum *animal* in iſtà propoſitione *omnis homo eſt animal*, dicitur de ſubiecto vniuerſali, hoc eſt, de omni homine; ideò debet dici de Petro, qui eſt homo: hinc eſt quòd iſte ſyllogiſmus, qui regulatur ab hoc principio eſt optimus. *Omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo, Ergo Petrus eſt animal.*

5. *Dici de nullo* nihil aliud formaliſſimè eſt, quàm prædicatum, quod negatur de ſubiecto vniuerſali, negari etiam de ſingulis incluſis in ſubiecto: ita hoc prædicatum *hinnibile*, in iſtà propoſitione *nullum rationale eſt hinnibile*, negatur de ſubiecto vniuerſali hoc eſt,

de

de omni rationali, ideo negari debet de homi-ne, qui eſt rationalis, vt patet in hoc ſyllogiſmo, qui eſt optimus. *Nullum rationale eſt hinnibile ſed omnis homo eſt rationalis, Ergo nullus homo eſt hinnibilis.*

6. In his duobus principijs fundatur tota vis ſyllogiſtica, quia eatenus eſt bona conſequentia à præmiſſis ad concluſionem, quatenus verum eſt prædicatum, quod affirmatur, vel negatur de ſubiecto vniuerſali, affirmari etiam vel negari de ſingulis in ſubiecto vniuerſali incluſis,

7. Syllogiſmi alij ſunt affirmatiui, in quibus concluſio eſt affirmatiua, alij negatiui, in quibus concluſio eſt negatiua. Syllogiſmi affirmatiui, regulantur ab hoc principio *dici de omni*, quod principium eſt affirmatiuum; ſyllogiſmi negatiui regulantur ab alio principio *dici de nullo*, quod eſt negatiuum.

8. Obijcies contrà hanc doctrinam. Syllogiſmus expoſitorius eſt optimus ſyllogiſmus, vt patet in hoc argumento. *Hic homo currit, ſed Petrus eſt hic homo; ergo Petrus currit.* Sed iſte ſyllogiſmus affirmatiuus non regulatur ab hoc principio *dici de omni*, quià non continet propoſitionem vniuerſalem, ergò falſum eſt, omnem ſyllogiſmum affirmatiuum regulari ab hoc principio *dici de omni*.

9. Reſpondeo concedo maiorem, & di-

ſtin-

ſtinguo minorem. Syllogiſmus expoſitorius non continet formaliter, & explicitè aliquam propoſitionem vniuerſalem: concedo minorem non continet æquiualenter, & implicitè: nego minorem, & conſequentiam. Syllogiſmus expoſitorius eſt ille, qui formatur ex propoſitionibus habentibus quantitatem ſingularem: vna ex propoſitionibus, quæ formant hunc ſyllogiſmum debet eſſe ſaltem æquiualenter vniuerſalis, vt ſyllogiſmus bene concludat, ideò in prædicto ſyllogiſmo maior propoſitio *hic homo currit* æquiualet propoſitioni vniuerſali: *quicquid eſt hic homo currit*. Hinc redditur ratio à Theologis, cur non liceat argumentari in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis in hunc modum *Hic Deus eſt Pater, Sed filius eſt hic Deus, ergo Filius eſt Pater*. Quià maior propoſitio ſi facit ſenſum vniuerſalem, vt debet facere, ſi ſyllogiſmus bene concludit, eſt falſa, quia non quicquid eſt hic Deus, eſt Pater, cum Filius, & Spiritus Sanctus, qui non ſunt Pater, ſint Deus.

CAPVT V.

De principijs intrinſecis ſyllogiſmi.

1. SIcuti omnes res naturales, quæ ſunt aliquod compoſitum Phyſicum componun-

nuntur ex materia, & forma, ita ſyllogiſmus, qui eſt compoſitum Logicum componitur ex materia, & forma tanquam ex principijs intrinſecis, quæ propterea in materialia, & formalia diuiduntur.

2. Principia materialia alia ſunt remota, vt termini, ex quibus formantur propoſitiones, alia proxima, vt propoſitiones, quæ formant ſyllogiſmos,

3. In quolibet ſyllogiſmo debent eſſe tres termini tantùm, & duæ propoſitiones, quę ſunt duæ præmiſſæ, quià omnis ſyllogiſmus eſt oratio inſtituta ad probandam veritatem alicuius propoſitionis, adeoque ad probandum duos Terminos eſſe inter ſe connexos, quod contingit in propoſitione affirmatiuà, vel non eſſe inter ſe connexos, quod accidit in negatiuà: id autem probari non poteſt, niſi aſſumatur aliquod tertium extremum, cum quo oſtendatur eſſe connexa duo extrema propoſita; ita ad probandam connexionem inter hos duos terminos *homo*, & *viuens*, debet aſſumi alius tertius terminus, cum quo illi connectuntur. Ex. gr. *animal*, & ex connexione hominis, & viuentis cum animali infertur connexio hominis, & viuentis inter ſe. Hinc eſt, quòd in omni ſyllogiſmo præmiſsæ continent connexionem duorum terminorũ cum vno tertio, qui deinde connectũtur in cõluſione, vt pa-

ter

tet in hoc ſyllogiſmo. *Omne animal eſt viuens. Sed omnis homo eſt animal. Ergo omnis homo eſt viuens.* hi duo termini *homo*, & *viuens*; qui inferuntur connexi in concluſione, connectuntur in præmiſſis cum vno tertio, nimirum cum hoc termino *animal*. Hic tertius terminus appellatur medius terminus, qui habet duplicem locum, videlicet in maiori, & minori: ille terminus, qui connectitur cum medio termino in maiori vocatur maius extremum, & ille, qui connectitur cum medio termino in minori, vocatur minus extremum.

4. Hinc colliges in ſyllogiſmo prædicto hunc terminum *animal* eſſe medium terminum, quia ponitur in maiori,& minori. Terminus *viuens* eſt maius extremum, & terminus *homo* eſt minus extremum: hi duo termini *viuens*, & *homo* connectuntur cum hoc termino *animal*: qui eſt medius terminus, vnus in maiori, & alius in minori.

5. Principia formalia ſyllogiſmi nihil aliud ſunt, quam forma ſyllogiſtica, videlicet figura,& modus:

6. Figura eſt diſpoſitio terminorum ſecundùm debitam ſubiectionem, & prædicationem, quemadmodum enim in quantitate ſuperficies, quæ clauditur tribus lineis vocatur figura; ità in argumentis connexio trium terminorum inter ſe vocatur figura.

Mo.

7. Modus eſt ordinatio *propoſitionum* inter ſe ſecundùm certam qualitatem, & quantitatem. Hinc eſt, quòd iſte modus ſyllogizandi. *Omne animal eſt viuens; ſed aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt viuens*: Eſt diuerſus ab hoc alio argumentandi modo. *Omne animal eſt viuens, ſed omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt viuens*. Ratio diuerſitatis eſt, quia materia proxima primi ſyllogiſmi eſt duplex propoſitio vna vniuerſalis, altera particularis, cum in ſecundo ſyllogiſmo vtraque ſit vniuerſalis: iſti duo ſyllogiſmi dicuntur eſſe in eadem figura, quià eadem terminorum diſpoſitio ſeruatur in vtroque.

CAPVT VI.

Quotuplex ſit figura, & modus ſyllogizandi.

1. Figura ſyllogiſmi eſt triplex iuxtà triplicem diſpoſitionem medij termini cum reliquis duobus terminis.

2. Prima figura eſt illa, in quà medius terminus eſt ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori: quam figuram Ariſtoteles dicit eſſe omnium nobiliſſimam, vt patet in hoc ſyllogiſmo: *Omne rationale eſt riſibile. Sed omnis homo eſt rationalis: Ergo omnis homo eſt riſibilis.* Vbi ly *rationale*, quod eſt medius terminus

eſt ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori.

3. Secunda figura eſt illa, in quà medius terminus eſt prædicatum in maiori, & minori vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Nulla planta eſt animal: Sed omnis homo eſt animal: Ergo nullus homo eſt planta.* Vbi ly *animal*, quod eſt medius terminus, eſt prædicatum in vtràque præmiſſà.

4. Tertia figura eſt illa, in quá medius terminus eſt ſubiectum in maiori, & minori, vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Omnis homo eſt animal. Sed omnis homo eſt viuens: Ergo aliquod viuens eſt animal.* Vbi ly *homo*, qui eſt medius terminus eſt ſubiectum in vtràque præmiſſà.

5. Duobus modis poteſt argui in primà figurà, videlicet directè, & indirectè. Arguitur directè, quando duo extrema, quæ connectuntur in præmiſſis cum medio termino, ponuntur in concluſione eodem ordine, ac in præmiſſis, hoc eſt, quando maius extremum, videlicet prædicatum maioris, fit etiam prædicatum concluſionis, & minus extremum, quod eſt ſubiectum minoris fit etiam ſubiectum concluſionis vt patet in ſyllogiſmo ſuperiùs allato.

6. Arguitur indirectè, quando duo prædicta extrema non ſeruant eundem ordinem in concluſione, quem habent in præmiſſis, adeòque prædicatum maioris eſt ſubiectum concluſio-

ſionis, & ſubiectum minoris eſt prædicatum conclusionis, vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Omne animal eſt viuens, ſed omnis homo eſt animal; ergo aliquod viuens eſt homo.*

7. In reliquis duabus figuris non poteſt argui niſi indirectè, quia medius Terminus in ſecunda figura eſt prædicatum in vtraque præmiſſa, & in tertia figura eſt ſubiectum.

8. Modi diuerſi arguendi in ſingulis figuris poſſunt eſſe ſexdecim, quia tot poſſunt eſſe combinationes variæ propoſitionum habentium qualitatem, vel quantitatem diuerſam: quia verò dictum eſt in prima figura poſſe argui directè, & indirectè, ideo in prima figura ſunt poſſibiles 32. arguendi modi, complectendo modos directos, & indirectos, vnde ſequitur, quod omnes modi poſſibiles in tribus figuris reducuntur ad 64. modos.

9. Omnes iſti modi poſſibiles non ſunt vtiles ad arguendum, ſed aliqui ſunt vtiles, alij inutiles.

10. Modi vtiles ſunt illi, qui ſemper, & neceſſario concludunt, adeòque nunquam poteſt concedi maior, & minor, & negari conſequentia. Hinc eſt quòd argumentari in aliquo ex modis vtilibus eſt facere ſyllogiſmum in forma.

11. Modi inutiles ſunt illi, qui non ſemper concludunt, adeòq; poteſt concedi maior, & mi-

nor, & deinde negari conſequentia, quia huiuſmodi argumenta non ſunt in formâ.

12. Relictis modis inutilibus, omnes modi vtiles reducuntur ad ſolos decem, & nouem, qui vt altiùs memoriæ inprimantur, in iſtis verſibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti.
Felapton, Diſamis, Datiſi, Boccardo, Feriſon.

CAPVT VII.

De Regulis Generalibus in quacumque figura.

1. ANtequam tradamus Regulas, quæ ſunt in omnibus figuris diligenter obſeruandæ, debemus duo præmittere, quæ pro omnibus ſyllogiſmis inſeruiunt.

2. Primò. medius Terminus debet accipi diſtributiuè in aliquâ præmiſſâ, hoc eſt debet eſſe terminus communis ſupponens diſtributiuè. In propoſitione vniuerſali affirmatiuâ diſtribuitur ſubiectum, vt patet in hac propoſitione *omnis homo eſt animal* in quâ ly *homo* accipitur diſtributiuè pro ſingulis hominibus. In vniuerſali negatiuâ diſtribuitur ſubiectum, & prædicatum, vt in hac propoſitione *nullus*

homo

homo eſt equus diſtribuitur tam *homo*, quàm *equus*, quia ſicuti verùm eſt nullum eſſe hominem, qui ſit equus, ità verum eſt nullum eſſe equum, qui ſit homo. In particulari affirmatiuà nihil diſtribuitur, in particulari negatiuà diſtribuitur prædicatum.

3. Secundò nullum extremum debet diſtribui in concluſione, quod non fuerit diſtributum in præmiſſis, aliter eſſent quatuor termini in ſyllogiſmo, quia vnus terminus acceptus in præmiſſis cum vna ſuppoſitione, & in concluſione cum alia ſuppoſitione æquiualet duobus terminis: vt dictum eſt. Hæc omnia memoriæ gratià continentur his duobus verſibus. *Diſtribuas medium: non plus concluſio, quam præ.*

A ſub diſtribuit, dictum O, nihil I ſed E totum.

4. Pro intelligentia horum carminum notandum eſt quod ly *præ* ſignificat præmiſſas, ly *ſub* ſignicat ſubiectum, & ly *dictum* ſignificat prædicatum.

5. Regulæ generales, quæ obſeruari debent in omnibus figuris ſunt ſequentes. Primò ex præmiſſis particularibus nihil infertur, vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Aliquod animal eſt homo, ſed aliquis equus eſt animal; ergo aliquis equus eſt homo:* Ratio, cùr hic ſyllogiſmus, qui conſtat ex præmiſſis particularibus non concludit, eſt quià medius terminus non diſtribuitur.

6. Secunda Regula. Ex præmiſſis negatiuis nihil infertur vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Nullus lapis eſt homo, ſed nullum animal eſt lapis; ergo nullum animal eſt homo*. Ratio, cur non concludit eſt, quià vnum ex duobus extremis, quæ negantur in concluſione debet affirmari connexum cum medio termino.

7. Tertia Regula. Si aliqua præmiſſa eſt particularis, concluſio etiam debet eſſe particularis, Ratio eſt quià extrema connectuntur inter ſe in concluſione, ex eo quòd inueniantur in præmiſſis connexa cum medio termino; ergo ſi in aliquà ex præmiſſis ſunt connexa particulariter, debent etiã in concluſione connecti particulariter, vt *Omne animal eſt viuẽs, ſed aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt viuens*.

8. Quarta. ſi aliqua præmiſſa eſt negatiua, concluſio etiam, quæ ſequitur debet eſſe negatiua, vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Nullum animal eſt planta, ſed omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt planta*. Ratio eſt, quià concluſio ſemper ſequitur partem debiliorem.

9. Quinta Regula. Medius terminus non debet poni in concluſione, aliter concluſio non eſſet propoſitio diſtincta à præmiſſis. Hæ omnes Regulæ, vt meliùs retineantur, in iſtis verſibus continentur.

Partibus ex puris ſequitur nil, ſiue negatis,
Si qua præit partis, ſequitur concluſio partis,

Si qua negata præit, concluſio ſitque negata,
Lex generalis erit: medium concludere neſcis.

CAPVT VIII.

De Regulis particularibus cuiuſcumque figuræ.

1. QVando arguitur directè in primà figurà duæ ſunt regulæ, quarum prima eſt iſta. Si minor propoſitio eſt negatiua, nihil concluditur, vt patet conſideranti omnes modos directos benè concludentes, in quibus nullus inuenitur, qui habeat minorem negatiuam: ita hic arguendi modus non concludit. *Omnis homo eſt animal, ſed nullus equus eſt homo: ergo nullus equus eſt animal.* Ratio eſt, quià non valet argumentari à termino non diſtributo ad diſtributum.

2. Secunda Regula. Si maior propoſitio eſt particularis nihil concluditur, vt in hoc ſyllogiſmo. *Aliquod animal eſt homo, ſed omnis equus eſt animal: ergo aliquis equus eſt homo.* Ratio eſt, quia medius terminus non diſtribuitur. Pro ſecundà figurà traduntur aliæ regulæ, quarum prima eſt. Ex puris affirmatiuis in ſecunda figura nihil concluditur, vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Omnis Angelus eſt ſubſtantia, ſed omnis homo eſt ſubſtantia: ergo omnis homo eſt An-*

gelus. Ratio eſt quià,medius terminus,qui prædicatur in vtràque præmiſſà non diſtribuitur, cũ vniuerſalis affirmatiua,diſtribuat ſubiectum.

3. Secunda Regula eſt. Quando maior eſt particularis,ſyllogiſmus non concludit, vt patet in hoc exemplo. *Aliquod coloratum eſt album, ſed nullum nigrum eſt album ; ergo aliquod nigrum non eſt coloratum*. Ratio eſt, quià arguitur à non diſtributo ad diſtributum, ly enim *coloratum* non diſtribuitur in maiori, quæ eſt particularis affirmatiua, & diſtribuitur in concluſione, quæ eſt particularis negatiua.

4. Tertia Regula eſt, concluſio quæ infertur in modis pertinentibus ad ſecundam figuram debet ſemper eſſe negatiua. Ratio eſt, quià ſi præmiſſæ ſunt affirmatiuæ, nihil concluditur, vt dictum eſt, ergo ſaltem vna præmiſſa debet eſſe negatiua, ſed non poteſt vna præmiſſa eſſe negatiua, quin concluſio ſit etiam negatiua, vt dictum eſt, ergo, &c.

5. Demum pro tertià figurà duæ regulæ afferuntur, quarum prima eſt. Si minor propoſitio eſt negatiua,nihil concludit; vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Omnis homo eſt animal, ſed nullus homo eſt equus. ergo nullus equus eſt animal*. Ratio eſt, quia arguitur à non diſtributo ad diſtributum, prædicatum enim diſtribuitur in concluſione,quæ eſt negatiua, & non diſtribuitur in maiori, quæ eſt affirmatiua.

6. Se-

6. Secunda Regula eſt. Concluſio debet eſſe ſemper particularis in tertiâ figurâ, ideò non eſt bonus iſte ſyllogiſmus. *Omne animal eſt viuens, ſed omne animal eſt ſubſtantia: ergo omnis ſubſtantia eſt viuens*. Quòd ſi loco vniuerſalis concluſionis inferatur concluſio particularis: ergo *aliqua ſubſtantia eſt viuens* ſyllogiſmus eſt bonus, vt patet.

CAPVT IX.

De modo reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad perfectos.

1. INter modos vtiles argumentandi, quos diximus eſſe decem, & nouem, aliqui ſunt perfecti, & alij imperfecti, vnde patet non eſſe idem ſyllogiſmum eſſe inutilem, & eſſe imperfectum, quià ſyllogiſmus imperfectus benè concludit, & ſyllogiſmus inutilis non benè concludit.

2. Diſcrimen inter ſyllogiſmum perfectum & imperfectum traditur ab Ariſtotele in lib. 1. Priorum cap. 1. his verbis. *Perfectum itaque voco ſyllogiſmum nullo alio indigentem præter propoſitiones aſſumptas, vt neceſſarius appareat, imperfectum verò indigentem, aut vnius, aut plurium, quæ ſunt quidem neceſſa-*

ria

ria per ſubiectos terminos, non tamen aſſumpta ſunt per propoſitiones.

3. Ex his Ariſtotelis verbis infertur eſſe commune tàm perfectis, quàm imperfectis ſyllogiſmis, vt concluſio ſequatur neceſſariò ex præmiſſis, differre verò perfectos ab imperfectis ſyllogiſmis, quod in ſyllogiſmis perfectis apparet euidenter concluſionem ſequi, in ſyllogiſmis verò imperfectis non adeò euidenter apparet, ideò requiritur aliquid aliud, vt euidentiſſimè appareat concluſionem ſequi.

4. Hinc colliges ſolos quatuor primos arguendi modos in primâ figurâ, qui vocantur directi, eſſe perfectos, cæteros eſſe imperfectos. Ratio eſt, quia euidentiſſimum eſt quatuor prædictos modos regularià duobus principijs: *dici de omni*, & *dici de nullo*, quòd non eſt adeò euidens in reliquis argumentandi modis, vt patet conſideranti.

5. Quià verò omne imperfectum reduci poteſt ad aliquod perfectum, ideò Logici inuenerunt modum reducendi omnes ſyllogiſmos imperfectos ad primos quatuor perfectos, adeoque oſtendendi concluſionem neceſſariò ſequi ex præmiſſis diſpoſitis in omnibus modis vtilibus argumentandi, qui continentur in quatuor verſibus prædictis.

6. Duplex datur modus reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad perfectos, vnus eſt per oſten-

oſtenſionem, alius per impoſſibile.

7. Reductio per oſtenſionem fit quandò eadem concluſio, quæ infertur in aliquo ex modis imperfectis, infertur etiam ſub iiſdem terminis in aliquo ex modis perfectis, adhibita conuerſione alicuius præmiſſæ.

8. Reductio ad impoſſibile fit, quando ex contradictorio propoſitionis, quæ infertur in aliquo ſyllogiſmo ex modis imperfectis, cum vnà præmiſſà eiuſdem ſyllogiſmi, infertur argumentando in aliquo ex modis perfectis contradictorium alterius propoſitionis, adeoque oſtenditur non poſſe antecedens eſſe falſum, & conſequens verum.

9. Exemplis totum declaratur. formet aliquis hunc ſyllogiſmum in *Cæſare*, qui neceſſariò eſt imperfectus, quià eſt in ſecundà figurà. *Nullus lapis eſt animal, ſed omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis*, Hic ſyllogiſmus reducitur oſtenſiuè, vel per oſtenſionem ad ſyllogiſmum in *Celarent*, qui eſt ſyllogiſmus perfectus, conuertendo propoſitionem maiorem conuerſione ſimplici in hunc modum *Nullum animal eſt lapis; Sed omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis*. Ecce argumentum perfectum, in quo ſub iiſdem terminis eadem concluſio infertur, quæ fuit illata in ſyllogiſmo imperfecto.

10. Formet aliquis hunc alium ſyllogiſ-

mum

mum in *Boccardo*, qui eſt in tertià figurà, adeoque eſt modus imperfectus, *Aliquis homo non eſt lapis ; ſed omnis homo eſt rationalis, ergo aliquod rationale non eſt lapis*. Hic ſyllogiſmus reducitur ad ſyllogiſmum in *Barbara* per reductionem ad impoſſibile hoc pacto. Sumatur propoſitio contradictoria concluſionis quæ erit iſta; *Omne rationale eſt lapis*, & iſta ſit maior ſyllogiſmi in *Barbara*, deinde pro minori ſumatur minor primi ſyllogiſmi videlicet *omnis homo eſt rationalis*, infertur per ſyllogiſmum in *Barbara*, hæc concluſio, *ergo omnis homo eſt lapis*, ſed hæc propoſitio eſt contradictoria huius propoſitionis *aliquis homo non eſt lapis*, quæ eſt maior propoſitionis ſyllogiſmi in *Boccardo*: ergo non poteſt eſſe conſequens falſum, dum arguitur in *Boccardo* quin eo ipſo ſit falſum antecedens, adeoque ille modus argumentandi eſt optimus Eodem pacto ſi quis hunc ſyllogiſmũ *in Barocco Omne riſibile eſt homo: aliquis lapis non eſt homo: ergo aliquis lapis non eſt riſibilis*: Velit per reductionem ad impoſſibile reducere ad ſyllogiſmum in *Barbara*, debet ex maiori propoſitione, & minori, quæ debet eſſe contradictoria conſequentis inferre concluſionem contradictoriam minoris in hunc modum. *Omne riſibile eſt homo, omnis lapis eſt riſibilis, ergo omnis lapis eſt homo*. Hæc concluſio quæ infertur in ſyllogiſmo in *Barbara*, *ergo omnis lapis eſt homo*

con-

contradicit illi propoſitioni, quæ eſt minor in ſyllogiſmo in *Barocco*, *aliquis lapis non eſt riſibilis.*

10. Difficultas eſt declarare primò quinam ſint illi modi inter ſyllogiſmos perfectos ad quos reducendi ſunt, vel per oſtenſionem, vel per impoſſibile ſinguli imperfecti: ſecundò qua reductione ſinguli ſint reducendi, oſtenſiuè ne, an per impoſſibile: tertiò quænam propoſitio conuertenda ſit, dum ſit reductio per oſtenſionem.

11. Pro ſolutione huius difficultatis debemus recolere ſingula verba, ex quibus componuntur quatuor illa carmina *Barbara celarent &c.*, deinde conſiderare primas litteras, quæ inueniuntur in iſtis quatuor verbis *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *ferio*: quibus reſpondent quatuor modi perfecti, vt dictum eſt: huiuſmodi litteræ ſunt *B.C.D. & F.*, omnia alia verba, per quæ ſignificantur reliqui modi imperfecti argumentandi, incipiunt per aliquam ex iſtis quatuor literis, vt facilè patebit conſiderantibus. Hinc eſt quod omnes illi modi, qui incipiunt per litteram B. reducendi ſunt ad *Barbara*, qui per literàm C. ad *Celarent*, qui per litteram D ad *Darij*, & qui incipiunt per litteram F ad *Ferio*.

12. In omnibus modis fieri poteſt reductio per oſtenſionem exceptis illis, qui ſignificantur

cantur verbis includentibus litteram *C*, quales ſunt ſyllogiſmus in *Barocco*, & ſyllogiſmus in *Boccardo*, qui non poſſunt reduci ad ſyllogiſmum in *Barbara*, niſi per reductionem ad impoſſibile,

13. Præterea debemus obſeruare tres alias literas conſonantes *S*, *P*, & *M*, quarum prima nimirum littera *S*, ſignificat propoſitionem, quæ ſignificatur per vocalem antecedentem, conuertendam eſſe ſimpliciter, ſecunda nimirum *P* ſignificat conuerſionem faciendam eſſe per accidens, tertia videlicet *M* ſignificat faciendam eſſe mutationem præmiſſarum, ita vt maior mutetur in minorē, & minor in maiorem. Declaratur hoc totum præſenti exemplo. formet aliquis hunc ſyllogiſmum in *Cameſtres*. *Omnis homo eſt animal, Sed nulla planta eſt animal, ergo nulla planta eſt homo*. Hic ſyllogiſmus debet oſtenſiuè reduci ad ſyllogiſmum in *Celarent*: quia inuenitur in hoc verbo *Cameſtres* duplex littera *S* vna poſt ſecundam vocalem *E*, & alia poſt tertiam vocalem ſimiliter *E*, & duæ vocales ſignificant, minorem, & concluſionem eſſe propoſitiones vniuerſales negatiuas, huiuſmodi ſunt conuertendæ ſimpliciter, adeoque concluſio conuerti debet in hanc propoſitionem *nullus homo eſt planta*; minor propoſitio conuerti debet in iſtam: *nullum animal eſt planta*: rurſus quia inuenitur litera *M*,

quæ

quæ ſignificat mutationem præmiſſarum, minor debet fieri maior, & maior minor in hunc modum. *Nullum animal eſt planta, ſed omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt planta*. Qui ſyllogiſmus eſt perfectus, & concludit in *Celarent*.

CAPVT VLTIM.

De ſyllogiſmo ſophiſtico, ſiue fallacijs.

1. PRopoſitis, & declaratis modis tàm perfectis, quàm imperfectis argumentandi, debemus pro complemento ſummularum aliqua de ſyllogiſmo ſophiſtico, ſiue de fallacijs leuiter delibare, ex quibus formari ſolent argumentationes ſubdolæ, & captioſæ, eà de cauſa ita appellatæ, quia rudes Philoſophi ita ab ijs capiuntur, vt neſciant verùm à falso diſcernere, quarè operæpretium erit præcipuas fallacias exponere, & ſimul tradere modos eas ſoluendi, vt omnes habeant in promptu ea, quibus poſſint diſſoluere ſophiſmata ſibi obiecta, & ita ſophiſtarum conatus eludere, fruſtrà enim iacitur rete ante oculos pennatorum.

2. Ad conſtituendam fallaciam, ſiue ad formandum argumentum ſophiſticum duo requiruntur, videlicet ſimilitudo, quam habet falſum cum vero; mouens intellectum, ſiue ima-

ſmaginationem ad errandum. Hæc ſimilitudo eſt occaſio deceptionis, adeoque appellatur cauſa apparentiæ, quià intellectus non bene diſtinguens confundit vnum cum alio, & ita decipitur, accipiendo falſum prò vero. Alterum, quod requiritur ad formandam fallaciam eſt diſſimilitudo, & vera differentia, quæ eſt inter falſum, & verum; hæc diſſimilitudo vocatur cauſa non exiſtentiæ, quià intellectus; qui perfectè diſtinguit, ſtatim attingit illam differentiam, quę diſcernit falſum à vero.

3. Hoc exemplo rem totam declaro. Hic ſyllogiſmus eſt ſophiſticus, & includit fallaciam. *Omnis canis latrat: Sed ſydus cœleſte eſt canis, Ergo ſydus cœleſte latrat*. Fallacia huius ſyllogiſmi conſiſtit in illa voce *canis*, quæ cum ſit terminus æquiuocus vt dictum eſt, Par.pr. cap.5. num.4. ſumitur perinde ac ſi eſſet terminus vniuocus. Cauſa igitur apparentiæ in illa fallacia eſt illa ſimilitudo, quæ eſt inter terminum æquiuocum *canis*, & terminum vniuocum *animal*, ſicuti enim animal dicitur de homine, de equo, &c. animalibus, ita canis dicitur de cane Maritimo, Cœleſti, & Terreſtri; Cauſa non exiſtentiæ eſt diſſimilitudo, quæ intercedit inter terminum æquiuocum, *canis*, & terminum vniuocum *animal*, quia ratio per hoc nomen *canis* ſignificata eſt omninò diuerſa in cane Maritimo; Celeſti, & Terreſtri, ratio verò ſigni-

gnificata per terminum vniuocum *animal* eſt omninò eadem in ſingulis animalibus.

4. Omnes fallaciæ reducuntur ad duo genera, ſicuti duæ ſunt cauſæ, ex quibus naſcitur diuerſitas apparentiæ, in qua fundatur omnis fallacia.

5. Vnum genus eſt earum, quæ dicuntur in dictione, quales ſunt omnes illæ, quæ habent cauſam ſuæ apparentiæ in ſolis vocibus. Aliud genus eſt earum, quæ dicuntur extrà dictionem, hoc eſt, earum, quæ cauſam ſuæ apparentiæ non habent in vocibus, ſed in rebus per voces ſignificatis.

6. Antequàm de ſingulis vtriuſque generis fallacijs agemus, notandum eſt ſyllogiſmum, in quo inuenitur fallacia, non eſſe ſyllogiſmum formalem. Hinc eſt, quòd poteſt concedi maior, & minor, & deinde negari conſequentia, oſtendendo fallaciam argumenti.

7. Fallaciæ in dictione ſunt ſex. Aequiuocatio; Amphibologia, Accentus, Compoſitio, Diuiſio, & Figura dictionis.

8. Fallacia æquiuocationis eſt error proueniens ab vna voce ſignificante plura diuerſa: hac fallacia laborat iſte ſyllogiſmus. *Ridere, eſt mouere labra: Sed prata rident: Ergo prata mouent labra.*

9. Aequiuocatio conſiſtit in illa voce *ride-*

re, quæ cum ſignificet res diuerſas, in maiori propoſitione ſignificat riſum proprium hominis, & in minori ſignificat riſum improprium, atque metaphoricum.

10. Fallacia Amphibologiæ eſt error proueniens ab vna oratione,quæ poteſt habere plures ſenſus.Huiuſmodi fallacia inuenitur in hoc ſyllogiſmo. *Quicquid eſt Ariſtotelis poſſidetur ab Ariſtotele: Sed hæc Logica eſt Ariſtotelis. Ergo hæc Logica poſſidetur ab Ariſtotele.*

11. Fallacia conſiſtit in illâ oratione, *quicquid eſt Ariſtotelis*, quæ, in maiori ſignificat rem ab Ariſtotele poſſeſſam, & in minori ſignificat Logicam ab Ariſtotele compoſitam.

12. Fallacia accentus eſt error proueniens ex diuerſâ ſignificatione, quæ oritur ex diuerſâ pronunciatione accentus, vel quantitatis alicuius ſyllabæ: hæc fallacia eſt in iſto ſyllogiſmo. *Omnis populus eſt arbor: Sed Roma eſt populus: Ergo Roma eſt arbor.* Soluitur fallacia oſtendendo diuerſam ſignificationem, quam habet, hæc vox *populus*, cuius prima ſyllaba eſt longa, ab eà, quam habet eadem vox, cuius prima ſyllaba eſt breuis.

13. Fallacia compoſitionis committitur quando ſenſus diuiſus eſt verus, & ſenſus compoſitus falſus, & arguitur à ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum,vt patet in hoc ſyllogiſmo. *Omnem hominem currere eſt poſſibile: Sed Petrus*

qui

qui nunc ſedet eſt homo: Ergo Petrum nunc ſedentem currere eſt poſſibile

14. Soluitur hæc fallacia diſtinguendo ſenſum compoſitum à ſenſu diuiſo in hunc modum *Omnem hominem currere eſt poſſibile* in ſenſu compoſito cum ſeſſione: nego maiorem in ſenſu diuiſo à ſeſſione, concedo maiorem, & deinde conceſſà minori diſtinguo conſequens; *ergo Petrum nunc ſedentem currere eſt poſſibile* in ſenſu diuiſo concedo conſequentiam: eſt poſſibile in ſenſu compoſito, nego conſequentiam.

15. E contrariò fallacia diuiſionis committitur, quando à ſenſu compoſito vero arguitur ad ſenſum diuiſum falſum, vt patet in hoc argumento. *Iuuenes eſſe ſenes eſt impoſſibile: Sed homines ſunt iuuenes: Ergo homines eſſe ſenes eſt impoſſibile.* Soluitur ſimiliter hæc fallacia diſtinguendo ſenſum diuiſum à ſenſu compoſito.

16. Fallacia figuræ dictionis eſt error proueniens ex eo, quod nomen vnius prædicamenti ſumitur pro alio prædicamento, vt iſte ſyllogiſmus. *Quicquid emiſti, comediſti; Sed emiſti carnes crudas; Ergo comediſti carnes crudas.*

17 Fallacia conſiſtit in eo, quod à Prædicamento ſubſtantiæ fit tranſitus ad prædicamentum qualitatis. Extra dictionem plurimæ fallaciæ committuntur.

18. Prima eſt fallacia accidentis, quæ tunc

committitur, quando vni rei tribuimus omnia, quæ tribuimus alteri, quæ tamen non conueniunt illi, qua parte eſt vna res cum alia, exiſtimantes id licere propter identitatem, & vnitatem. Hac fallacià laborant omnes ſyllogiſmi, in quibus adhibentur Termini cum ſuppoſitione, vel appellatione diuerſà, de quibus actum eſt ſuo loco. Ita hic ſyllogiſmus. *Veritas eſt Terminus abſtractus; Sed Deus eſt veritas: Ergo Deus eſt terminus abſtractus.* Habet fallaciam accidentis, quià ille terminus *veritas* in maiori ſupponit ſimpliciter, & in minori perſonaliter.

15. Secunda fallacia eſt ſecundum quid, & ſimpliciter, hæc ſolet eſſe frequentiſſima in argumentis, & committitur quandò aliquod prædicatum dicitur de ſubiecto ſimpliciter, quod illi conuenit ſecundum aliquam partem; in quo caſu arguitur à ſecundum quid ad ſimpliciter, vt *Aethiops eſt albus ſecundus dentes, ergo eſt albus*; conſequentia non valet, quià arguitur à ſecundum quid ad ſimpliciter.

20. Eadem fallacia committitur, quandò aliquod prædicatur de ſubiecto ſecundum partem, quod illi conuenit ſimpliciter, in quo caſu arguitur à ſimpliciter ad ſecundum quid vt *homo eſt mortalis; ergo eſt mortalis ſecundum animam*; conſequentia non valet propter eandem rationem. Hùc ſpectant omnes fallaciæ.

quæ committuntur, dum arguitur à termino diminuto, vel diſtracto ad terminum non diminutum vel non diſtractum.

22. Tertia Fallacia eſt ignoratio Elēchi, pro quà intelligendà; ſupponendum eſt, Elenchum eſſe ſyllogiſmum contradictionis, ideſt probantem contradictorium eius, quod fuit conceſſum, vel ſimul inferentem duo contradictoria, quod ſi verè probet; dicitur verus Elenchus, ſi falsò, dicitur ſophiſticus, & in eo conſiſtit huiuſmodi fallàcia, quæ tunc committitur, quando arguitur in concluſione contradictorium antecedentis non ſeruatis legibus veræ contradictionis. Vt *Petrus velociter currit, & non currit tardè, ergo currit, & non currit*. Conſequentia non valet, quià velociter currere, & tardè non currere non ſunt contradictoria.

22. Quarta fallacia eſt fallacia conſequentis, quæ committitur, quando arguitur à contradictorio antecedentis ad contradictorium conſequentis, vel ab affirmatione conſequentis ad affirmationem antecedentis, ita hic ſyllogiſmus. *Qui dicit te eſſe equum, dicit te eſſe animal; Sed qui dicit te eſſe equum dicit falſum: Ergo qui dicit te eſſe animal, dicit falſum*. Habet fallaciam conſequentis, quia non valet conſequentia. *non eſt equus: ergo non eſt animal*.

23. Quinta fallacia vocatur petitio principij

cipij, & committitur quando probatur idem per idem, aut aſſumitur res ignotior, vel æquè ignota ad aliquod probandum, vt ſi quis volens probare Logicam eſſe ſcientiam, aſſumeret hoc antecedens. *Falſum eſt, logicam non eſſe ſcientiam, ergo Logica eſt ſcientia.*

24. Vltima fallacia eſt non cauſæ pro cauſa, quæ committitur quandò deducimus conſequens ex antecedēti nō proprio, ipſi tribuentes veritatem conſequentis, vt *Petrus eſt muſicus, ergo ædificat* conſequentia non valet, quià licet verum fortaſſe ſit, Petrum eſſe muſicum & Petrum ædificare, ratio tamen cur Petrus ædificat non eſt quià eſt muſicus, ſed quià eſt architectus. Et hæc de ſummulis dicta ſint ſatis.

DISPVTATIONES
In vniuerſam Ariſtotelis
LOGICAM

Diſputatio prima proœmialis de natura & obiecto Logicæ.

PRoprium atque præcipuum ſapientis munus eſt ordinare, vt ait Ariſtoteles in primo methaphyſicæ; ideò primi ſapientes, inter quos fuit Plato magiſter Ariſtotelis; vt ponerent aliquem ordinem in rebus, de quibus haberi poteſt ſcientia, diuiſere philoſophiam in realem, & rationalem. Philoſophia realis, quæ agit de prædicatis realibus, & intrinſecis vnicuique rei ſignificatis per terminos primæ intentionis eſt triplex, videlicet Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica: Philoſophia rationalis; quæ agit de prædicatis intentionalibus, & extrinſecis vnicuique rei, ſignificatis per terminos Secundæ intentionis alio nomine vocatur Logica; de quà agimus in præſenti, eamque aſſeruit eſſe vnam ex quatuor ſcientijs primarijs Plato Philoſophus verè diuinus.

Proœmiales quæſtiones, quæ ſolent præmitti ante logicam, in hac prima diſputatione tradituri aliqua faciliora attingemus de natura & obiecto Philoſophiæ rationalis, ijs quæ ſunt omnibus ſcientijs communia, reiectis ad libros priorum, & poſteriorum: de huius ſcientiæ dignitate, origine & exiſtentia ne vnum quidem verbum faciemus ad vtiliora properantes, qui eà ſuper re aliquid deſiderat, videat Conimbricenſes, & Toletum in proœmio Logicæ, Ruuium, & Sotum in quæſtione prima proœmiali

QVAESTIO I.

Vtrum Logica quatenus eſt ſcientia ſpeculatiua habeat pro obiecto res omnes ſecundum eſſe intentionale, ſiuè ens rationis Logicum.

1\. PLacet mihi ſummopere Cardinalis Caietanus egregius Theologus, qui in prima parte quæſt. 75, art. 3. docet eà de cauſa ſcientias tàm actuales, quàm habituales ſpecificari ab obiecto, quià non poſſunt definiri niſi in ordine ad obiecta, de quibus agunt: tanti igitur Theologi doctrinæ inhærendo inquirimus obiectum, à quo Logica ſpeculatiua ſpecificatur: pro cuius intelligentia debemus aliqua præmittere.

2\. No-

2. Nomine obiecti, quod à verbo *obiicio* originem trahit, ſignificatur terminus potentiæ tam phyſicæ, quàm intentionalis: Ita obiectum diuinæ omnipotentiæ ſunt Creaturæ poſſibiles, obiectum potentiæ viſiuæ eſt color & auditiuæ ſonus, quia omnipotentia, quæ eſt in genere potentiæ phyſicæ, habet pro termino creaturas poſſibiles, & potentia viſiua, quæ eſt in genere potentiæ intentionalis, habet pro termino colores. Hinc eſt, quòd obiectum ſcientiarum, artium, & habituum eſt illud, circa quòd verſantur ſcientiæ, artes, & habitus.

3. Hoc obiectum aliud eſt materiale, aliud formale: obiectum formale eſt illud, quòd immediatè, & in ſe terminat actum noſtri intellectus, & non ratione alterius formaliter, vel realiter diſtincti. Obiectum materiale eſt illud, quòd in ſe, & immediatè non attingitur, ſed eatenus attingitur quatenus attingitur alia perfectio realiter, vel formaliter diſtincta. Quando intellectus format hanc propoſitionem *Petrus eſt animal*, obiectum formale huius actus eſt animalitas, quæ immediatè & ratione ſui attingitur: obiectum materiale eſt rationalitas, quæ attingitur ratione animalitatis realiter identificatæ, & formaliter, hoc eſt per intellectum diſtinctæ: Præterea voluntas amando media propter finem, videlicet medicinam

prop-

propter ſanitatem, habet pro obiecto formali ſanitatem, quæ immediatè,& ratione ſui amatur,pro obiecto materiali medicinam quę amatur propter ſanitatem. Rurſus viſio parietis albi habet pro obiecto formali albedinem, & materiali parietem, quià in tantum viſio terminatur ad parietem, in quantum albedo inhæret parieti.

4. Hic obiter notandum eſt in ipſo obiecto formali, ſiue obiecto motiuo poſſe conſiderari duplicem rationem formalem, videlicet rationem genericam, & rationem ſpecificam. Ratio generica eſt illa ratio formalis, ſub quà obiectum formale mouet, quæ proinde appellatur obiectum formale *quo*;ratio ſpecifica eſt illa ratio formalis,quæ mouet & vocatur obiectum formale *quod*, ſiuè ratio formalis *quæ*: ità quandò videtur paries albus, obiectum formale *quod* eſt albedo, obiectum formale *quo* eſt color, quia ratio formalis, ſub qua albedo mouet oculum ad videndum, eſt ratio generica coloris, quæ præſcindit ab hac, vel illa ſpecie coloris, nimirum albedine, & nigredine, ideò enim albedo videtur,quia albedo eſt color.

5. Ex obiecto materiali, & formali componitur obiectum attributionis, quòd vt rectè obſeruat Arriaga diſp. prima Logicæ ſectione ſecunda inuenitur ſolum in ſcientijs, & artibus, & definitur eſſe illud,quod primò, & per
ſe

ſe conſideratur ; & in ordine ad quod cætera conſiderantur ; ità ens ſenſibile; eſt obiectum attributionis phyſicæ , & ſtatua eſt obiectum attributionis artis ſtatutariæ , quia omnia, quæ conſiderat phyſica, ordinantur ad cognitionem entis ſenſibilis , & omnia , quæ conſiderat ſtatuaria, ordinantur ad formandam ſtatuam; Ea, de quibus agit aliqua ſcientia , & non conſtituunt obiectum attributionis , vocantur obiecta attributa . Hinc eſt, quòd obiectum attributionis in quàcumque ſcientia , & arte eſt , ſicut Imperator in exercitu : quemadmodum enim Imperator eſt primus , ad quem cæteri milites ordinantur , & eſt principium totius ordinis, qui conſtituit exercitum, ità obiectum attributionis eſt aliquòd vnum ſaltem genere , & primum , ad quòd ordinantur omnia , de quibus agit ſcientia .

His prænotatis ſciendum eſt pro intelligentia quæſtionis præſentis res omnes quæ comprehenduntur hoc nomine *ens* , & ſunt obiecta ſcientiarum habere duplex eſſe , vnum à parte rei eiſdem intrinſecum , in hoc eſſe fundantur omnia prædicata intrinſeca , quæ dicuntur primò intentionalia , quia conueniunt rebus intrinſecè , & ante intellectus operationem . Aliud eſſe habent per intellectum eiſdem rebus extrinſecum ; in hoc eſſe fundantur omnia prædicata extrinſeca , quæ vocantur ſecundò in-

intentionalia, eo quòd conueniunt rebus diuerſimodè denominatis ab operationibus intellectus, vt denominatio cogniti, definiti, & ſimiles, quæ denominationes non ſunt intrinſecæ rebus denominatis; ſed extrinſecæ, oriuntur enim à formis extrinſecis, nimirum à cognitione, quæ eſt forma, vel quaſi forma rei, quæ à definitione denominatur definita, à diuiſione diuiſa, à diſcurſu ſyllogizata, huiuſmodi denominationes vocantur ſecundæ intentiones, ſiuè entia rationis logica, quià eſſe definitum, & ſimiles denominationes proueniunt ab operationibus intellectus, qui appellatur Ratio, eo quòd ratiocinatur: vocantur entia rationis Logica, vt diſtinguantur à prædicatis chymericis, & impoſſibilibus, quæ vocantur entia rationis metaphyſica, de quibus non eſt ſermo in præſenti.

6. Status igitur quæſtionis eſt, vtrum Logica, quatenus eſt ſcientia ſpeculatiua, & vna ex quatuor ſcientijs primarijs, habeat pro obiecto attributionis ens intentionale, ſiue ſecundas intentiones, ita vt ipſum ens vniuerſaliſſimè acceptum ſit obiectum materiale, & intentionalitas, ſiue ratio cogniti ſit obiectum formale. Affirmant omnes fermè antiquiores Philoſophi, qui de hac re apertè, vel obſcurè diſputarunt, cum Ariſtotele & S. Thoma qui in quarto metaphyſicæ lect.4.docet, Logicam pro-

procedere ad conſiderandas omnes res ex intentionibus rationis, quæ ſunt extraneæ rebus. Conſentit cum S. Thoma (quod mirum eſt) Scotus, qui in primo quæſt. 3. prooemiali docet res omnes conſiderari à Logica, non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm eſſe intentionale. Idem docet Auerroes celeberrimus Ariſtotelis commentator, Durandus, & Aureolus cum alijs non paucis: ex noſtris vero Card. Toletus quæſt. 5. logicæ, Ruuius, & nuper Silueſter Maurus in 1. to. quæſt. 6. Negat Arriaga diſp. 2. ſect. 3. cum pluribus recentioribus.

7. Noſtra ſententia ſit: Logica quatenus ſpeculatiua habet pro obiecto attributionis res omnes ſecundum eſſe intentionale, & cognitum, ſiue ens rationis logicum.

8. Probatur primò: illa ſcientia, quæ conſiderat, & ſpeculatur ens quatenus cognitum, definitum, diuiſum, & ſyllogizatum, habet pro obiecto attributionis res omnes ſecundum eſſe intentionale, ſiue ens rationis logicum, ſed logica quatenus ſpeculatiua conſiderat, & ſpeculatur ens quatenus cognitum, definitum diuiſum, & Syllogizatum; ergo logica quatenus ſpeculatiua habet pro obiecto attributionis res omnes ſecundum eſſe intentionale, ſiue ens rationis logicum.

9. Maior eſt euidens, minor probatur, quia conſiderare, & ſpeculari illud eſſe, quòd habeat

bent res omnes dependenter à cognitione eas denominante definitas, diuiſas, & Syllogizatas, debèt vtique pertinere ad aliquam ſcientiam peculiarẽ, ſunt enim plurimæ veritates in ente cognito ſiue intentionali, quas intellectus naturaliter ſcire deſiderat: Ratio à priori eſt, quia anima rationalis ſiue humanus intellectus, quem eſſe formam corporis docet Ariſtoteles in libris de Anima, dupliciter habet aliquid in ſe, vno modo phyſice, & realiter, ſicut contingit in omnibus compoſitis phyſicis, alio modo intentionaliter, quia intellectus, vt ibidẽ dicit Philoſophus, eſt veluti tabula raſa, & poteſt intelligendo fieri omnia, non phyſice, ſed intentionaliter per cognitionem, quà poſſidet obiectum, & facit quodammodò ſuum, tribuendo illi eſſe intentionale, quod appellatur cognitum, ſiue eſſe logicum. Hinc eſt, quod humanus intellectus, ſicuti mouetur ad ſpeculãdũ eſſe phyſicum, reale, & intrinſecum rebus, quià habet in ſe plurima ſecundum eſſe phyſicum, & reale, ita debet moueri ad ſpeculandum eſſe intentionale, cognitum, & extrinſecum rebus, quia in ſe habet plurima intentionaliter, & per cognitionem.

10. Hæc ratio meo iudicio euincit eſſe neceſſariam aliquam ſcientiam ſpeculatiuam ad ſpeculandum eſſe intentionale, & cognitum; probandum ſupereſt, huiuſmodi ſcientiam eſſe lo-

logicam:id demonſtro hoc enthimemate:omne id quod,ab auctoribus dicitur de logica, dicitur etiam de tali ſcientia, ergo ſcientia, quæ ſpeculatur ens cognitum eſt logica. Probo antecedens; in primis logica dicitur ſcientia rationalis, adeoque differt à phyſicâ, mathematicâ, & metaphyſicâ, quæ ſunt ſcientiæ reales, præterea logica vocatur ſcientia de ſecundis intentionibus, vt frequenter docet S. Thomas & præſertim in quarto metaphyſicæ, lectione quarta; denominatur ab Ariſtotele organum ſcientiarum, quia inſeruit ad cæteras ſcientias acquirendas; à Boetio in primo poſteriorum definitur eſſe ratio differendi; ideo continet in ſe quamdam ſeriem, ſiue multitudinem præceptorum dirigentium intellectum ad omnem veritatem cognoſcendam. Hæc omnia optimè prædicantur de ſcientia, quæ contemplatur ens intentionale,ſiue cognitum: Quis enim dubitare poteſt,an huiuſmodi ſcientia ſit rationalis, & intentionalis, quandoquidem habet pro obiecto ens rationis,ſiue eſſe intentionale? Immò non video,quomodo logica poſſit denominari ſcientia rationalis, niſi habeat pro obiecto ens rationis; deindè certum eſt huiuſmodi ſcientiam agere de ſecundis intentionibus,quæ non ſunt ipſæ cognitiones, vt aliqui recentiores falſo exiſtimant, eoſque meritò redarguit Aureolus in primo diſp. 23. art. 2. Sed ſunt res

co-

cognitæ, & denominatæ à cognitionibus entis rationis, ideò S. Tho. in 4. con. gentes ſecutus Auerroem in tertio de anima, cui aſſentitur Durandus l. 2. diſp. 13. queſt. 2. vocat ſecundas intentiones rationes intellectas, quæ nihil aliud ſunt quàm denominationes cognitæ à cognitione. Præterea ſcientia, quæ ſpeculatur ens rationis eſt organum ſcientiarum, & ratio diſſerendi, quia vtiliſſimum eſt cognoſcere res omnes ſecundum eſſe definitum atque diuiſum ad veritatem inueſtigandam.

11. Probatur ſecundò noſtra concluſio; non minus poteſt cognoſci ens intentionale, quàm poſſit cognoſci ens ſenſibile, quà ſenſibile, & ens immateriale quatenus immateriale; ſed quià poteſt cognoſci ens ſenſibile, quà ſenſibile, datur phyſica, quæ habet pro obiecto attributionis ens ſenſibile, & quià poteſt cognoſci ens immateriale, quà immateriale datur metaphyſica, cuius obiectum attributionis eſt ens immateriale, ergo quia poteſt cognoſci ens intentionale, quatenus intentionale, datur logica, cuius obiectum attributionis eſt ens intentionale, quod appellatur ens rationis logicum. Hinc eſt, quòd ſicuti ſenſibilitas eſt obiectum formale Phyſicæ, ſiue ratio formalis, ſub quà phyſica attingit omnia ſenſibilia, ita intentionalitas, ſiue ratio cogniti eſt obiectum formale logicæ ſpe-

ſpeculatiuæ, quia eſt ratio formalis, ſub quâ logica conſiderat omne cognitum.

12. Probatur tertio: omnia, quæ traduntur in logica, vel ſunt entia rationis logica, vel ad illa ordinantur, tamquam media ad finem; ergo logica habet pro obiecto attributionis ens rationis logicum. Antecedens probatur; quia in primis agitur de genere, & ſpecie, quæ nihil aliud ſunt, quam ſecundæ intentiones, ſiuè entia rationis logica: deinde in prædicamentis agitur de rebus ordinatis ad conceptus & rectas apprehenſiones; in lib. Perihermenias de ente rectè cognito per propoſitionem affirmatiuam, & negatiuam: tamdem in libris priorum & poſter. agit Ariſtoteles de ente demonſtrato, & ſyllogizato, quæ omnia ſunt entia rationis logica ergo &c.

13. Hæc argumenta ſatis ſunt, quantum ego arbitror ad hanc ſentẽtiam perſuadendam: cætera enim, quæ poſſunt in rem noſtram afferri, non vacat hic expendere, alibi opportunius tradenda: vt autem in promptu habeas, quomodo omnia eludas argumẽta partis oppoſitæ opus eſt diſtinguere duplicem denominationẽ manantem ab vna, & eadem forma, vnam intrinſecam, aliam extrinſecam rei denominatæ; Illa eſt denominatio cognoſcentis, iſta cogniti: vtraque procedit ab eadem cognitione, vt eſt perſpicuum, ea enim cognitio, quâ ego te cognoſco, denominat me cognoſcentem, te verò cognitum. Hinc eadem forma vtrumque

denominat, me & te, cum hoc tamen diſcrimine, vt me phyſicè, te logicè denominet; at cur ego phyſicè, tu verò logicè denominatis, ſi eſt eadem forma, quæ me & te denominat? quia nimirum relatè ad me eſt forma phyſica, relatè ad te forma logica: vnde nam hoc? quia cognitio, quà te cognoſco, eſt in me, non in te, quod eſt euidentiſſimum, adeoque ego in quantum te cognoſco, vitam viuo intelligentem; tù verò, in quantum à me cognoſceris, viuis tantum in mente mea, vbi non habes aliã vitam præter vmbratilem, & metaphoricam, quæ conſiſtit in gloria & fama.

14. Qui nouit in vna, & eadem cognitione diligenter diſtinguere formam phyſicam, & formam Logicam relatè ad res diuerſas, quæ à cognitione denominantur, habet vnde poſſit omnia aduerſariorum tela eludere, vt apertè conſtat ex argumentis iuxta hanc doctrinam mox diſſoluendis.

15. Obijcies primo: ſcientia, quæ agit de operationibus intellectus nõ habet pro obiecto ens cognitum, ſiue ens rationis Logicum, ſed Logica agit de operationibus intellectus, vt patet ex ijs quæ diximus in ſummulis, vbi continetur ſumma totius dialecticæ; ergo Logica non habet pro obiecto ens rationis logicum.

16. Reſp. diſt. ma. ſcientia, quæ agit de operationibus intellectus, tamquam formà phyſica, non habet pro obiecto ens rationis Logicum conc. ma. quæ agit de operationibus intel-

intellectus, tamquam formâ logicâ: nego ma: & diſt. mi: Logica agit de operationibus intellectus, tamquam forma phyſica nego mi: tamquam forma logica conc. mi:& nego conſequentiam:cognitum includit cognitionem, vt eſt manifeſtum ex doctrinâ de termino concreto traditâ in ſummulis,P.1.c.6.n.1.& 2.hinc illa ſcientia, quæ ſpeculatur cognitum, ſpeculatur etiam cognitionem, illam nimirum formam,quæ denominat logicè rem cognitam.

17. Quid igitur mirum, quod logica verſetur circa operationes intellectus, ſi iſtæ operationes conſtituunt genus,ſpeciem,ſubiectum, prædicatum, & alia id genus, quæ ea de cauſa vocantur ens logicum, quia eorum ſpeculatio ſpectat ad logicam: ideo argumentum potius retorquetur; ratio autem, cur logica ſpeculetur cognitionem tamquam formam logicam, eſt manifeſta, tum quia eſt ſcientia rationalis, ſiue intentionalis, non vero realis, tum quia eatenus ſpeculatur cognitionem,quatenus cognitio denominat rem cognitam.

18. Obijcies ſecundo: logica ſpeculatiua eſt ſcientia realis, ergo non habet pro obiecto attributionis ens rationis, ſiue intentionale. antecedens probatur, quia non minus realiter exiſtit logica, quam Phyſica, & metaphyſica: ergo eſt ſcientia realis, ſicuti ſunt aliæ ſcientiæ.

19. Reſp. diſt. antecedens logica ſpeculatiua eſt ſcientia realis ſubiectiuè conc: ante.

eſt ſcientia realis obiectiuè; nego antec.& conſequentiam. Non poteſt eſſe dubium, quin logica ſit realis ſubiectiuè, quia realiter eſt in intellectu, tanquam in ſubiecto, eo modo quo omnes cognitiones habeant eſſe reale in mente, cognoſcentis; hoc habet commune Logica cũ cæteris ſcientijs, ideo dicitur logica eſſe ſcientia realis ſubiectiuè: at Logica non eſt ſcientia realis obiectiuè, quia eius obiectum non eſt ens reale, ſed ens rationis, ideò vocatur ſcientia rationalis, & per hoc diſtinguitur à Phyſicà, & Metaphyſicà, quæ ſunt reales obiectiuè, quia ſpeculantur ens reale.

20. Obijcies tertio Logica ideò vocatur rationalis, quia habet pro obiecto operationes intellectus, quę sũt actus rationis, ergo nõ habet pro obiecto ens rationis. Conſequentia probatur, quia ſecundæ intentiones, quas Logica ſpeculatur, nihil aliud ſunt, quàm cognitiones.

21. Reſp. nego antecedens, quia operationes intellectus ſunt ens reale, non minus, quàm aliæ res materiales, inde eſt, quod Logica deberet potiùs vocari ſciẽtia realis, quàm rationalis, ſi haberet pro obiecto operationes intellectus, ſicuti animaſtica eſt ſcientia realis, licet agat de anima, & actibus intellectus. Ad probationem conſequentiæ dico falſum eſſe quod ibi aſſumitur, nimirum ſecundas intentiones, de quibus ag t logica, eſſe cognitiones, quia prædicata ſecundò intentionalia ſunt, formaliſ-

maliſſimè prædicata extrinſeca rebus, quæ nimirum eiſdem tribuuntur à cognitione rebus cognitis extrinſecà, quæ proinde vocatur forma Logica. Placet mihi vehementer iudicium Aureoli Theologi doctiſſimi, qui loco citato ait mirum eſſe, quòd in alicuius Philoſophi ſapientis imaginationem aſcenderit, quòd ſecundæ intentiones ſint actus intellectus potius, quam obiecta cognita.

22. Obijcies quartò: ens rationis eſt ens chimericum, & impoſſibile, ſed obiectum Logicæ non eſt ens impoſſibile, ergo obiectum Logicæ non eſt ens rationis.

23. Reſp. diſt. ma: ens rationis Metaphyſicum eſt impoſſibile concedo mai: Ens rationis Logicum; nego mai: & concedo min: & diſtinguo eodem pacto conſequens, ergo Logica non habet pro obiecto ens rationis Metaphyſicum: concedo conſequentiam: ens rationis Logicum: nego conſeq. Duplex datur ens rationis, aliud Metaphyſicum, & hoc eſt obiectum impoſſibile, quod à Logicà non conſideratur, ſed à Metaphyſicà: aliud logicum, & hoc non eſt aliquid impoſſibile, ſed conſiſtit in ſecundis intentionibus, ſiue in omnibus illis denominationibus, quibus obiecta denominatur extrinſecè cognita à cognitione.

24. Obijcies quintò: eſſe intentionale ſiue cognitum non eſt obiectum alicuius ſcientiæ, ergo Logica quatenùs ſpeculatiua non habet illud pro obiecto. Antecedens probatur, quia

cognitio entis ſecundum eſſe intentionale ſiue cognitum nullo pacto eſt æſtimabilis, cum eſſe cognitum nullam habeat æſtimabilitatem.

24. Reſp. nego antecedens, ſiue potiùs diſtinguo: non eſt obiectum alicuius ſcientiæ realis; conc: antecedens: non eſt obiectum ſcientiæ rationalis: nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem antecedentis dico cognitionem entis ſecundum eſſe intentionale multum eſſe æſtimabilem, tum quià non poteſt cognoſci ens ſecundùm eſſe reale, niſi priùs cognoſcatur ſecundùm eſſe intentionale, quòd eſt eſſe logicum, tum quià ens intentionale non eſt adeò tenue, vt non poſſit eſſe obiectum ſcientiæ rationalis, vt patet primo à poſteriori, quia omnia entia appetunt cognoſci, & vnaquæque res tanto magis appetit cognoſci, quanto perfectius exiſtit: ſecundò à priori, quia totum eſſe reale, & phyſicum, quod habent res naturales, & artificiales, fundatur in aliquo eſſe intentionali: de rebus artificialibus non eſt dubium, quia domus, quæ fit ab Architecto, antequam habeat eſſe phyſicum, & reale, debet habere eſſe intentionale in mente illius, qui operatur ex idea. De rebus naturalibus ita demonſtratur; quià opus naturæ eſt magis opus intelligentiæ, quàm opus artis, vt dicit Ariſtoteles laudatus à S. Thoma in 14. Metaph. c. 15. ergo omnes res naturales, antequam habeant eſſe reale, & ſibi intrinſecum, habent eſſe in-

intentionale, ſiue cognitum in mente Dei, qui eſt artifex naturæ.

25. Obijces vltimo: ſi Logica habet pro obiecto ens intentionale, & cognitum ſequitur Logicam extendi ad omne ens, eo modo, quo Metaphyſica extenditur ad omne ens, ſed conſequens eſt falſum, quia Metaphyſica diſtinguitur à Logicà, ergo etiam eſt falſum antecedens.

26. Reſp. diſt. ma: ſequitur Logicam extendi ad omne ens ſub eadem ratione formali, ſub quà extenditur Metaphyſica: nego ma: ſub diuerſa ratione formali: conc. ma: & eodem modo diſtincta minori nego conſequentiam: Obiectum materiale Logicæ eſt omne ens, ſicuti obiectum materiale Metaphyſicæ eſt omne ens; ſed obiectum formale, ſiue ratio formalis, ſub quà conſiderat Logica omne ens, eſt ratio cogniti, ſiue intentionalitas: obiectum vere formale, ſiue ratio formalis, ſub quà Metaphyſica conſiderat omne ens, eſt immaterialitas, ſiue ratio entis immaterialis; diuerſitas autem rationum formalium, ſiue obiecti formalis ſufficit ad diſtinguendam vnam ſcientiam ab alià, vt patet in Phyſicà, quæ conſiderat corpus ſub ratione ſenſibilis; & Mathematicà, quæ idem corpus conſiderat ſub ratione entis quanti, ſiue extenſi.

QVAESTIO II.

Vtrum Logica quatenus practica habeat pro obiecto attributionis voces.

1. HActenus de obiecto Logicæ ſpeculatiuæ: de qua ſatis in quæſtione præterita: agendum ſupereſt de obiecto Logicæ quatenus eſt ſcientia practica: in huius vocis ſignificatione ne incertus hæreas, notandum eſt ſcientiam practicam eſſe artem, cuius inſtitutum eſt circa aliquod opus ſe exercere, illud igitur opus, in quo artes occupantur, eſt earum obiectum attributionis. Hinc obiectum ſtatuariæ eſt ſtatua, quæ conſtat ex marmore tanquam ex materia, & figura tamquam formà, adeoque marmor eſt obiectum materiale, & figura formale ſtatuariæ, quæ illud operando contendit, vt nimirum humanam, vel alienam figuram inſculpat marmori. Quod nam ſit opus, in quo potiſſimum occupetur ars ratiocinandi, quam dialecticam vocant, non ſatis conſtat; variant enim Auctores. Antequam dicamus, quid opinandum ſit, neceſſe eſt varias ſententias afferre, eaſque ſingillatim referre, & in varijs quæſtionibus refellere, facilè eſt enim hoſtem vincere, vbi eius copias diuiſeris.

2. Huius igitur quæſtionis inſtitutum eſt, an Logica exerceat ſe circa voces, adeoque eius obiectum, quod vocant Attributionis ſint voces:

ces: affirmant Nominales duobus argumentis ad hoc affirmandum ducti.

3. Primò Logica agit de vocibus, vt patet ex Philoſopho in libris perihermenias, ergo voces ſunt obiectum Logicæ.

4. Secundò. Non minus agit de vocibus Logica, quam Grammatica, & Rhetorica: ſed huiuſmodi artes habent pro obiecto voces, ergo & logica,

5. Negant cæteri Philoſophi, quos recenſere non vacat, quia tot ſunt, vt ægrè poſſint numerari: Nos ſequimur ſententiam negantem, quam non modò veram, ſed etiam euidentem hoc ſyllogiſmo nobis perſuademus.

6. Quidquid eſt obiectum Logicæ conſideratur primo, & per ſe à Logicâ, ſed voces non conſiderantur primo, & per ſe à logicâ, ergo voces non ſunt obiectum Logicæ. Min: prob: tum quia Logica non agit de vocibus, niſi indirectè, & per accidens, in quantum voces ſunt ſigna conceptuum, quos Logica per ſe conſiderat, tùm quià poteſt aliquis eſſe perfectus Logicus ſine vocibus, intra ſeipſum ratiocinando: hinc eſt quod Rhetor, vt dicit Ariſtoteles, eſt ad alios, logicus ad ſe: vnde patet ad argumenta partis oppoſitæ.

7. Ad primum: diſt: antec: Logica agit de vocibus per ſe, & directè: nego antecedens, per accidens, & indirectè, conc: antec: & diſt: conſeq: ergo voces ſunt obiectum attributionis; nego conſequentiam: obiectum attributum omit-

omitto conſequentiã. Voces ſunt ſignã conceptuum, qui ſunt in mente, & rerum quæ ſignificantur per conceptus, vt Ariſtoteles docuit: ideò neceſsè eſt Logicam agere de vocibus in ordine ad conceptus mentis reuelandos alijs, non propterea ſequitur voces eſſe obiectum attributionis, quod debet directè & per ſe conſiderari, vt omnes fatentur, ſed tantum attributum, quod per accidens conſideratur.

8. Ad ſecùndum nego ma: Diſparitas inter Logicam, & Rhetoricam, ſiue Grammaticam eſt manifeſta, quià Rhetorica intendit loqui ornatè, & Grammatica emendatè, adeoque vtraque verſatur per ſe circa voces: ſecus contingit in Logica, quæ voces non curat, niſi relatè ad conceptus; hinc mutus poteſt eſſe optimus logicus, non poteſt eſſe neque Grammaticus neque Rhetoricus.

QVAESTIO III.

Vtrum Logica practica habeat pro obiecto intellectum rectè operantem.

1. EXcluſis vocibus ab obiecto Logicæ, quæritur, an intellectus rectè intelligens, ſiue rectè operans ſit eius obiectum: quicumque hoc opinatur, eodem modo diſcurrit de Logica, quo ſolemus diſcurrere de ſtatuariã; quemadmodum enim ab iſta arte imprimitur

mitur figura marmori, ità à Logicà imprimitur intellectui cognitio recta. Hanc ſententiam quæ eſt aperte falſa, vt oſtendam, docuit olim Pater Ioannes Baptiſta Giattinus, eamque Auditoribus ſuis in Collegio Romano traditam deinde donauit luce publica. Nos ſumus in contrariâ ſententia, dicimus enim intellectum rectè operantem non eſſe obiectum Logicæ.

2. Ratio eſt, quià finis intrinſecus Logicæ non eſt reddere intellectum rectè operantem, ſiue rectè intelligentem, ſed reddere res omnes rectè intellectas, ſiue rectè cognitas; ſuperatâ enim difficultate, quæ inuenitur in rebus rectè cognoſcendis, nulla remanet difficultas in faciendo vt intellectus rectè cognoſcat: igitur intellectus rectè intelligens, ſiue rectè operans non eſt obiectum attributionis Logicæ: quia idem eſt obiectum artis, ac finis intrinſecus ipſius artis, ſiue operis, quod illa ars intendit facere.

3. Adde, quòd ex hâc ſententiâ ſequitur nullam artem, nullamque ſcientiam eſſe, cuius obiectum non ſit intellectus rectè intelligens, cum quælibet ſcientia intellectum perficiat, non minus quàm Logica; quià ergo eſt euidenter falſum conſequens, eſt etiam euidenter falſum antecedens; non enim poteſt eſſe falſum conſequens, quin antecedens ſit etiam falſum, vt demonſtratum eſt in Summulis part. 3. cap. 3. num. 3.

4. Obijc. primò. Logica facit, vt intellectus

lectus rectè intelligat, ergo intellectus rectè intelligens eſt opus factum à Logica, ergo eſt obiectum Logicæ.

5. Reſp: diſt: antec: Logica facit materialiter, vt intellectus rectè intelligat: conc: antec: facit formaliter: nego antec: & diſt: conſeq: ergo intellectus rectè intelligens eſt opus Logicæ intentum à logica: nego conſequentiam: non intentum à Logica; concedo conſequentiam. Logica intendit rectam rerum cognitionem, ſiue res benè cognitas: quià verò non poteſt facere rectam rerum cognitionem, niſi rectè cognoſcat intellectus, ideò Logica facit materialiter, vt intellectus rectè cognoſcat: hoc opus non eſt opus intentum à Logica, ideò formaliter hoc Logica non facit.Ità omnes artes, & ſcientiæ ſunt cauſa, cur intellectus intelligat illud obiectum, circa quòd verſantur, & tamen intellectus non eſt earum obiectum. Neque dicas hæc duo eſſe connexa, adeoq; vtrumque, vel neutrum à Logica intendi; quia ex duobus connexis poteſt vnum intendi, & aliud non intendi; vt demonſtro hoc exemplo deſumpto ex Theologia. Gloria, quam habet Chriſtus, vt Redemptor generis humani, eſt connexa cum peccato Adami, quià ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non fuiſſet Redemptor: & tamen Deus intendit, vult, & amat gloriam Chriſti, vt Redemptoris, non intendit neque vult, neque amat peccatum.

6. Obijc; ſecundò; finis Logicæ eſt redde-

re

re intellectum rectè intelligentem: ergo intellectus rectè intelligens eſt opus Logicæ intentum à Logicà. Antecedens probatur, quià ille eſt finis Logicæ, quò non aſſecuto Logica non eſt contenta; ſed ſi intellectus non intelligit rectè, Logica non eſt contenta, ergo eius finis eſt intellectus rectè intelligens.

7. Reſp: diſt: antec: finis intrinſecus, immediatus, ſiue proximus Logicæ eſt reddere intellectum rectè intelligentem; nego antecedens: finis extrinſecus, mediatus, ſiue remotus: conc: antecedens, & nego conſequentiam. Ad tollendam omnem æquiuocationem, quæ naſcitur ex terminorum confuſione, opus eſt diſtinguere duplicem finem in quacumque arte: vnus eſt intrinſecus, qui vocatur proximus, & immediatus, eò quòd proximè, & immediatè reſpicitur ab arte, adeò vt eo non aſſecuto non eſſet formaliter contenta; huiuſmodi finis, & obiectum attributionis ſunt termini conuertibiles: alius finis eſt extrinſecus, mediatus, ſiue remotus, quem vnaquæque ars dicitur extrinſecè, ſiue mediatè reſpicere, quatenus ordinatur ab aliqua arte ſuperiore ad huiuſmodi finem. Hic finis non conuertitur cum obiecto attributionis, eo igitur non aſſecuto ars eſſet contenta formaliter, non verò arguitiuè.

8. Exemplum huius doctrinæ, quæ ſoluit argumentum propoſitum, habemus in arte frænofactorià, quæ habet pro fine intrinſeco frænum, & extrinſeco equitationem, ratio cur ha-

habeat pro fine intrinſeco frænum eſt, quià totum artificiũ huius artis conſiſtit in adaptandà ferro figurà fræni; inde eſt quòd huiuſmodi figurà accommodatà, fræno, iſta Ars formaliter eſt contenta; ratio, cur habeat pro fine extrinſeco actum equitandi eſt, quià ars equeſtris, cui ſubordinatur fræno factoria, habet pro fine intrinſeco actum equitandi, adeoque imperat arti frænofactoriæ, vt faciat frænum vtile ad equitandum. Hinc actus equitandi, qui eſt finis intrinſecus ſiue proximus artis equeſtris eſt finis extrinſecus, ſiue remotus frænofactoriæ; idem dicendum de omnibus artibus, quæ ſunt inſtrumenta alterius artis, cui inſeruiunt. Ex hac diſtinctione finis intrinſeci, & extrinſeci ſequitur, quòd Logica eſſet formaliter contenta, accommodatà rebus cognitione, etſi intellectus per poſſibile, vel impoſſibile non conſtitueretur rectè intelligens: licet arguitiuè non eſſet contenta, quià deficeret finis, ad quem extrinſecè ordinatur. Hinc patet ſolutio adhibenda illi ſyllogiſmo, qui adductus eſt in obiectione ad probandum antecedens. In formâ diſt: maiorem: ille eſt finis Logicæ, quo non aſſecuto Logica non eſt contenta formaliter conc: ma; arguitiuè: nego ma: & diſtinctà ſimiliter minori nego conſequentiam,

9\. Obijc. vltimo Logica non eſſet formaliter contenta, ſi intellectus non intelligeret rectè: ergo nulla diſtinctio. Antecedens probatur, tum quià tota difficultas, quàm Logica debet ſupe-

ſuperare in eo conſiſtit, quòd intellectus rectè intelligat, Logica enim ideò eſt vtilis, quia perficit Intellectum; tum quià perfectio intellectus rectè operantis debet intendi ab aliqua arte, adeoque à Logica, nulla enim alia poteſt aſſignari.

10. Reſp: nego ant: Ad eius probationem dico difficultatem ſuperandam à Logica non conſiſtere in eo, quòd intellectus rectè intelligat, ſuperata enim illa difficultate, quæ inuenitur in rebus rectè cognoſcendis, intellectus ſtatim optimè intelligit: Adde; quòd finis intrinſecus Logicæ non eſt intellectus rectè intelligens, licèt fortaſſe ſit finis extrinſecus: Cæterum ex eo quòd Logica perficit intellectum, non benè infertur intellectum eſſe obiectum Logicæ, quià nulla eſt ſcientia, nulla ars, quæ non perficiat intellectum.

11. Vrgebis: non poteſt Logica accommodarè cognitionem rebus, niſi intellectus ſciat modum accommodandi cognitionem rebus, ergo Logica intendit dirigere intellectum.

12. Reſp: diſt: ant: niſi intellectus ſciat modum accommodandi efficienter; cognitionem rebus: conc: ant: accommodandi directiuè: nego antecedens, & diſt: conſequens, ergo Logica intendit proximè, & immediatè dirigere intellectum: nego conſequentiam; remotè, & mediatè: omitto conſequentiam. Vt cognitio accommodetur rebus cognitis, duo requiruntur; intellectus qui eſt cauſa efficiens cognitio-

nis,

nis, & Logica, quæ intellectum dirigit, ideò tàm intellectus, quàm Logica concurrit, ſed ille efficienter, iſta directiuè; ſicuti ad benè ſaltandum concurrit potentia ambulatiua efficienter, & ars ſaltatoria directiuè, neque proindè obiectum artis ſaltatoriæ eſt potentia ambulatiua; idem militat in picturà, cuius obiectum non ſunt manus, quæ pingunt: intellectus rectè intelligens debet conſiderari ab aliquâ arte cui cæteræ ſubordinantur: huiuſmodi eſt prudētia pars philoſophiæ moralis habentis pro fine fœlicitatem hominis poſitam in intellectu, & voluntate rectè operante. Hinc Ariſtoteles in lib. ethicorum agit de virtutibus moralibus, quibus perficitur voluntas, & intellectualibus, quibus perficitur facultas intelligendi.

QVAESTIO IV.

Vtrum Logica practica habeat pro obiecto attributionis operationem rectam.

1. EST controuerſum, an operatio intellectus recta, ſiue intrinſecè perfecta ità ſpectet ad Logicam, vt eius obiectum materiale ſit operatio intellectus, formale verò rectitudo, adeoque obiectum attributionis ſit operatio intellectus intrinſecè perfecta, quæ proinde conſideratur tanquam forma Phyſica: aſſerit Arriaga diſp. 2. Logicæ cum ferè omnibus

recentioribus, qui duobus argumentis ad hoc affirmandum mouentur.

2. Primò: habità operatione rectà Logica eſt contenta: ergo obiectum Logicæ eſt operatio recta. Antecedens patet, quià Logica tradit præcepta de formanda recta definitione, & argumentatione.

3. Secundo. Obiectum attributionis Logicæ eſt modus ſciendi, ſed modus ſciendi eſt recta operatio intellectus, nempè definitio, diuiſio, & argumentatio, ergo recta operatio intellectus eſt obiectum Attributionis Logicæ: minor probatur, quià opus factum à Logica eſt recta definitio, recta diuiſio, & recta argumentatio, quæ conſtituunt modum ſciendi, ergo res cognitæ, quæ ſunt terminus extrinſecus cognitonis adeoque operis facti à Logica non ſunt eius obiectum.

4. Sententiam negantem, omnibus antiquis Philoſophis eam ſequentibus, nos etiam ſequimur, dicendo operationem rectam, ſiue intrinſecè perfectam non eſſe obiectum attributionis Logicæ practicæ.

5. Ratio eſt, quia finis intrinſecus Logicæ non eſt operatio recta intellectus, ergo operatio recta non eſt eiuſdem obiectum attributionis. Antecedens probatur primò, quià Logica non habet pro fine intrinſeco felicitatem naturalem hominis, quæ conſiſtit in perfectione cognitionum, hic enim finis pertinet ad prudentiam partem philoſophiæ moralis. Idcircò quià

difficultas quam debet Logica ſuperare, conſiſtit in cognitione accommodanda rebus, ea enim difficultate ſuperata, nulla alia eſt difficultas in facienda operatione recta. Ideò Logica non intendit facere operationem rectam inducendo rectitudinem in operationem, ſed intendit cognoſcere res omnes eo modo quò debent cognoſci, adeoque intendit accommodare cognitionem rebus. Tertiò quià Logica eſt ars rationalis, ergo non habet pro fine intrinſeco aliquod opus reale, ſed operationes intellectus intrinſece perfectæ ſunt opus reale, ergo Logica non habet pro fine intrinſeco operationem rectam tamquam formam phyſicam intrinſecè perfectam.

6. Ad primum argumentum partis contrariæ diſt. ant. habità operatione rectà tamquam forma phyſica nego antecedens; tamquā forma Logica: concedo antecedens, & diſt: conſequens. Operatio intellectus tamquam forma phyſica eſt obiectum Logicæ: nego conſequentiam; tamquam forma Logica: iterum diſtinguo: eſt obiectum formale: concedo conſequentiā: eſt obiectum attributionis: nego conſequentiam. Logica intendit accommodare cognitionem rebus, & conſtituere ens cognitum, vt dicemus in quæſtione ſequenti; ideò cognitio tamquam forma Logica eſt eius obiectum formale, cognitum verò, obiectum attributionis.

7. Ad ſecundum conc. ma. & diſt. min. mo-
dus

dus ſciendi eſt operatio recta intellectus, tamquam forma phyſica: nego minorem: tamquam forma Logica, concedo min. & nego conſeq. prim: Operationes intellectus poſſunt duobus modis conſiderari, vt centies dictum eſt, & quatenus forma phyſica, quæ denominat intellectum cognoſcentem, & quatenus forma Logica quæ denominat rem cognitam, modus igitur ſciendi, de quo agitur in Logica, eſt cognitio recta, nimirum definitio, & argumentatio; quæ quatenus forma Logica denominat rem bene definitam, & bene ſyllogizatam. Inde eſt, quod licet res, quæ cognoſcitur ſit extrinſeca cognitioni, nihilominus eadem res vnà cum cognitione eam denominãte cognitã cõſtituit intrinſecè denominationẽ rei cognitæ, nimirum totum concretũ Logicũ.

QVAESTIO V.

Vtrum Logica practica habeat pro obiecto ens rectè cognitum.

1. Facilè eſt, quantum ergo arbitror, veritatem intueri nebulis diſcuſſis, quæ hanc controuerſiam inuoluunt; dicendum igitur eſt, Logicam practicam habere pro obiecto attributionis Ens rectè cognitum, ſiue ens rationis Logicum, adeoque pro objecto materiali res omnes; pro formali cognitionem rectam.

2. Probatur primo, finis intrinſecus Logicæ practicæ eiuſque artificium conſiſtit in cognitione rebus accommodanda: ergo Logica practica habet pro obiecto materiali res omnes, pro formali cognitionē rectam: ergo ens rectè cognitum eſt obiectum attributionis Logicæ practicæ. Vtraque conſequentia eſt manifeſta, quia finis intrinſecus cuiuſcumque artis conſiſtit in accommodandà formà materiæ. Antecedens probatur, quià difficultas, quam Logica conatur ſuperare, eſt difficultas apprehendendi, defiiniendi, & ſyllogizandi, ſed huiuſmodi difficultas conſiſtit in cognitione accommodanda rebus; ergo cognitio recta tāquam forma Logica, quæ denominat Logicè, & extrinſecè res rectè cognitas, eſt obiectum materiale; & ens rectè cognitum, quod eſt tota denominatio, eſt obiectum attributionis.

3. Probatur ſecundo. Logica ſpeculatiua contemplatur ens cognitum, ergo Logica practica habet pro obiecto attributionis ens rectè cognitum. Conſequentia probatur, quià res omnes poſſunt benè, vel malè cognoſci, adeoque ſunt indifferentes, vt denominentur benè, vel malè cognitæ: ergo debet eſſe aliqua ars ſiue ſcientia practica tradens præcepta benè cognoſcendi res omnes: hæc ſcientia ſine dubio eſt logica, tùm quià ad ipſam ſpectat tradere præcepta res omnes benè definiendi, tùm quià intra obiectum Logicæ ſpeculatiuæ includitur ens rectè cognitum; intellectus enim

quià

quia per Logicam ſpeculatiuam quæ eſt ſcientia reflexa, Speculatur ſecundas intentiones, nimirum denominationes cogniti, definiti, & ſimiles, progreditur per Logicam practicam, quæ eſt ars reflexa, ad tradenda præcepta, quibus obſeruatis tribuitur ſingulis rebus denominatio Logica, ſiue extrinſeca entis recté cogniti definiti, & ſimiles.

4. Hinc colliges primò modum, quo intellectus procedit in cognitione entis intentionalis, eſſe huiuſmodi: prius ſpeculatur ens cognitum, plura demonſtrando de ente definitur, diuiſo, & ſyllogizato; deinde progreditur à ſpeculatione ad praxim, ſiue opus, tradit enim præcepta, quæ inſeruiunt ad res omnes bene definiendas, & ſyllogizandas. Ens intentionale, ſiue cognitum ſpeculatur per Logicam ſpeculatiuam; præcepta verò rectè definiendi, ſiue rectè cognoſcendi tradit per Logicam practicam, quæ habet pro obiecto ens rectè cognitum. Hinc eſt tria eſſe conſideranda in ente rectè cognito, ſicuti in quolibet concreto, nimirum totam denominationem, formam denominantem, & rem denominatam: tota denominatio eſt obiectum attributionis, forma denominans quæ eſt cognitio recta, eſt obiectum formale, res denominata, quæ eſt id, quod cognoſcitur, ſiue id, pro quo ſupponit terminus concretus, eſt obiectum materiale.

5. Colliges ſecundò, Totam difficultatem,

quam debet ſuperare Logica, conſiſtere in cognitione accommodanda rebus, ideò neceſſe eſt, vt Logica comparet cognitionem cum rebus, eo modo, quo ſingulæ artes comparant formam cum materia, cui eam intendunt imprimere. Ità ſtatuaria comparat figuram cum marmore, & medicina ſanitatem cum corpore, quòd curare intendit.

6. Colliges tertiò, In noſtra ſententia explicari optimè, cur Ariſtoteles in ſua Logica egerit de rebus in ordine ad operationes intellectus, & de operationibus in ordine ad res, quià omnis ars, cuius artificium conſiſtit in accommodandà formà materiæ, determinatè debet conſiderare formam relatè ad materiam, & materiam relatè ad formam; vt patet in ſtatuaria, pictura, & ſimilibus: ideò Ariſtoteles traditurus præcepta ſpectantia ad artem, quæ intendit accommodare cognitionem rebus, debuit primò agere de rebus in ordine ad operationes, & deinde de operationibus, in ordine ad res, quià prius debet cōſiderari materia in ordine ad formā, quā forma in ordine ad materiā.

7. Obijcies primò. Illud eſt obiectum materiale artis quòd intrinſecè perficitur ab arte, ſed Logica perficit intrinſecè operationes intellectus, non verò perficit res, ergo operationes intellectus, & non res ſunt obiectum materiale Logicæ practicæ. Maior probatur; tùm quià obiectū materiale debet intrinſecè recipere formam artis; tum quià nulla eſt ars, quæ non

perficiat intrinſecè materiã, circa quã verſatur.

8. Reſp. nego ma. ratio eſt, quia per accidens ſe habet reſpectu obiecti materialis, quòd perficiatur, vel non perficiatur intrinſecè ab arte; ideò non debet obiectum materiale definiri per huiuſmodi prædicatum, ſicuti homo malè definitur eſſe animal album, quia eſſe album eſt homini accidentale. Quòd ſi quæratur conceptus formalis obiecti materialis, dico obiectum materiale eſſe illud, in quòd introducitur forma artis: Quia vero datur aliqua materia, in quã forma artis ità introducitur, vt ſit illi intrinſecá, eamque intrinſecè perficiat: ideo datur obiectum materiale alicuius artis, quòd intrinſecè perficitur ab arte; ità medicina perficit intrinſecè corpus humanum, & pictura perficit colores; quià verò datur aliqua materia, in quam forma ità introducitur, vt illi ſit extrinſeca, & logica, eamque non perficiat, ideò datur obiectum materiale alicuius artis, quòd intrinſecè non recipit formam artis, vt contingit in Logica, quæ introducit formam ſuam, nimirum cognitionẽ rectam in res omnes, quas intrinſecè non perſicit. Hinc ratio, cur ſtatuaria habeat marmor pro obiecto materiali, non eſt, quià perficit intrinſecè marmor, ſed quià totum artificium huius artis conſiſtit in accommodanda figurâ marmori; vnde ſequitur obiectum materiale Logicæ practicæ eſſe res omnes, quià totum eius artificium conſiſtit in rebus rectè cognoſcendis.

9. Obijcies ſecundo. Recte cognoſcere non eſt vtile rebus quæ cognoſcuntur, ſed eſt vtile cognitioni, quæ recte cognoſcit; ergo finis intentus à Logica eſt potius cognitio recta, quàm ens recte cognitum. Confirmatur, quià ſi per impoſſibile daretur cognitio recta ſine re cognita, Logica eſſet contenta; ergo finis Logicæ eſt tantum cognitio recta.

10. Reſp. conc. ant. & diſt. conſ. ergo finis intrinſecus à Logica intentus eſt potius cognitio recta, quàm ens rectè cognitum, nego conſeq. finis extrinſecus: conc. conſ. Logica etiam ſi non perficiat intrinſecè res cognitas, eſt ars valde vtilis, quià eſt vtile intellectui definire, & ſyllogizare res omnes, eo modo, quo definiri, & ſyllogizari debent. Non propterea ſequitur cognitionem rectam, ſiue intellectum rectè cognoſcentem eſſe finem intrinſecum ſiue obiectum attributionis Logicæ, quià illud, ad quod aliqua ars eſt vtilis, ſolum eſt finis extrinſecus illius artis, vt dictum eſt q. 3. nu. 7. finis enim intrinſecus eſt illud opus, in quo faciendo conſiſtit totum eius artificium.

11. Ad confirmationem reſp. primo retorquendo argumẽtum contra aduerſarios, qui docent operationem rectam eſſe obiectum Logicæ. Si per impoſſibile daretur ens rectè cognitum ſine recta cognitione, Logica eſſet contenta, ergo eius obiectum eſt ens rectè cognitum; non recta cognitio.

10. Reſp. ſecundò diſt. antec. Logica eſſet

con-

contentâ ſimul, & non eſſet contenta: conc.antec.: eſſet contenta tantum: nego antec., & conſeq. Ex impoſſibili ſequitur quodlibet, vt eleganter dicit Ariſtoteles, ideò homo in ſuppoſitione impoſſibili, in qua eſſet equus; quid faceret? dicurreret ne an non diſcurreret? diſcurreret ſimul, & non diſcurreret, quià quatenus homo diſcurreret, quatenùs equus non diſcurreret, quid igitur mirum, ſi in ſuppoſitione impoſſibili, in quà eſſet cognitio abſque re rectè cognita, hoc eſt forma denominans, ſine denominatione, ſiue cauſa formalis ſine effectu formali, Logica eſſet contenta, & ſimul non eſſet contenta?

13. Reſp. tertio nego abſolute antecedens, quia Logica formaliter non eſſet contenta. Ratio eſt quia ceſſaret finis intrinſecus Logicæ, nimirum accommodare cognitionem rebus, & conſtituere denominationem Logicam.

14. Obijc. tertio: Logica eſt ars, quæ habet pro fine dirigere operationes intellectus: ſed huiuſmodi ars non habet pro fine intrinſeco ens recte cognitum, ergo Logica non habet pro fine intrinſeco ens rectè cognitum: Mi: probatur; quia dirigere operationes intellectus nihil aliud formaliſſime eſt, quam eas perficere.

15. Reſp. diſtinguo mai: eſt ars quæ habet pro fine dirigere operationes intellectus, tamquam formam phyſicam; nego mai: tamquam

quam formam Logicam, conc. mai. & diſtincta mi. nego conſequentiam. Dirigere operationes intellectus tamquam formam Logicam, eſt accõmodare cognitionem rebus, ſed Logica habet pro fine accommodare cognitionem rebus, ergo Logica habet pro fine dirigere operationes intellectus tamquam formam Logicam, ideò obiectum formale huius artis eſt cognitio recta tamquam forma Logica, obiectum verò attributionis ens recte cognitum, ſiue concretum Logicum: ratio à priori eſt, quià totum artificium artis dirigentis operationem intellectus tamquam formam Logicam, conſiſtit in accommodanda cognitione rebus, vt demonſtratum eſt. Hinc omnia præcepta, quæ traduntur in Logica, eò ſpectant, vt res omnes recte definiantur, diuidantur, & ſyllogizentur.

16. Obijc. quartò: non poteſt accommodari cognitio rebus cognoſcendis, niſi cognitio perficiatur intrinſecè; ergo Logica non poteſt habere pro fine intrinſeco accommodare cognitionem rebus, niſi habeat pro fine intrinſeco cognitionem rectam.

17. Reſp. conc. antecedens & nego conſequentiam: ratio eſt, quià Logica quamuis perficiat intrinſecè cognitionem, non habet pro fine intrinſeco huiuſmodi perfectionem; ſicuti contingit in omnibus ferè artibus, quæ non poſſunt formare ſuum opus, niſi perficiant intrinſece hominem, & tamen quis audebit af-

fir-

firmare, finem intrinſecum earum eſſe perfectionem hominis; huiuſmodi perfectio intrinſeca operationum intellectus, quæ naſcitur ex Logica, debet intendi ab illo habitu, qui intendit felicitatem hominis, quocumque tandem nomine huiuſmodi habitus ſit appellãdus.

18. Quod ſi aliquis in hunc modum formet idem argumentum. Cognitio accõmodatata rebus formaliſſimè eſt cognitio intrinſecè perfecta, ſed Logica intendit cognitionem accommodatam rebus, ergo Logica intendit cognitionem intrinſece perfectam: dico hunc Syllogiſmum eſſe optimum ſophiſma, hoc eſt, peſſimum argumentum, quia committit fallaciam accidentis, de qua dictum eſt in Summulis part. 3. cap. 11. nu. 15. cum medius terminus in maiori ſupponat perſonaliter, in minori ſimpliciter, vt patet in hoc alio Syllogiſmo, qui eſt ſimillimus præcedenti. Ens ſenſibile in quantum ſenſibile eſt formaliſſimè ens, ſed Phyſica habet pro obiecto ens ſenſibile, in quantum ſenſibile, ergo Phyſica habet pro obiecto ens in quantum ens; ſoluunt Phyſici hoc argumentum concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam; ſimilem ſolutionem adhibemus nos argumento facto aduerſus noſtram ſententiam; huc etiam ſpectat alius ſyllogiſmus euidenter ſophiſticus ſimilis primo; ens in quantum ens, eſt terminus tranſcendentalis; homo in quantum homo eſt ens in quantum ens, ergo homo in quantum homo

eſt

eſt terminus traſcendentalis; conſequentia vt vides, eſt falſa, quia variatur ſuppoſitio.

19. Obijc. vltimo; ſtatuaria non habet pro obiecto ens recte figuratum neque pictura rem bene dipictam, ergo neque Logica habet pro obiecto ens recte cognitum. Conſequentia probatur quia Logica eſt ars liberalis, ergo non habet pro obiecto aliquid extra intellectum.

20. Reſp. concedo antecedens, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt duplex: primò quia difficultas ſuperanda à ſtatuaria, & pictura conſiſtit in imprimēda figurā marmori, & ordinandis diſponendiſque coloribus: ergo ſtatuaria habet pro obiecto materiali marmor & pro formali figurā; pictura pro obiecto materiali habet colores & pro formali imaginem. E contrariò difficultas, quam debet Logica ſuperare, conſiſtit in accommodandā cognitione rebus, ideò res ſunt obiectum materiale, & cognitio recta formale. Secundò quia pictura, & ſtatuaria ſunt artes reales, quæ ſubordinantur Philoſophiæ naturali, ſiuè Phyſicæ, quæ eſt ſcientia realis: Logica verò eſt ars rationalis ſubordinata ſcientiæ rationali, quæ eſt Logica ſpeculatiua; Pictura igitur, & ſtatuaria habet pro fine imaginem, & ſtatuam, quæ ſunt concreta Phyſica, Logica verò habet pro fine ens rectè cognitum, quod eſt concretum Logicum.

21. Ad probationem conſequentiæ, conce-
do

do antec. & nego conſequentiam. Artes liberales differunt à Mechanicis; quià illarum operationes recipiuntur intrinſecè in operante; iſtarumverò operationes recipiuntur intrinſecè in ſubiecto diſtincto ab operante; vt patet in Muſica, Grammaticà, Rhetorica, & ſimilibus, quæ ſunt artes liberales, adeoque earum operationes recipiuntur intrinſecè in operante. Ars lignaria, frænofactoria, & ſimiles dicuntur mechanicæ, quià earum operationes recipiuntur intrinſecè in materia diſtincta ab operante; hinc conſtat Logicam eſſe artem liberalem, quià operatio, per quam Logica denominat res omnes rectè cognitas, recipitur intrinſece in operante.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ens cognitum per quamcumque operationem intellectus ſit obiectum Logicæ.

1. OStenſum eſt, cognitionem, ſiue operationem intellectus eſſe formam Logicam, quæ eſt forma denominans ens cognitum, illud nimirum ens, circa quòd Logica verſatur ſpeculando, & operando: videndum supereſt, an quælibet operatio intellectus conſtituat ens cognitum, quod debet eſſe obiectum Logicæ tum ſpeculatiuæ tùm practicæ. Non eſt dubiũ quin ſecunda, & tertia operatio conſtituat ens cognitum, quatenùs eſt obiectum dialecticæ:

du-

dubium in præſenti queſtione ſoluendum, eſt de prima operatione, quę cum ſit apprehenſio conſtituit ens apprehenſum.

2. Pro huius dubij ſolutione ſit prima concluſio. Logica quatenùs ſpeculatiua, & quatenùs practica habet pro obiecto attributionis ens rectè cognitum, etiam per primam operationem, ens nimirum rectè apprehenſum.

3. Probatur prima pars circa Logicam ſpeculatiuam: quid quid primò, & per ſe conſideratur ab aliqua ſcientia, eſt eius obiectum attributionis, ſed ens rectè apprehenſum conſideratur primò, & perſe à Logica ſpeculatiua, ergo ens rectè apprehenſum eſt obiectũ attributionis Logicæ ſpeculatiuæ: mi: probatur, tùm quià in Logica multa demonſtrantur de ente rectè apprehenſo, vt patet ex Ariſtotele plura demonſtrante de ſubiecto, prædicato, genere, ſpecie, & terminis ſecundę intentionis, qui procul dubio ſunt ens apprehenſum, tùm quià non minus eſt appetibile cognoſcere veritates circa ens definitum, quàm circa ens apprehenſum.

4. Probatur ſecunda pars circa Logicam practicam. Obiectum Logicæ quatenus practicæ habet proportionem cum obiecto eiuſdem quatenùs ſpeculatiuæ, ſed Logica quatenùs ſpeculatiua habet pro obiecto ens cognitum etiã per primam operationem, ſiue ens apprehenſum, ergo eadem quatenùs practica habet pro obiecto ens etiam apprehensũ; intellectus enim

ſicuti

ſicuti per Logicam ſpeculatiuam primò,& per ſe ſpeculatur veritates, quæ reperiuntur in ente apprehenſo, ita per Logicam practicam debet primò, & per ſe extendi ad cognitionem apprehenſiuam accommodandam rebus, eaſque benè apprehendendas, cum benè, vel malè apprehendi poſſint.

5. Sit ſecunda concluſio: Logica quatenùs inſtrumentum omnium ſcientiarum, non habet pro obiecto attributionis ens rectè apprehenſum, ſed ſolùm ens rectè iudicatum, & Syllogizatum.

6. Ad euidentiam huius concluſionis ſciendum eſt Logicam quatenùs practicam non ſolùm eſſe inſtrumentum, quo vtuntur cæteræ ſcientiæ ad inueniendã veritatem,ſed etiam eſſe inſtrumentum vniuerſale rectè cognoſcendi res omnes, vndè ſequitur Logicã quatenùs inſtrumentũ vniuerſale rectè cognoſcendi res omnes, ità ſe habere ad eamdem quatenùs inſtrumentũ ſcientiarum,ſicuti ſe habet includens ad incluſum, & vniuerſale ad particulare: ſuppoſito igitur, quòd Logica quatenùs inſtrumentum vniuerſale rectè cognoſcendi verſatur circa ens rectè cognitum etiam per apprehenſionem, vt oſtenſum fuit hic num. 3. demoſtrandum eſt in præſenti concluſione Logicam quatenùs inſtrumentum omnium ſcientiarum non verſari circa ens rectè apprehenſum, ſed ſolùm circà ens rectè iudicatum, & ſyllogizatum.

7. Id autem ità demonſtratur; quia Lo-

gica quatenus inſtrumentum ſcientiarum illas tantum operationes debet intendere, in quibus reperitur veritas; ſed veritas reperitur ſolum in iudicio, & diſcurſu, non verò in apprehenſione, ergo Logica quatenus inſtrumentum ſcientiarum debet intendere iudicium, & diſcurſum, & non apprehenſionem. Minor eſt certa ex Ariſtotele in 6. Metaphyſicæ cap. 3. Maior probatur, quia Logica quatenus inſtructam omnium ſcientiarum, illas tantum operationes intendit dirigere, per quas aliæ ſcientiæ directè, & immediatè aſſequuntur veritatem ſui obiecti, ſed huiuſmodi ſunt illæ, in quibus inuenitur veritas, quæ eſt finis omnium ſcientiarum, ergo &c.

8. Confirmatur, quia Logica quatenus inſtrumentum ſcientiarum conſiderat ens apprehenſum, tamquam purũ medium in ordine ad ens rectè definitum,& ſyllogizatũ,illud enim quòd eſt vtile & neceſſarium ſcientijsconſiderãtibus ſuũ obiectũ eſt definitio,& argumentatio.

9. Obijc. primò: ens rectè apprehenſum conſideratur in ordine ad ens rectè definitum, & ſyllogizatum, ergo non conſideratur primò & per ſe, ergo Logica non habet pro obiecto attributionis ens rectè apprehenſum. Prima conſequentia probatur, quia repugnat aliquid eſſe finem ſimul & medium, ergo ſi apprehenſio conſideratur, vt medium ordinatum ad iudicium, & diſcurſum, non poteſt eadem primò & per ſe conſiderari.

10. Reſp.

10. Reſp. diſt: antec: conſideratur tantum in ordine adens rectè definitum: nego antecedens: conſideratur non tantum in ordine ad ens rectè definitum: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens: repugnat aliquid eſſe finem, & medium; quod eſt purum medium: concedo antecedens; finem, & medium quod non eſt purum medium: nego antecedens, & conſequentiam: ſicuti id, quòd eſt medium in ratione puri medij non poteſt amari in ratione finis: vt patet in medicina, quam amat infirmus tamquam purum medium ordinatum ad ſanitatem, ità id, quòd amatur in ratione medij ordinati ad conſequendum aliquem finem, poteſt etiam amari in ratione finis: hinc poteſt aliquis velle ambulationem in ratione medij ordinati ad conſequendam, & eam velle in ratione finis, quatenus eſt honeſta, vel iucunda. Hinc patet, quòd Logica licet conſideret apprehenſionem, in ordine ad cæteras operationes, poteſt etiam conſiderare eam primò, & per ſe; quod ſufficit ad obiectum attributionis.

11. Obijc: ſecundò. Apprehenſio à natura eſſentialiter ordinatur ad iudiciũ, & diſcurſum, ergo non poteſt à Logica primo, & per ſe conſiderari.

12. Reſp: conc: antec: & nego conſeq: hic enim arguendi modus non eſt bonus, quià ſecunda operatio ordinatur ad tertiam, & vice-

nerſa tertia ordinatur ad ſecundam, vt enim Ariſtoteles inquit, fructus demonſtrationis eſt definitio, quià ideò demonſtramus, vt hàbeamus cognitionem definitiuam rei,& tamen Logica habet pro fine intrinſeco tàm ſecundam, quàm tertiam operationem.Hinc eſt iſtas duas propoſitiones *Apprehenſio eſſentialiter ordinatur ad iudicium. Apprehenſio non conſideratur niſi in ordine ad iudicium* eſſe valde diuerſas, vna enim ex alia non infertur, adeoque vna eſt falſa, altera vera propter rationes traditas.

13. Obijc: tertio: virtus intellectualis eſt habitus, quo anima dicit verum, vt Ariſtoteles docet in ſexto Ethicorum cap.2. ſed Logica, dum ſpeculatur ens apprehenſum, non dicit verum, ergo non habet pro obiecto ens apprehenſum.

14. Reſp: conc: ma: & nego mi:quia plurimæ veritates poſſunt cõſiderari in ente apprehenſo,vt patet: neque poſsũ non vehemẽter mirari, quòd aliqui Authores excludant ab obiecto Attributionis ens recte apprehenſum præcisè,quia virtus intellectualis eſt habitus, quo anima verum dicit, quaſi verò non poſſit verum dicere dum ſpeculatur ens apprehenſum.

15. Vrgebis: in prima operatione non inuenitur verum, vel falſum; ergo intellectus non dicit verum per ens rectè apprehenſum.

16. Reſp: conc; antec: & diſt: conſeq: non dicit verum apprehendendo conc: conſ: ſpeculando ens apprehenſum nego conſeq: Æquiuocatio

eatio vt ſatis conſtat, eſt ridicula inter ens apprehenſum, & ſpeculationem entis apprehenſi; non aſſero intellectum dicere verum, dum apprehendit quis enim hoc poteſt verè aſſerere? Sed aſſero intellectum dicere verum, dum ſpeculatur ens apprehenſum, ſiue dum tradit præcepta de rebus bene apprehendendis.

**
*

EX DONO
CARDINALIS
GABRIELLII
MONASTERIO
S. SEBASTIANI
AD
CATACVMBAS.

DISPVTATIO SECVNDA

Procemialis.

De natura Logicæ eiuſque neceſſitate.

AB obiecto Logicæ gradum facimus ad eius naturam inueſtigandam, vbi agemus de omnibus, quæ ſpectant ad procemiales quæſtiones ipſius dialecticæ.

QAESTIO I.

Quid ſit cognitio practica, & an poſſit eſſe de obiecto impoſſibili.

1. EVidentiſſimum eſt, aliquas veritates eſſe ſpeculatiuas, & aliquas practicas, quià nemo vnquam dubitauit, an dentur aliquæ cognitiones ſpeculatiuæ, & aliæ practicæ: ſicuti enim ſunt aliqua obiecta certa, & euidentia, & aliqua ineuidentia, & incerta, eò quòd illa terminant actus certos, & euidentes, iſta incertos, & obſcuros, ita debent eſſe aliquæ veri-

veritates ſpeculatiuæ, & aliquæ practicæ, quià ſunt aliquæ cognitiones ſpeculatiuæ, & aliæ practicæ.

2. Præterea eſt euidens, veritates practicas ordinari ad faciendum aliquod opus, & veritates ſpeculatiuas ordinari ex naturà ſuà ad veritatem contemplandam: inde eſt ſpeculatiuas eſſe gratià ſui, quià propter ſe expetuntur, practicas verò gratia alterius, cum appetantur propter opus, ad quòd ex natura ſua referuntur. Hinc Ariſtoteles explicans differentiam intellectus ſpeculatiui, & practici ait *ſpeculatiui finis veritas practici verò opus:* patet hoc manifeſtè in iſta veritate, quæ citra conuerſiam eſt practica *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, quis enim eſt, qui non videat finem huius veritatis eſſe opus, eamque eſſe appetibilem præciſe, quià inclinat, & dirigit cognoſcentem ad amandum proximum ſicuti ſe ipſum. E contrariò huiuſmodi veritas, quæ eſt ſpeculatiua, *repugnat idem eſſe ſimul, & non eſſe* non dirigit ad opus, ſed tantum ordinatur ad contemplationem ſui: hinc egregiè Ariſtoteles in principio Methaphyſicæ infert cognitiones ſpeculatiuas eſſe lõgè nobiliores practicis, quià illæ cum iſtis comparantur, ſicuti liber, qui eſt gratia ſui cum ſeruo, qui eſt gratia alterius, adeoque nos cum eodem Ariſtotele deducimus veritatem ſpeculatiuam ex genere ſuo eſſe nobiliorem practica, tùm quià ſpeculatiua eſt gratia ſui, & practica alterius, tùm quià veritas practica

fundatur in ſpeculatiua, ſicuti Concluſiones in principijs fundantur; Ita hæc veritas practica *Deus eſt ſumme amandus, & honorandus* fundatur in hac veritate ſpeculatiua *Deus eſt ſummum & infinitum bonum*.

3. Certum eſt etiam idem eſſe praxim, & opus; idem practicum, & operatiuum; quià verò opus eſt ſemper aliquid ſingulare, cum operationes iuxta Ariſtotelem, & Sanctum Thomam verſentur circà ſingularia, ideò practicum debet eſſe operatiuum alicuius effectus ſingularis, & per conſequens cognitio, quæ eſt operatiua, debet dirigere ad faciendum aliquod opus ſingulare, dirigere inquam immediatè, vel mediatè. Hinc cognitio practica alia eſt immediate, alia mediate practica. Cognitio immediate practica eſt cognitio obiecti hic & nunc operabilis, quæ nimirum talis eſt, vt ſecluſa aliâ cognitione ſequi poſſit opus intentum ab arte: Cognitio mediatè practica eſt cognitio obiecti operabilis in communi, ſeclu ſis circumſtantijs loci, & temporis: ità cognitio, quam habet medicus de ſanando corpore, eſt mediate practica, quià vt conſequatur finem ſuum, opus eſt alia cognitione, quà experimentaliter cognoſcat corpus hic, & nunc ſanandum. Hinc eſt, vt acutè docet Ariſtoteles, ad finem Medicinæ magis conducere experientiam, quàm artem, quia per artem nouimus ſanare hominem in communi, per experientiã verò hominem in particulari, videlicet Petrum.

4. Hæc

4. Hæc ſunt apud omnes certa: dubium eſt de conceptu formali cognitionis practicæ, & de cognitione obiecti impoſſibilis, an poſſit eſſe practica:in præſenti enim tamquam certum ſumo, quod alibi erit demonſtrandum, cognoſci nimirum impoſſibile, cuius nomine ſignificatur id quod conſtat exprædicatis contradictorijs, & ne diuina quidem virtute poteſt fieri, Chimæra nimirum, hircoceruus, & ſimilia. Pro vtriuſque dubij ſolutione ſit

5. Prima concluſio. Cognitio practica eſt illa, quæ repræſentat bonitatem, ſiue conuenientiam operis faciendi à cognoſcente quatenus cognoſcente.

6. Probatur primo: cognitio practica habet pro fine opus, vt docet Philoſophus in ſecundo Metaphyſicæ, ſed cognitio, quæ habet pro fine opus, debet repræſentare bonitatem, ſiue conuenientiam operis faciendi; ergo cognitio practica eſt illa &c.minor probatur,quià cognitio, quæ habet pro fine opus,inclinat cognoſcentem ad operandum, eo modo quo grauitas lapidis inclinat lapidem ad centrum, qui habet centrum pro fine, ſed cognitio, quæ ad operandum inclinat, eſt formaliſſimè cognitio repræſentans bonitatem operis faciendi, quià hi termini ſunt conuertibiles *repræſentare bonitatem operis*, *& inclinare ad opus*, ſi enim interroges ſtatuarium, cur ità incidat marmor, reſpondebit, quià in hunc modum incidere eſt conueniens ad formandam ſtatuam, nimirum

opus à ſe intentum, ergo cognoſcere bonitatem ſiue conuenientiam operis faciendi, & inclinari ad operandum, eſt idem formaliſſimè, ergo cognitio practica, quæ habet pro fine opus, debet repræſentare bonitatem operis faciendi à cognoſcente, quatenus cognoſcente.

7. Probatur ſecundò à priori: idem eſt formaliſſimè oſtendere bonitatem rei, & repræſentare eius aptitudinem ad finem, ſed habere cognitionem practicam, & cognoſcere aptitudinem rei faciendæ ad finem, eſt idem formaliſſime, ergo idem formaliſſime eſt habere cognitionem practicam, & habere cognitionem de bonitate operis faciendi à cognoſcente quatenus cognoſcente: maior patet, quia eſſe bonum, & eſſe aptum ad finem ſunt termini conuertibiles, ſicuti eſſe malum, & eſſe ineptum ad finem, vt conſtat inductione. Homo dicitur bonus bonitate morali, quià per virtutes morales eſt bene diſpoſitus ad conſequendum finem vltimum, videlicet æternam felicitatem. Oculus dicitur bonus, quando eſt aptus ad videndum, Logicus dicitur bonus, quando eſt aptus ad argumentandum. Minor probatur, quia operabile quatenus operabile ſignificat ordinem ad finem, ſicuti ſpeculabile quatenùs ſpeculabile habet ordinem ad prima principia, quæ ſunt fundamentum omnium ſpeculationũ. Ratio à priori eſt, quià omne id quod eſt operabile, eſt ab aliquo agente operabile, vt cõſtat ex terminis, quòd autem eſt operabile ab aliquo

agen-

agere,ſignificat ordinē ad finem,cū omne agens propter finem agat, vt demonſtrat S. Thomas in pr: ſec: & Philoſophus in primo ethicorum: ergo &c. quia vero fieri non poteſt, vt cognitio repræſentet aliquod in ordine ad finem,niſi repræſentet eius conuenientiam, & proportionem cum fine, ſicuti veritas ſpeculanda continetur in primis principijs, ex quibus ſequitur, ideò cognitio de obiecto operabili ſiue directiua cognoſcentis ad operandum, qualis eſt cognitio practica,debet repræſentare bonitatem, ſiue conuenientiam operis faciendi.

8. Probatur tertiò, quia definitio tradita eſt iuxta leges optimæ definitionis: conuenit enim omni, & ſoli definito, adeoque conuertitur cum ſuo definito, quia conuenit cuicumque cognitioni practicę, vt patet inductione per omnes cognitiones pertinentes ad prudentiam directiuam hominis ad felicitatem, & ad cæteras artes peculiares: præterea nulla eſt cognitio ſpeculatiua, in quam cadere poſſit definitio tradita;rurſùs explicat naturā & eſſentiā cognitionis practicę,eiuſque diſcrimen à cognitione ſpeculatiua, ergo eſt optima definitio.

9. Secūda concluſio: cognitio obiecti impoſſibilis non poteſt eſſe practica. Ita ſentiunt Suarez, Hurtadus, Arriaga, & alij communiter contra paucos recentiores.

10. Prob: omnis cognitio practica eſt eſſentialiter directiua cognoſcentis ad operandum, habet enim pro fine opus, ſed nulla cognitio

gnitio de obiecto impoſſibili eſt directiua cognoſcentis ad operandum, ergo nulla cognitio de obiecto impoſſibili eſt practica, ergo implicat in terminis cognitio practica circa obiectum impoſſibile: minor probatur, quia repugnat, vt aliqua cognitio dirigat cognoſcentem ad illud faciendum, quod fieri non poteſt, ſicuti repugnat dari medium ordinatum ad conſequendum finem, qui obtineri non poteſt, ideò nemo deſperans de fine operatur, vt dicit Philoſophus, & experientia demonſtrat, ſed cognitio obiecti impoſſibilis eſt cognitio rei, quæ fieri non poteſt, ergo repugnat vt iſta cognitio dirigat cognoſcentem ad opus.

11. Confirmatur, quia impoſſibile eſt illud, quo poſito ſequuntur omnia inconuenientia, quia ſequuntur contradictoria, ſicuti poſſibile eſt illud, quo exiſtente nullum exiſtit inconueniens, vt ait Ariſtoteles, ergo nulla cognitio obiecti impoſſibilis repræſentat bonitatem, ſiue conuenientiam operis faciendi à cognoſcente, ergo cognitio obiecti impoſſibiles non poteſt eſſe practica. Hoc argumentum, quod, quantum arbitror, eſt inſolubile, aduerſarij exiſtimant ſoluere, dicendo cognitionem practicam, quantum eſt de ſe poſſe facere illud obiectum, quod ex alio capite, hoc eſt ex intrinſeca terminorum repugnantia eſt impoſſibile, cum enim cognitio practica concurrat ad faciendum opus tantum directiuè, in tantum non ſequitur opus

ex

ex directione cognitionis practicæ verſantis circa obiectum impoſſibile, in quantum obiectum repugat: hoc autem naſcitur, vt ipſi philoſophātur, nō ex defectu directionis in cognitione, ſed ex defectu poſſibilitatis in obiecto, quia caſu quo euaderet obiectum poſſibile, ex vi talis cognitionis ſequeretur opus, ſicuti quatuor ſunt cauſę, quæ requiruntur ad aliquem effectum, nimirum cauſa efficiens, cauſa formalis, cauſa materialis, & finalis; poteſt autem contingere, vt cauſa materialis poſſit, quantum eſt ex ſe, facere effectum repugnantem ex repugnantia alterius cauſæ, quia in ea *hypotheſi*, in quà eſſent cæteræ cauſæ, illa effectum produceret. In hunc modum dicunt eſſe practicam cognitionem, quæ oſtendit modum venandi chimæram, in ea *hypotheſi*, in quà Chimæra eſſet venanda.

12. Huiuſmodi ſolutio (vt verum fatear) videtur potius verbis ludere, quam eludere vim argumenti, vt breuiſſimè oſtendo ex duplici capite; primo ideò cognitio de obiecto impoſſibili, vt fatentur Aduerſarij, quantum eſt de ſe dirigit ad opus, quia ſi obiectum euaderet poſſibile, ex vi huius cognitionis ſequeretur opus, ſed hoc eſt euidenter falſum, ergo ſolutio data eſt falſa. Mi: probatur, quia ſi obiectum impoſſibile euaderet poſſibile, non exiſteret cognitio obiecti impoſſibilis: ratio eſt, quia cognitio eſt imago obiecti, quod cognoſcit, & habet ordinem eſſentialem ad ſuum obie-

obiectum, obiecto enim mutato cognitio mutatur, ſed obiectum mutatur, ſi de impoſſibili fit poſſibile, ergo etiam mutatur cognitio obiecti impoſſibilis, ergo quantum eſt de ſe non dirigit ad opus, adeoque non eſt practica.

13. Secundò: idem formaliſſimè eſt dicere cognitionem practicam dirigere cognoſcentem ad faciendum opus in eo caſu, in quo non foret impoſſibile, ac dicere cognitionem practicã formaliſſimè reſpicere obiectum poſſibile in quantum poſſibile, quia idem formaliſſimè eſt potentiam viſiuam poſſe videre ſonùm in eo caſu, in quo ſonus eſſet color, ac potentiam viſiuam tendere in colorem quatenùs colorem: ſed ſi cognitio practica reſpicit obiectum poſſibile in quantum poſſibile, implicat cognitio practica de obiecto impoſſibili, ſicuti implicat potentiam viſiuam, videre rem ſonoram, quia tendit in colorem quatenùs colorem, ergo ex ipſa ſolutione, quam Aduerſarij tradunt, oſtenditur repugnare cognitionem practicam de obiecto impoſſibili. Confirmatur, quia ſi eſſet poſſibilis cognitio practica de obiecto impoſſibili, omnes cognitiones eſſent practicę, adeoq; nulla veritas daretur ſpeculatiua, quod repugnat ſenſui omnium Philoſophorum.

14. Illa inſtantia, quæ ſumitur ex paritate cæterarum cauſarum ad probandam cognitionem practicam obiecti impoſſibilis, non eſt ad rem, quia nulla cauſa poteſt, quantum eſt de ſe, pro-

producere effectum ſimpliciter impoſſibilem; immò argumẽtum retorquetur, quià ſicuti cauſa efficiens non poteſt quantum eſt de ſe producere effectum intrinſece repugnantem, ità cognitio practica, quæ eſt cauſa directiua non poteſt, quantum eſt de ſe dirigere cognoſcentem ad opus impoſſibile: Ratio à priori eſt, quià impoſſibile eſt illud, quod à Deo non poteſt produci, aliter Deus poſſet quãtum eſt de ſe chimęram producere, poſſet peccare, poſſet mori, quod imaginari, nedum aſſerere eſt ineptum, atque ridiculum; at nulla cauſa ſecunda poteſt, quantum eſt de ſe producere illud, quod non poteſt quantum eſt de ſe producere cauſa prima, ſiuè Deus, alioquin plus poſſet cauſa ſecunda, quàm prima, hoc eſt homo quàm Deus, ergo cauſa efficiens, quantum eſt de ſe, non poteſt producere effectum impoſſibilem.

15. Hinc colliges primo non eſſe practicas, ſed ſpeculatiuas illas cognitiones, quibus cognoſcimus Deum, Mundum, Cœlum, & Angelos, quià Deus non eſt obiectum operabile, cum ſit ens eſſentialiter increatum, Angeli verò & Mundus licèt produci poſſint, quia ſunt res creatæ, non poſſunt à nobis produci.

16. Colliges ſecundò, non eſſe practicam cognitionem, quam habemus de nutritione, generatione, & cæteris operationibus naturalibus ad vitam vegetantem pertinentibus. Ratio eſt, quià huiuſmodi obiecta ſunt quidem operabilia à cognoſcente, vt patet, ſed non ſunt

operabilia à cognoſcente quatenùs cognoſcente, cum nutritio, & generatio poſſint fieri præſcindendo ab omni cognitione. Inde eſt cognitionem practicam vt plurimum eſſe cognitionem alicuius artis; quià verò opera artis fiunt ab artifice operante per intellectum, hoc eſt, habente Ideam operis, ideò obiectum operabile, circa quod verſatur cognitio practica, debet eſſe operabile à cognoſcente quatenùs cognoſcente.

27. Colliges tertiò, ad cognitionem practicam eſſentialiter requiri ne opus exiſtat, vel ſit iam factum: Ratio eſt, quià cognitio practica antecedit opus, dirigit enim cognoſcentem ad operandum, ergo repugnat, vt cognitio practica ſupponat opus iam exiſtens.

18. Obijcies primò: Cognitio, qua aliquis cognoſcit quando peccat bonum eſſe non peccare, eſt cognitio ſpeculatiua, quia non poteſt dirigere cognoſcentem ad non peccandum; ſupponitur enim peccatum exiſtens; Rurſus eadem cognitio eſt practica, quando peccatum non ſupponitur exiſtens, ſed nullum diſcrimen inuenitur inter iſtas cognitiones, quarum vna oſtendit, bonum eſſe non peccare in priori ad ipſum peccatum; alia oſtendit bonum non peccare in eo ſigno, in quo eſt peccatum, ergo cognitio practica non diſtinguitur à ſpeculatiua.

19. Reſp. Conc: maior: & nego minor: diſcrimen inter cognitionem, quæ ſpeculatiuè

cogno-

cognoſcit, bonum eſſe non peccare in ſenſu compoſito peccati, & cognitionem, qua practicè cognoſcitur bonum eſſe non peccare, quam habet quicumque peccat in priori ad peccatum, in hoc præcisè conſiſtit, quòd ille, qui cognoſcit practicè bonum eſſe non peccare, adeòque cognoſcit bonitatem ſiue conuenientiam operis faciendi à cognoſcente quatenus cognoſcente habet pro obiecto potentiam indifferentem ad peccandum, vel non peccandum; adeòque præſcindit ab exiſtentia, vel non exiſtentia ipſius peccati, à qua non præſcindit, qui ſpeculatiuè cognoſcit bonum eſſe non peccare, quia ſuppoſita exiſtentia peccati, non poteſt prædicta cognitio illum dirigere ad non peccandum.

20. Obijcies ſecundò. Ariſtoteles in tertiò de anima text. 29. *Ait Intellectus ſpeculatiuus & practicus differunt fine,* quià ex ſecũdo Metaphyſicæ text. 3. *finis ſpeculatiui eſt veritas, practici opus*: ergo diſcrimen inter cognitionem ſpeculatiuam, & practicam non conſiſtit in eo, quòd cognitio practica repræſentet bonitatem operis faciendi, quam ſpeculatiua non repræſentat,

21. Reſp: Conc: Antec: & nego Conſeq: definitio cognitionis practicæ à nobis tradita, quæ oſtendit diſcrimen cognitionis ſpeculatiuæ à practica, non contradicit definitioni, quam tradidit Ariſtoteles, ſed potiùs illam declarat; quia ab Ariſtotele definitur cognitio practica

per

per cauſam finalem,quæ eſt cauſa extrinſeca; à nobis verò definitur per cauſam formalem, quæ eſt cauſa intrinſeca: Sciendum enim eſt ex ipſo Philoſopho omnia inſtrumenta, & conſequenter accidentia, quæ ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, debere prius definiri per cauſam extrinſecam, nimirum per cauſam finalem, antequam definiantur per cauſam intrinſecam, quæ deſumi debet ex fine, ad quem ordinantur. Ariſtoteles igitur in loco citato definit cognitionem ſpeculatiuam, & practicam per cauſam finalem, ex qua definitione nos formamus aliam definitionem, quæ explicat naturam, ſiuè eſſentiam cognitionis practicæ per cauſam formalem; Cognitio enim practica, quæ habet pro fine opus, debet repræſentare bonitatem, quam habet opus poſitum in poteſtate cognoſcentis cum fine, quem ars intendit: Ideò argumentum retorquetur.

22. Obijcies tertiò. Ex hac doctrina ſequitur eſſe practicam hanc cognitionem, quà aliquis cognoſcit bonum ſibi fore volare in eà hypotheſi, in quà eſſet auis: Conſequens eſt falſum, ergo & Antecedens.

23. Reſp. Nego ſequelam maioris; Ratio eſt, quia cognitio, de qua loquitur argumentum, æquiualet huic cognitioni: *mihi non eſt bonum volare*: ſed iſta cognitio non eſt practica, vt eſt certum, ergo neque prima: Maior probatur, quia propoſitio conditionalis in materia impoſſibili; *Equus ſi eſſet homo diſcurreret*, æqui-

æquiualet iſti, *impoſſibile eſt Equum diſcurrere*, quià impoſſibile eſt Equum eſſe hominem, ergo quicumque cognoſcit: *ſi eſſem auis bonum mihi eſſet volare*, abſolutè cognoſcit, ſibi non eſſe bonum volare, quià eſt impoſſibile hominem eſſe volucrem. In hunc modum ſoluuntur cætera argumenta, quæ in hac materia fiunt in hypotheſi impoſſibili.

24. Obijcies quartò. Cognitio, qua cognoſcit artifex ex tali diſpoſitione lapidum fieri domum; Rurſus cognitio, qua cognoſcit Logicus ex tali terminorum diſpoſitione ſequi ſyllogiſmum, eſt cognitio practica, ſed neutra repræſentat bonitatem operis, ergo cognitio practica non repræſentat bonitatem operis.

25. Reſp. Conc. maior: & nego min: cuius falſitas eſt manifeſta, quis enim eſt adeò rudis, qui non intelligat bonum eſſe ità ordinare lapides ad formandam domum, & terminos ad formandum ſyllogiſmum, ſi cognoſcit ex tali ordine lapidum fieri domum, & ex tali terminorum diſpoſitione ſequi Concluſionem. Hinc patet reiciendam eſſe opinionem illorum, qui cognitionem practicam à ſpeculatiua diſtinguunt, eò quòd practica tendit in obiectum modo præceptiuo, e. g. *Syllogiſmus in Barbara eſt faciendus ex tribus propoſitionibus vniuerſalibus*; Speculatiua è contrario non tendit modo præceptiuo, vt *Syllogiſmus in Barbara conſtat ex tribus vniuerſalibus*, cum ad operandum perindè dirigat ſecunda cognitio ac prima.

26. Obijcies quintò, Sunt plurimæ cognitiones practicæ, quæ dirigunt Intellectum, ſed iſtæ non repræſentant bonitatem operis faciendi, ergo non omnis cognitio practica repræſentat bonitatem operis. Minor probatur, quià illa cognitio repræſentat bonitatem operis, quæ eſt ordinata ad voluntatem mouendam, obiectum enim voluntatis eſt bonum, ſicuti obiectum intellectus eſt verum, ſed plurimæ dantur cognitiones practicæ non ordinatæ ad mouendam voluntatem, ergo, &c.

27. Reſp. Conc. maior. & nego min. Ad eius probationem neganda eſt maior, cuius falſitas indè conſtat, quod aliqua cognitio poteſt repræſentare bonitatem operis, & ſimul dirigere Intellectum ad operandum, vt patet primò à poſteriori, quià cognitio, quæ repræſentat bonum eſſe ita ordinare terminos ad formandum ſyllogiſmum, repræſentat bonitatem operis faciendi, & dirigit Intellectum ad formandum Syllogiſmum: ſecundò à priori, quia vnaquæque facultas habet peculiare bonum, circa quod verſatur, & ad quod habet inclinationem; Ità facultas videndi appetit colorem, in cuius aſpectu quieſcit, hinc eſt, quod Intellectus verſatur circa bonum ſuum peculiare, videlicet circa veritatem, licèt voluntas, quæ eſt facultas appetendi, reſpiciat bonum vniuerſale, hoc eſt bonum in ratione boni. Ex hac doctrina patet bonitatem operis, quæ debet repræſentari per cognitionem prácticam, inueniri etiam in illo

pecu-

peculiari bono, circa quod verſatur quæcumque facultas.

28. Obijcies vltimò. Cognitio practica debet dirigere cognoſcentem ad opus eidem liberum, ſed hoc non explicatur in definitione tradita cognitionis practicæ, ergo definitio tradita non eſt bona. Maior probatur, tum quia nemo dirigitur ad faciendum opus, ad quod habet antecedentem neceſſitatem, tum quia cognitio practica eſt cauſa, cur operans nó errat inoperando, vt patet in ſingulis artibus.

29. Reſp. primò. Omiſſa maior. & min. nego conſeq. definitio cognitionis practicæ debet explicare prædicatum conſtitutiuum eiuſdem cognitionis, adeòque diſcretiuum à cognitione ſpeculatiua: ad hoc explicandum non eſt neceſſe explicare, vtrùm opus, cuius bonitatem repræſentat cognitio practica, ſit liberum operanti; Ratio à priori eſt, quia definitio explicat naturam rei definitæ, ergo in definitione debent explicari prædicata certa, & indubitata, quæ conſtituunt naturam rei, præſcindendo à prædicatis dubiis ſed eſt certum, & indubitatum non poſſe cognitionem practicam dirigere ad operandum, niſi oſtendat bonitatem operis, ergo hoc prædicatum debet in definitione explicari: an verò opus faciendum pendeat, vel non pendeat à libertate operantis eſt dubium, & controuerſum, ergo ab hoc prædicato debet abſtrahere definitio: hæc ſolutio, vt patet, ſatis eſt ad infringendam vim argumenti.

 30. Quià

30. Quia vero exiſtimo non eſſe neceſſarium, vt cognitio practica repræſentet bonitatem operis faciendi liberè libertate contrarietatis, vel contradictionis, ideò reſpondeo ſecundo negando maior. nomine libertatis contrarietatis ſignificatur libertas ad faciendum aliquid benè vel malè; nomine libertatis contradictionis ſignificatur libertas ad aliquid faciendum, vel non faciendum; Ratio cur non requiratur ad cognitionem practicam huiuſmodi libertas eſt primò, quia Deus non eſt liber ad faciendum malè vel benè mundum, & tamen habet cognitionem practicam alterius mundi, quem poteſt creare, ergo ad cognitionem practicam non requiritur libertas contrarietatis: ſecundò quia Deus etiamſi neceſſariò, & ſine libertate contradictionis produceret Mundum adhuc haberet cognitionem practicam Mundi, quòd in illa hypotheſi operaretur per Intellectum, & voluntatem eò modò, quo in præſenti operatur, tamquam artifex totius naturæ, ergo libertas contradictionis non requiritur ad cognitionem practicam. Tertiò Chriſtus Dominus fuit metaphyſicè impeccabilis, & in ſententia valdè probabili, quam ſequuntur plures Theologi etiam Beata Virgo fuit impeccabilis, & tamen dictamen prudentiæ oſtendentis non eſſe peccandum, fuit in Chriſto cognitio practica: præterea cognitio, quam habet vnuſquiſque de amanda felicitate eſt practica. & tamen amor felicitatis non eſt liber

vt do-

vt docet S. Thom. in prim. ſecun. fateor profecto cognitiones practicas vt plurimum eſſe de obiecto libero operanti, ideò hallucinati ſunt aduerſarij exiſtimantes id eſſe eſſentiale cognitioni practicæ.

QVAESTIO II.

Vtrum omnes cognitiones Logicæ ſint ſpeculatiuæ vel practicæ.

1. ANtequam conſtet de natura ſcientiæ verſantis circa ens intentionale, an ſit practica, vel ſpeculatiua, opus eſt definire controuerſiam præſentem circa omnes cognitiones ad Logicam ſpectantes, de quibus eſt dubium, an ſint ſpeculatiuæ, vel practicæ: quod non eſt arduum diſcutere ex ijs, quæ de natura cognitionis practicæ hucuſque fuerunt diſputata. Tres igitur ſunt in hac re ſententiæ, in quas diuiſi ſunt omnes Philoſophi. Prima, quam docet Scotus cum omnibus Scotiſtis, ait, omnes cognitiones Logicas eſſe ſpeculatiuas. Secunda è contrario ait, omnes cognitiones, quæ ad Logicam ſpectant, eſſe practicas: Ità docet Arriaga diſput. 3. ſect. 3. qui citat pro ſua Sententia Conimbricenſes, Ochamum, Albertum, & plures recentiores. Tertia inter vtramque media, & vtrique contradicens, ait, non omnes cognitiones Logicas eſſe ſpeculatiuas, neque omnes practicas: quid in

tantà opinionum varietate opinandum ſit duplici aſſertione manifeſtum erit.

2. Aſſertio prima. Logica habet plurimas cognitiones ſpeculatiuas, adeòque non omnes cognitiones Logicæ ſunt practicæ.

3. Probatur primò: illæ cognitiones, quæ habent pro fine veritatem, in cuius contemplatione ſiſtunt, ſunt ſpeculatiuæ, ſed Logica habet plures huiuſmodi cognitiones, ergo habet plures cognitiones ſpeculatiuas, Min. probatur; Cognitio qua cognoſco, ſiue demonſtro Syllogiſmum in Barbara benè concludere, ſiſtendo in contemplatione huius veritatis proculdubio eſt cognitio Logica, ſed iſta cognitio habet pro fine veritatem, non minùs quam illa cognitio, quà Mathematicus demonſtrat tres angulos cuiuſcumque trianguli eſſe æquales duobus rectis, ergo iſta cognitio eſt ſpeculatiua; Idem dico de alijs cognitionibus ad Logicam ſpectantibus, quibus demonſtratur propoſitiones contradictorias non poſſe ſimul verificari, vel falſificari: contrarias poſſe ſimul falſificari, non poſſe ſimul verificari: ſubcontrarias poſſe ſimul verificari, non poſſe ſimul falſificari, ergo Logica habet multas cognitiones quæ habent pro fine veritatem, quod erat oſtendendum.

4. Neque mihi opponas, huiuſmodi veritatem, *Syllogiſmus in Barbara benè concludit* eſſe ordinatam ex natura ſua ad formandum Syllogiſmum, adeòque eſſe cognitionem practicam,

cam, id enim eſt euidenter falſum: Primò quia ſcire demonſtrationem huius veritatis non conducit ad faciendum Syllogiſmum in Barbara, ad quem faciendum ſatis eſt ſi cognoſcas abſque vlla demonſtratione huiuſmodi Syllogiſmum conſtare tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis. Secundò, quià licèt prædicta cognitio poſſit ad opus inclinare, nihilominus ex natura ſua talis eſt huiuſmodi veritas, vt ſit appetibilis gratia ſui, & non tantum gratia operis; Si enim Intellectui eſt appetibile ſcire veritatem Mathematicam de triangulo habente triangulos æquales duobus rectis, ità vt ſiſtat in contemplatione huius veritatis, non video cur non ſit eidem appetibile ſcire veritatem reflexam de Syllogiſmo demonſtratiuo, quo demonſtratur veritas Mathematica; ità vt ſiſtat in ſpeculatione huius veritatis reflexæ. Tertiò etiam ſi Intellectus haberet neceſſitatem arguendi, adhuc eſſet bonum Intellectui ſcire demonſtratiuè rationem, propter quam Syllogiſmus in Barbara rertè concludit. Confirmatur hæc doctrina, quià cognoſcere Syllogiſmos iam factos, & eos ſpeculari pertinet ad Logicam, vt eſt indubitatum, ſed cognitio, quæ ſpeculatur Syllogiſmum factum non eſt practica, quià factum non poteſt fieri, ergo eſt ſpeculatiua.

5. Probatur ſecundò eadem Concluſio; Logica habet multas cognitiones practicas, vt docent Aduerſarij, ergo habet etiam cognitio-

nes ſpeculatiuas; Conſequentia probatur, quià nulla eſt cognitio practica,quę non fundetur in aliqua cognitione ſpeculatiua, quemadmodum enim omnes veritates practicæ fundantur in veritatibus ſpeculatiuis, ità omnis cognitio practica originem habet à cognitione ſpeculatiua: ratio fundamentalis& à priori eſt,quià operari, vt docet Philoſophus,ſequitur ad eſſe,& modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſed Intellectus per cognitiones ſpeculatiuas cognoſcit, & ſpeculatur illud eſſe, quod habent omnes res, vel intrinſecum in ſe ipſis, vel extrinſecum & intentionale in mente cognoſcentis, & per cognitiones practicas dirigitur ad operandum, ergo omnis cognitio practica fundari debet in aliqua ſpeculatiua,ſicuti Concluſiones fundantur in principijs, ex quibus inferuntur: ergo ex eo quod Logica habet multas cognitiones practicas ſequitur eam habere aliquas ſpeculatiuas: quod erat probandum.

6. Dices: non valet iſta conſequentia. Logica habet multas cognitiones practicas, ergo aliquas habet ſpeculatiuas, aliter non eſſet vlla Scientia adæquatè practica, quod repugnat, ergo ratio àdducta ad probandam Concluſionem non eſt bona.

7. Reſp. diſt. Antec: non valet iſta conſeq. ratione materiæ, ſiue materialiter nego antec: non valet ratione formæ, ſiue formaliter, conc. antec; & nego conſeq:. Recolenda ſunt ea, quæ docuimus in Summulis de conſequentia

tia materiali,& formali;conſequentia prędicta eſt materialis, ſiue ratione materiæ, non eſt formalis, ideò non valet ratione formæ, ſiue formaliter: ratio à priori eſt, quia non valet vniuerſaliter, hoc eſt in quacumque materia: hæc ſcientia habet multas cognitiones practicas, ergo habet aliquas ſpeculatiuas, quia poteſt contingere, vt cognitiones ſpeculatiuæ, in quibus fundantur cognitiones practicæ conſtituentes ſcientiam adæquate practicā pertineant ad aliquam ſcientiā ſuperiorem, vt patet in medicina,quæ eſt ſcientia adæquatè practica de corpore ſanabili, cognitiones enim practicæ fundantur in cognitionibus ſpeculatiuis, quæ pertinent ad Phyſicam ſcientiam ſuperiorem, cui Medicina ſubordinatur: quòd autem valeat ratione materiæ, hoc eſt in hac ſingulari materia prædicta argumētatio,demōſtratur in hunc modum, quia cognitiones ſpeculatiuæ de ente intentionali, in quibus fundantur cognitiones practicæ dirigentes ad opus, non poſſunt pertinere ad aliquam ſcientiam ſuperiorem à Logica diſtinctā, tum quia cognoſcere ens intentionale non pertinet ad aliam ſcientiam præter Logicam, vt oſtenſum fuit in quæſt.prima,n.10.tum quia metaphyſica quæ eſt ſcientia omnium ſuprema non ſpeculatur niſi ens reale, cum ſit ſcientia realis.

8. Contra hanc doctrinam multa arguunt authores contrariæ ſententiæ, qui nimirum exiſtimant nullam eſſe cognitionem Logicam

quæ

quæ non dirigat ad operandum, adeoque Logicam eſſe adæquatè practicam.

9. Primo inſtrumentum quà inſtrumentum non habet aliam amabilitatem præter amabilitatem operis, quòd per ipſum fit, ſed Logica eſt inſtrumentum ſcientiarum, ergo non habet aliam amabilitatem, præter amabilitatem operis.

10. Secundò omnis ars habet omnes cognitiones practicas, ſed Logica eſt ars rectè cognoſcendi res omnes, ergo Logica habet omnes cognitiones practicas.

11. Tertiò nihil reperitur in Logica, quod non ordinetur ad operandum, vt patet inductione facta in omnibus Logicæ partibus: ergo omnes cognitiones ad Logicam ſpectantes ſunt practicæ.

12. Vltimo Logica non minus verſatur circa ens cognitum, quam ſcientia moralis circa ens morale, ſed iſta ſcientia eſt adæquatè practica: ergo etiam illa.

13. Ad primũ reſp: diſt: ma inſtrumẽtũ, quòd eſt purum inſtrumentum non habet aliam amabilitatem præter amabilitatẽ operis tranſeat maior; Inſtrumentum quòd non eſt purum inſtrumentum; nego maior: & diſtinincta eodem pacto minori nego conſequentiam. Sciendum eſt dari duplex inſtrumentum, iuxta doctrinam Ariſtotelis, & Diui Thomæ, aliud animatum. & coniunctum, aliud inanimatum, & ſeparatum. Ità Artifex ad Statuam formandam vtitur malleo

leo tamquam inſtrumento inanimato, & ſeparato, manu verò vtitur tamquam inſtrumento animato, & coniunĉto. Inſtrumentum inanimatum, & ſeparatum eſt purum inſtrumentum, adeoque poteſt eſſe aliquid ignobilius opere, neque aliam habet amabilitatem præter amabilitatem operis, vt patet in calamo, penn̄icillo, & malleo, quę ſunt inſtrumenta ſcribendi, pingendi, & ædificandi: inſtrumentum coniunctum, & animatum eſt nobiliſſimum genus inſtrumenti, adeoque non eſt purum inſtrumentum, habet enim amabilitatem, præter amabilitatem operis: aliquando eſt nobilius hoc inſtrumentũ ipſo opere, vt patet in intellectu, quem Ariſtoteles vocat inſtrumentum animæ ad intelligendum, in manu, quæ eſt inſtrumentum omnium inſtrumentorum: in humanitate Chriſti, quam appellat S. Thomas inſtrumentum diuinitatis. Logica eſt inſtrumentum animatum, & coniunctum, ideò habet amabilitatem gratia ſui, quia nimirum habet in ſe euidentiam, non minus quam cæteræ ſcientiæ, quæ gratia ſui expetuntur. Hinc eſt, quòd non non debet eſſe adæquatè practica, habet enim obiectum vniuerſaliſſimum, vt metaphyſica, cum qua maximè conuenit, vt ait Ariſtoteles in quarto Metaphyſicę; quarè ſicuti Metaphyſica dicitur ſcientia ſcientiarum, quià cognoſcit directè omnes res ſecundum eſſe reale ità Logica, quę cognoſcit reflexè omnes res ſecũdum eſſe intentionale dicitur egregrè à S. Thoma

ma in Prooemio in primum Phyſicorum librum eſſe principalior inter omnes artes, immò ars artium.

14. Ad ſecundum diſt: ma: omnis ars, quæ eſt tantum ars, eſt adęquatè practica concedo ma: omnis ars, quæ non eſt tantum ars. nego ma: & diſt: min: eodem pacto, deinde nego conſequentiam. Dictum eſt Logicam eſſe artem nobiliſſimam, adeoque complecti ſimul perfectionem artis, & perfectionem ſcientię ſpeculatiuæ.

15. Ad tertium diſt: ant; nihil reperitur in Logica, quòd non ordinetur tantum ad opus, nego ant: quòd non ordinetur ad veritatem, ſimul & ad opus concedo antecedens, & nego conſequentiam. Oſtenſum eſt omne id, quòd conſideratur à Logica in ordine ad opus, poſſe conſiderari etiam in ordine ad veritatem, quià etiam ſi non conduceret ad bene argumentandum cognitio ſyllogiſmi in Barbara, adhuc eſſet expetibile cognoſcere hanc veritatem Logicam, quòd nimirum ſyllogiſmus in Barbara optimè concludat.

16. Ad vltimum, omitto ſcientiam moralem eſſe adæquatè practicam, qua de re nihil certi definio, quià non eſt præſentis inſtituti: diſparitas inter moralem & Logicam eſt iſta, quià moralis habet pro fine felicitatem hominis, vt Ariſtoteles demonſtrat, ideò debet vnicè ordinari ad operandum, Logica è contrariò non debet vnicè ordinari ad operan-

ran-

randum, quia habet pro fine non ſolùm accommodare rebus omnibus quamcumque cognitionem, ſed etiam habet pro fine ſpeculari veritatem entis intentionalis.

17. Aſſertio ſecūda: Logica habet multas cognitiones practicas, adeoque nōn omnes cognitiones Logicæ ſunt ſpeculatiuæ.

18. Ratio eſt, quia nemo, quantùm ego arbitror, poteſt in dubium vocare, an ſint practicæ cognitiones, quæ repræſentant bonum eſſe ita diſponere præmiſſas ad fabricam optimi ſyllogiſmi: huiuſmodi cognitiones ſpectare ad Logicam indè conſtat, quòd verſantur circa ens rationis Logicum, nimirum circa denominationes rei bene ſyllogizatæ, quæ citra controuerſiam ſunt ſecundæ intentiones: prætereà quis dubitat an poſſint res omnes benè, vel malè cognoſci? debent igitur tradi *præcepta* de rebus bene cognoſcendis, quæ indubitanter ſunt cognitiones practicæ: huiuſmodi præcepta traduntur à Logica: ergo Logica habet multas cognitiones practicas quòd erat demōſtrandū.

19. Soluendum reſtat, quòd Scotus, quem habemus in hac ſententia aduerſarium nobis in hunc modum opponit. Nullus actus intellectus eſt praxis, ſed omnis cognitio Logica verſatur circa actus intellectus; ergo nulla cognitio Logica verſatur circa praxim, ergò nulla cognitio Logica eſt practica: maiorem, quæ eſt apertè falſa, vt demonſtrabimus, ſubtilis Doctor conatur tribus argumentis nobis

pet-

perſuadere. Primo ex Ariſtotele, qui ait actum intellectus fieri practicum extenſione, ergo in tantum aliqua cognitio eſt practica, in quantum extenditur ad dirigendum actum alterius artis, ergo nulla cognitio eſt praxis. Secundò quià praxis eſt actus alterius potentiæ ab intellectu, ergo nullus actus intellectus eſt praxis; tertiò quià omnis actus intellectus eſt ſpeculatio, ergo omnis cognitio Logica, quæ verſatur circa actus intellectus habet pro fine ſpeculationem, ergo eſt ſpeculatiua.

20. Reſp: neg: ant; Ad primum argumentum in contrarium concedo antecedens, & nego conſequentiam; neque video quomodo ex illo antecedenti, quòd nos cum Philoſopho admittimus, potuerit Scotus conſequentiam inferre, niſi principium Ariſtotelicum, *intellectus extenſione fit practicus*, quòd eſt veriſſimum, vt dicam in quæſtione ſequenti, detorqueatur ad ſenſum falſum.

21. Ad ſecundum argumentum: antecedens eſt falſum, quòd ſine vllo fundamento aſſumitur à Scoto, qui non eſt mirum ſi errauerit, quòd ait praxim eſſe actum alterius potentiæ ab intellectu, quoniam errauit in ſenſu huius principij, *intellectus extenſione fit practicus*. vt enim egregiè obſeruat cum Philoſopho S. Thomas, quicumque error qui eſt paruus in principio eſt maximus in fine, non ſolùm in agibilibus, ſed etiam in ſpeculabilibus. Cæterum eſt falſum, quòd ibi Scotus aſſumit,

quià

quiâ enim cognitio quæ dirigit pictorem ad pingendum, & ſtatuarium ad formandam ſtatuam, eſt practica, cur non erit practica cognitio, quæ dirigit intellectum ad cognoſcendum bene res omnes?

22. Ad tertium. In primis eſt falſum omnem ſcientiam, cui Logica inſeruit, eſſe ſpeculatiuam, adeoque omnem actum intellectus eſſe ſpeculationem: deindè etiam ſi hoc verum eſſet, nihil argumentum conficeret, quiâ actus metaphyſicæ, quatenus eſt actus, qui conſiderat veritatem metaphyſicam, eſt ſpeculatio, & quatenus eſt actus, quem præcepta Logicæ dirigunt eſt praxis, ſiue opus factum à Logica.

QVAESTIO III.

Vtrum Logica ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica.

1. Sciendum primò omnem ſcientiam eſſe ſpeculatiuam, vel practicam, quiâ ratio ſpeculatiui, & ratio practici ſunt differentiæ, quæ diuidunt genus ſcientiæ, ſicuti viuens eſt vegetabile, vel ſenſitiuum, vel rationale, quia genus viuentis contrahitur ad varias ſpecies per huiuſmodi differentias: hinc eſt non poſſe inueniri ſcientiam, quæ non ſit ſpeculatiua, neque practica, eo modo, quo non

non poteſt inueniri viuens, quòd neque ſit vegetabile, neque ſenſitiuum, neque rationale: ratio à priori eſt, quià ſcientia quæ habet pro fine veritatem eſt ſpeculatiua, &,quæ habet pro fine opus eſt practica, ſed omnis ſcientia habet pro fine veritatem, vel opus. ergo omnis ſcientia eſt ſpeculatiua, vel practica.

2. Sciendum ſecundo non omnem ſcientiam eſſe ſpeculatiuam neque omnem practicam ſed aliquam eſſe ſpeculatiuam, & aliquam practicam: ratio à priori eſt, quià intellectus eſt ordinatus non ſolum ad exploranda opera naturæ, adeoque mouetur ad cognoſcendam veritatem per ſcientias ſpeculatiuas,quarum principium eſt in rebus, vt optimè obſeruat Ariſtoteles in ſua Metaphyſica, ſed etiam debet ordinari ad facienda opera artificialia, quæ vt docet S.Thomas originem habent ab aliquo principio extraneo nimirum ab arte, quæ eſt in mente artificis, ideò ad facienda opera artis mouetur per ſcientias practicas,quarum principium eſt in intellectu, vt ingenioſè ibidem demonſtrat Philoſophus: hinc ſequitur, quòd homo naturaliter appetit ſcire non ſolum propter ipſum ſcire, vt dicit Ariſtoteles in principio Methaphyſicæ, ſed etiam propter agere: quia nuturaliter eſt imitatiuus, omnis autem imitatio habetur per artē, qua imitamur opera naturæ: ideò intellectus humanus quià contemplatur opera naturæ inquirendo veritatem naturali inſtinctu mouetur ad imitandam ipſam

ſam naturam faciendo aliquod opus artificiale

3. Sciendum tertiò ſenſum illius propoſitionis, quam obſcuriſſimam affert Ariſtoteles agendo de ſcientijs practicis *intellectus extenſione fit practicus* eſſe huiuſmodi, qui clariſſimè deducitur ex doctrina nupertradita, videlicet intellectus, cui natura dedit duplicem appetitum vtrumque vehementiſſimum, alterum ſciēdi, alterum operandi, extenditur à ſpeculatione rerum naturalium ad imitandam naturam per opera artis, adeoque per cognitiones practicas intrinſecè inclinantes intellectum ad operandum.

4. Hoc principium Ariſtotelicum malè à Scoto intellectum eidem præbuit, occaſionem errandi circa quæſtionem de Logica ſpeculatiua, vel practica, vt oſtenſum eſt. qu. 3. nu. 21.

His præſuppoſitis; controuerſum eſt, an Logica, quæ eſt ſcientia rationalis pertineat ad ſcientias ſpeculatiuas, vel practicas: controuerſiam præſentem eſt facillimum definire ex fundamentis iactis in quæſtione præterita.

5. Noſtra igitur ſententia eſt, Logicam eſſe ſpeculatiuam ſimul, et practicam: ratio eſt manifeſta, quia illa ſcientia quæ conſtat ex cognitione ſpeculatiuâ, & practica, eſt ſpeculatiua ſimul, & practica, ſed Logica eſt huiuſmodi, vt conſtat ex ijs, quæ demonſtrauimus in quæſtione præcedenti. nu. 2. & 17. ergo Logica eſt ſpeculatiua ſimul & practica.

6. Hos argumentum ſatis eſt ad oſtenden-

dam veritatem noſtræ ſententiæ, iuuat tamen ad vberiorem doctrinam plura argumenta producere, quæ vtramque partem noſtræ ſententiæ ſingillatim demonſtrent.

7. Prima itaque pars de Logica ſpeculatiua in hunc modum demonſtratur primo. Omnis ſcientia, quæ eſt gratia ſui, eſt ſpeculatiua, habet enim pro fine veritatem, ſed Logica eſt ſcientia gratia ſui, ergo eſt ſpeculatiua, Minor probatur, diſcurrendo per cæteras ſcientias primarias: Phyſica, quæ conſiderat veritates entis materialis ſpeculando eius naturam, eſt gratia ſui, & ſiſtit in veritate cognita: Mathematica quià contemplatur veritates entis extenſi, in quibus tamquam intermino quieſcit eſt etiam gratia ſui: idem dicendum de Metaphyſica, quæ tota eſt in contemplanda veritate entis immaterialis, plurima de ipſo demonſtrãdo, ergo Logica eſt gratia ſui, & ſiſtit in cognitione veritatis.

8. Demonſtratur ſecundò: ſcientia eſt, quæ cognoſcit ſuum obiectum præcisè ex fine ſciendi, ſed Logica cognoſcit ſuum obiectum, nimirum ens intentionale præcisè ex fine ſciendi, ergo eſt ſpeculatiua: minor probatur, illa ſcientia cognoſcit præcisè ex fine ſciendi, cui bonum eſt conſiderare ſuum obiectum præſcindendo ab omni opere, ſed eſt bonum intellectui conſiderare per Logicam ens intentionale præſcindendo ab omni opere, quià intellectus etiamſi per cognitionem, quæ demonſtrat

ſtrat ſyllogiſmum in Barbara benè concludere non dirigeret ad opus, adhuc appeteret cognitionem huius veritatis.

9. Confirmatur quià Logica in cognitione entis intentionalis eo modo procedit, quo cæteræ ſcientiæ ſpeculatiuæ procedunt in contemplatione ſui obiecti. In primis verſatur circa rationes vniuerſaliſſias, quòd eſt proprium ſcientiæ ſpeculatiuæ, nihil enim eſt magis vniuerſale, quam ratio cogniti, quæ extenditur ad res omnes præſentes, præteritas, futuras, poſſibiles, & in noſtra etiam ſententia, ſuo loco tradenda, impoſſibiles, deindè reſoluit concluſiones ſuas in prima principia nota lumine naturæ, quæ non poſſunt amplius demonſtrari; huiuſmodi ſunt dici de omni, & dici de nullo, hæc enim duo principia, vt in ſummulis demonſtrauimus, ſunt regula cuiuſcumque ſyllogiſmi rectè concludentis: præterea ſpeculatur ens intentionale exiſtens, nimirum ens iam cognitum, quod non poteſt eſſe obiectum cognitionis practicæ.

10. Demonſtratur vltimò eodem argumento, quo Ariſtoteles in primo metaphyſicæ c. 4. demonſtrat phyſicam eſſe ſpeculatiuam: Logica in contemplatione ſui obiecti procedti modo diuerſo à modo quo procedunt omnes artes, ſed omnis ſcientia & facultas practica eſt ars, ergo Logica procedit modo diuerſo à modo, quo procedunt ſcientiæ practicæ, ergo eſt ſcientia ſpecalatiua; probo maiorem afferen-

do verba Piloſophi, qui modo indicato probat phyſicam procedere modo diuerſo à facultatibus practicis. *Cum autem ſit aliqua*, inquit Ariſtoteles, *de natura ſcientia, patet quòd ab arte actiua, & factiua diuerſa erit, factiua namque in efficiente, non in eo quod fit: motus principium eſt; ſimiliter, & actiua non in eo, quod agitur, ſed magis in agentibus motus eſt: naturalis vero ſcientia circa ea, quæ in ſeipſis habent motus principium, eſt.*

11. Hæc ſunt Ariſtotelis verba, in quibus continetur iſta ſpeculatio tanto Philoſopho digna. Artes conſiderant ens in quantum principium motus eſt, non in ente, ſed in operante, vt patet oſtenſiuè in ſtatuaria, quæ conſiderat marmori in quantum principium, à quo mouetur ad ſtatuam formandam, non eſt in marmore, ſed eſt in ipſo Artifice, qui habet in mente ideam ſtatuæ. Contrà verò facultates ſpeculatiuæ conſiderant ens, in quantum principium motus, quo intellectus mouetur ad illud intelligendum eſt in rebus, vt patet in metaphyſica; quæ mouetur ad conſiderandas ſubſtantias immateriales, in quantum principium motus inuenitur in ipſis ſubſtantijs mouentibus intellectum ad formandam aliquam imaginem ſui: in veritate huius ſpeculationis, quam excogitauit Ariſtoteles, fundatur illud vulgare proloquium: *Ars ſiue ſcientia practica eſt cauſa ſui obiecti; & ſcientia ſpeculatiua non eſt cauſa rerum ſed cauſatur à rebus cognitis.* In præſenti

mate-

materia, vt ad rem noſtram Ariſtotelis doctrinam traducamus, Logica ità conſiderat ſuum obiectum nimirum ens intentionale, vt principium, à quo mouetur ad illud conſiderandum ſit in ipſo ente intentionali, quod producit in intellectu ſcientiam ſui, eo modo quo ens reale producit ſcientiam methaphyſicam: ergo &c.

12. Reliquum tandem eſt vt demonſtremus ſecũdam partem noſtræ ſentẽtiæ circa Logicam practicam, quæ hoc ſyllogiſmo demonſtratur. Illa ſcientia, quæ à ſpeculatione ſui obiecti procedit ad repræſentandam bonitatem operis faciendi à cognoſcente quatenus cognoſcente, non eſt ſolũ ſpeculatiua, verum etiam eſt practica, ſed Logica à ſpeculatione illius veritatis, quæ inuenitur in ente intentionali mouetur ad repræſentandam bonitatem operis entis intentionalis faciendi à cognoſcente quatenus cognoſcente, ergo eſt ſcientia non ſolum ſpeculatiua, ſed etiam practica: minor probatur: intellectus ſtatim ac demonſtrauit ſyllogiſmum in Barbara benè cocludere, adeoque ſpeculatus eſt hanc veritatem, eam reſoluendo in principia vniuerſaliſſima, & nota lumine naturæ, progreditur ad quærendam practicam veritatem, quæ dirigat ad formandum ſyllogiſmum in Barbara per cognitionem pract cam, quæ oſtendit bonum eſſe ità diſponere præmiſſas ad bene ſyllogizandum, ſed cognitiones practicæ per quas intellectus à ſpecula-

culatione ſyllogiſmi in Barbara mouetur ad opus, pertinent ad Logicam, vt eſt euidentiſſimum ergo: &c.

13. Hinc colliges Logicam non eſſet ſcientiam adæquatè practicam, vt contendit Arriaga cum pluribus recentioribus, neque adæquatè ſpeculatiuam, vt docuit Scotus, ſed propter obiectum, quod reſpicit ſub maxima vniuerſalitate, hoc eſt ſub ratione cogniti, quæ ratio eſt vniuerſaliſſima eſſe ſcientiam ſpeculatiuam ſimul & practicam, adeò vt in ſe contineat formaliter, vtramque rationem, longè tamen eminentius, & ſublimius, quàm ratio ſpeculatiui contineatur in ſcientijs adæquatè ſpeculatiuis, & ratio practici in ſcientijs adæquatè practicis; & ratio eſt, quià in conſideratione ſui obiecti procedit tum ſpeculatiuè, quærendo veritates entis intentionalis, tum practicè, conſiderando ens intentionale in ordine ad praxim; vterque enim finis nimirum contemplatio veritatis, & directio ad opus ità intenditur, vt alterutro deficiente etiam magnopere eſſet deſideranda.

24. Hæc quoad quæſtionem de re, quantum ad quæſtionem de nomine, quæ apud me nullius eſt momenti, aliqui ſolent eam vocare partim ſpeculatiuam, partim practicam: mihi videtur vocanda ſimpliciter ſpeculatiua, & practica ſecundum quid, tùm quia ratio ſpeculatiui eſt longe nobilior quam ratio practici, tùm quià id magis accedit ad mentem Sancti Tho-

Thomæ, qui eadem de cauſa appellat Theologiam ſpeculatiuam ſimpliciter & practicam ſecundum quid in prima parte quæſtione prima art. 4. quem articulum acutiſſimè explicat ibidem more ſuo Caietanus.

25. Notandum tamen eſt iſtas particulas *practicam ſecundum quid* non eſſe accipiendas in eo ſenſu, in quo vulgò dicitur Aethiops albus ſecundum quid, hoc eſt ſecundum aliquam ſui partem, quaſi Logica eſſet practica agens de aliquo peculiari obiecto, id enim eſt falſum, cum ſit practica agens de ente apprehenſo, iudicato, & ſyllogizato: ſenſus igitur eſt Logicam accedere ad perfectionem ſcientiæ practicæ, hanc enim participat longè eminentius quàm ſcientia adæquatè practica: in hoc ſenſu idem Sanct. Thomas ait Theologiam eſſe practicam ſecundum quid, vt cum celeberrimis Theologis egregiè inſinuat P. Martinus de Eſparſa in proœmio Theol.

26. Obijcitur primo: ratio ſpeculatiui, & ratio practici ſunt differentiæ quæ contrahunt genus ſcientiæ, ergo non poſſunt ſimul inueniri in vna ſcientia: ergo Logica non eſt ſpeculatiua, & practica; Conſequentia probatur, quia differentiæ contrahentes genus ſunt differentiæ oppoſitæ, ſed differentiæ oppoſitæ non poſſunt ſimul componi in vna ſcientia, ergo &c.

27. Reſp. hoc idem argumentum, quòd ſolet fieri contra ſententiam S. Thomæ do-

centis Theologiam eſſe ſpeculatiuam, & practicam, egregiè ſolui à Caietano loco citato, vbi ad oſtendendum poſſe in vna ſcientia reperiri coniunctas prædictas differentias, affert nobilem doctrinam hauſtam, vt ipſe fatetur, à Sanc. Doctore, qui in 2. 2. quæſtion. 45. art. 3. diſertè docet ſapientiam, quæ eſt vnum ex ſeptem donis Spiritus Sancti eſſe ſpeculatiuam & practicam, quia cum Deum attingat per quamdam vnionem Spiritus, non ſolum illuminat intellectum in ordine ad contemplandum Deum, ſed etiam mouet voluntatem in ordine ad operandum.

28. Inhærendo igitur doctrinæ, quàm accepit à S. Thoma Caietanus; ſciendum eſt hanc eſſe naturæ legem, vt perfectiones diuiſæ in rebus ignobilioribus & inferioribus reperiantur coniunctæ in rebus nobilioribus & ſuperioribus, quæ proindè habent in ſe perfectionem rerum inferiorum non quidem formaliter, ſed eminentius. Patet hoc euidentiſſimè in ſupremo, & præſtantiſſimo ente, quòd eſt Deus: in ipſo enim reperiuntur vnitæ omnes perfectiones, quæ diuiſæ conſtituunt plures & ferè innumerabiles res creatas, eò pacto quo aquæ diuiſæ conſtituunt flumina, & in vnum locum congregatæ conſtituunt mare. Hinc eſt, quòd aliqua virtus quantò eſt altior ad plura extenditur, vt docet acutè Philoſophus in libris de cauſis: huius principijs veritas patet in cauſis non ſolum efficientibus, ſed

&

& in formalibus . In primis Sol , qui in genere cauſæ ſecundæ dicitur cauſa vniuerſalis , habet in ſe virtutem producendi plures effectus diuerſos ſpecie , qui non poſſunt procedere niſi à cauſis particularibus diuerſis ſpecie ; præterea anima rationalis , quæ eſt forma corporis eidem tribuit in genere cauſę formalis perfectionem vitæ vegetantis, & ſentientis , quæ oriuntur à formis inferioribus ſpecie diuerſis , videlicet à forma plantæ , quæ eidem tribuit in genere cauſæ formalis , vitam vegetantem ; brutorum, quæ tribuit brutis vitam & ab anima ſentientem,adeoq;eſt verum animam rationalem eſſe ſimul intelligentem, ſentientem, & vegetantem , in ea enim inueniuntur coniunctæ perfectiones formarum , quæ ſunt ſpecie differentes .

20. Hæc doctrina , quæ eſt veriſſima, nobis aperit viam ad explicandum, quomodo ratio ſpeculatiui , & ratio practici, quæ ſunt differentiæ conſtituentes ſcientias inferiores diuerſas ſpecie , inueniri poſſint vnitæ in vna ſcientia , quæ habet maiorem vniuerſalitatem, vel dignitatem ratione ſui obiecti , ità vt ea quæ eſt practica ſimul & ſpeculatiua, in gradu quodam ſuperiore contineat eas differentias , quas continent ſcientiæ inferiores , quæ ſunt tantùm practicæ . Hæc eſt germana doctrina Sancti Thomæ, qui notanter docet Sac. Theol. eſſe ſpeculatiuam ſimul , & practicam ; ità vt vtramque rationem eminenter contineat propter

ter dignitatem ſui obiecti, quòd eſt Deus tamquam veritas ſpeculabilis & tamquam finis vltimus noſtrarum actionum. Eodem pacto doceo rationem ſpeculatiui & practici, quæ conſtituunt ſcientias inferiores,& minus vniuerſales,inueniri formaliter quidem, ſed eminentius in vna Logica, quæ eſt ſcientia ſuperior & vniuerſalior propter obiectum vniuerſaliſſimum, ratione cuius tribuit modum ſciendi omnibus ſcientijs tàm ſpeculatiuis, quàm practicis. In forma igitur ad argumentum; omitto antecedens,;& diſt. conſequens, ergo non poſſunt inueniri ſimul in vna ſcientia inferiori: omitto conſequentiam: in ſuperiori nego conſequentiam. Ad eius probationem diſt. antecedens: differentiæ,quæ contrahunt genus,ſunt oppoſitæ reſpectu ſpeciei inferioris tranſeat maior; reſpectu ſuperioris: nego mai: & diſtincta minori, diſtinguo eodem pacto conſequens. Sicuti non valet dicere: vegetare, & ſentire, ſunt differentiæ contrahētes genus viuentis,ergo non poſſunt conponi in vna, & eadē ſpecie: quia in rerum natura eſt animal rationale, quòd continet in ſe vitam vegetantem, & ſentientem:itá non valet iſte modus arguendi:ſpeculatiuum & practicum ſunt differentiæ contrahentes genus ſcientiæ, ergo non poſſunt componi in vna ſcientia, datur enim aliqua ſcientia quæ vtramque rationem eminentiùs continet.

30. Obijcitur ſecundò. Itá ſe habet ratio

ſpe-

ſpeculatiui, & ratio practici reſpectu ſcientiæ, ſicuti rationale & irrationale reſpectu animalis: ſed nullum eſt animal, quòd ſimul ſit rationale, & irrationale, ergo nulla eſt ſcientia ſpeculatiua ſimul & practica.

31. Reſp. nego ma. quia irrationale eſſentialiter includit negationem rationalis: poteſt etiam in hunc modum diſtingui ma: ratio ſpeculatiui adæquatè & ratio practici adæquatè ità ſe habent, ſicuti rationale, & irrationale omitto ma: ratio ſpeculatiui ſimpliciter, & practici ſecundùm quid: nego ma: & conceſſa mi: diſtinguo eodem modo cnnſequens,

32. Obiic. tertio Logica non poteſt eſſe ſimul gratia ſui, & gratia operis, ergo non eſt ſpeculatiua & practica: antecedens probatur: quòd eſt gratia ſui non eſt gratia alterius, vt patet ex terminis: ſed quòd eſt gratia operis eſt gratia alterius: ergo quòd eſt gratia alterius, non eſt gratia ſui. Confirmatur quià intellectus ſpeculando quieſcit in veritate cognita tamquam in termino, per cognitionem verò practicam mouetur ad operandum: ſed repugnat idem moueri ſimul & quieſcere: ergo repugnat intellectum verſari modò ſpeculatiuo & practico circa idem obiectum.

33. Reſp. nego antecedens. Ad eius probationem diſtinguo ma: quòd eſt tantum gratia ſui, non eſt gratia alterius: concedo ma: quòd eſt: tantū gratia ſui non nego ma: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Oſtenſum eſt

quo-

quomodo Logica, cuius obiectum eſt vniuerſaliſſimum, contineat formaliter rationem ſpeculatiui & practici; ideò non repugnat eam ità verſari circà ens intentionale, vt in illud tendat per aliquas cognitiones, quæ habent veritatem pro fine, & in idem tendat per alias cognitiones, quę habent pro fine opus. Hinc patet ad confirmationem. In forma concedo maiorem, & diſtinct. minorem repugnat idem moueri per vnum actum, & ſimul quieſcere per eumdem: concedo minorem: moueri per vnum, & quieſcere per alium: nego minorem, et conſequentiam.

33. Obijc. vltimò: Logica vel eſt ſpeculatiua ſecundùm vnam partem, & practica ſecundùm aliam: vel eſt practica, & ſpeculatiua ſecundum omnem partem, neutrum dici poteſt, ergo &c. Minor probatur: non poteſt dici primum, quia nihil eſt in Logica, quòd non inclinet ad opus; non ſecundum, alioquin Logica eſſet adequatè practica, neq; eſſet vnus habitus.

35. Reſp. concedo ma: & nego minorem: Logica eſt ſpeculatiua ſimpliciter & practica ſecundum quid, vt explicatum eſt; quia nullum eſt obiectum, quòd à log. cõſideretur practicè, & ſpeculatiuè non poſſit conſiderari, quòd autem ratio ſpeculatiui, & ratio practici non excludant vnitatem, ex eo conſtat, quòd habitus particulares diſtincti poſſunt conſtituere vnum & eumdem habitum vniuerſaliorem, qui eminentius contineat vtramque rationem.

QVAE-

QVAESTIO IV.

Vtrum logica ſpeculatiua ſit virtus & ſcientia ſecundùm omnem partem.

1. NOn poteſt eſſe dubium, quin Logica verè & propriè ſit ſcientia, eſt enim vna ex quatuor præcipuis, vt patet ex dictis: ratio vlterior eſt, quià habet omnes conditiones ſcientiæ requiſitas ab Ariſtotele in primo poſteriorum cap. 2. verſatur enim circa veritates, quæ non ſunt ex terminis notæ, ſed ſunt demonſtrabiles, & ordinatè procedit ab vna re ad aliam, nimirum à cognitione entis apprehenſi ad cognitionem entis definiti. Præterea habet pro obiecto aliquid, quod eſt vnũ genere, & in varias ſpecies diuiditur nim rum ens cognitum, quod diuiditur in ens apprehenſum definitum, & ſyllogizatum.

2. Huiuſmodi ſcientia tres habet partes, videlicet analyticam, ſiuè demonſtratiuam, quam tradit Ariſtoteles in libris priorum, & poſteriorum, vbi agit de ſyllogiſmo, & demonſtratione: topicam ſiuè dialecticam, quam tradit in libris topicorum, vbi agit de ſyllogiſmo opinatiuo ſiuè probabili: ſophiſticam, quam tradit in 1. & 2. libro elenchorum, vbi agit de ſyllogiſmo ſophiſtico, ibique tradit modum cognoſcendi, & ſoluendi quamcumque fallaciam. Poſita iſta diuiſione Logicæ in analyticam, topicam, & ſophiſticã, quæritur in

pre-

præſenti, vtrum Logica quatenùs ſpeculatiua ſit virtus & ſcientia ſecundùm omnes partes: de Logica practica, de quâ eſt ſpecialis difficultas, non erit in præſenti ſermo. Pro intelligentia huius quæſtionis ſciendum primo virtutem in genere defini à Philoſopho in ſecundo ethicorum cap.6. eam *quæ facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum*: veritatem huius definitionis ibidem demonſtrat philoſophus inductione facta per ſingulas virtutes tam phyſicas & naturales, quàm morales; virtus oculi reddit oculum bonum, eumque facit aptum ad videndum, ſimiliter virtus hominis bonum facit hominem, eumque reddit aptum ad conſequendum finem ſuum, nimirum felicitatem.

3. Sciendum ſecundò virtutem rationalem, quæ eſt propria hominis, eumque bonum facit, diuidi ab eodem Ariſtotele in primo ethicorum cap. 13. in virtutes pertinentes ad intellectum, quæ vocantur virtutes intellectus, & virtutes pertinentes ad voluntatem, quæ vocantur morales. Ratio à priori huius partitionis eſt, quia in homine, qui eſt ſubſtantia rationalis ſunt duæ facultates rationales, nimirum intellectus, qui eſt facultas cognoſcendi omne verum, & voluntas, quæ eſt facultas amandi omne bonum; Ideò virtus rationalis, quæ perficit intellectum vocatur intellectus, & virtus rationalis, quæ perficit voluntatē vocatur moralis; hoc eſt diſcrimen inter virtutes per-

pertinentes ad intellectum, & virtutes pertinentes ad voluntatem, quòd per illas homo ſit bonus non ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, nimirum bonus Theologus, Philoſophus & Poeta bonus; per iſtas verò ſit ſimpliciter bonus, quæ proindè vocantur morales, quia pertinent ad bonos mores: hinc qui laudat aliquem hominem propter virtutes morales eum laudat non quia Philoſophum, Theologum, vel Poetam, ſed quia iuſtum, ſanctum, & bene moratum. De his virtutibus moralibus non eſt hic ſermo, quia non poteſt in controuerſiam cadere, an Logica ſit virtus moralis.

4. Sciendum tertiò virtutes intellectuales diuidi ab eodem Ariſtotele in quinque habitus, videlicet in habitum primorum principiorum, quem vocat habitum intellectus, quia intellectus per iſtum habitum aſſentitur primis principijs, hoc eſt illis veritatibus, quæ ſine vllo diſcurſu ſunt omnibus notæ: in habitum ſapientiæ, quæ demonſtrat ſuas concluſiones per cauſas altiſſimas, ſiue rationes ſuperiores: in habitum ſcientiæ, quæ verſatur circa ea, quæ non poſſunt aliter contingere, eaque reſoluit in prima principia: in prudentiam, quæ eſt habitus cum vera ratione electiuus circa eà, quæ ſunt bona, vel mala homini quatenùs homini: & in artem, quæ eſt habitus cum verà ratione factiuus circà ea, quæ poſſunt benè, vel malè fieri: hinc eſt, quòd ſuſpicio, & opinio ſiue habitus opinandi non eſt virtus intellectualis,

lis, vt ibidem demonſtrat Ariſtotiles: & ratio à priori eſt, quia virtus eſt id, per quod anima dicit ſemper verum, ſed anima opinando dicit aliquando falſum, quia quod eſt opinabile non eſt ſemper verum, ergo habitus opinandi non eſt virtus.

5. Dicendum primò, Logicam ſpeculatiuã eſſe virtutem intellectus non ſolùm quoad Analyticam, ſed etiam Topicam, & ſophiſticam.

6. Probatur primò quoad Topicam, quia de Analytica non poteſt eſſe dubium ex definitione virtutis. Intellectus per habitũ ſpeculatiuum Logicæ Topicæ determinatur ad dicendum ſemper verum, quia non minus demonſtrat per analyticam ſyllogiſmum demonſtratiuum euidenter concludere, quàm demonſtret per topicam ſyllogiſmum probabilem, in quo infertur concluſio ex præmiſſis probabilibus, concludere tantum probabiliter, ſed ex eo, quòd per analyticam demonſtrat ſyllogiſmum demonſtratiuum concludere euidenter, dicit ſemper verum, ergo ſimiliter ex eo, quód intellectus euidenter demonſtrat ſylogiſmum probabilem concludere probabiliter, intellectus ſpeculando ſyllogiſmum probabilem, eumque reſoluendo in principia probabilia dicit ſemper verum. Confirmatur hoc argumentũ: formetur hic ſyllogiſmus in materia probabili, qui dicitur ſyllogiſmus Topicus. *Omnis mater diligit ſuum filium, Sed iſta eſt mater, ergo diligit ſuum filium*. Quicumque dicit

eſſe

eſſe probabile ab iſta matre diligi ſuum filium; verum ſemper dicit, quia licet aliquando poſſit contingere, vt iſta mater non diligat filium, nihilominùs eſt probabile, quod diligat: ſed intellectus dum ſpeculatur hunc ſyllogiſmum, eumque reſoluit in ſua principia, nihil aliud dicit, quam probabile eſſe à matre diligi filium, ergo ſemper verum dicit; quod erat oſtendendum.

7. Probatur ſecundò noſtra ſententia quantum ad Logicam ſophiſticam ſimili argumento. Logica quatenùs ſophiſtica demonſtrat ſyllogiſmum factum iuxta regulas ſyllogiſmi ſophiſtici eſſe fallacem, & captioſum, adeoque concluſionem non ſequi ex præmiſſis, ergo diſponit intellectum ad dicendum ſemper verum: ſed ille habitus, qui diſponit ad dicendum ſemper verum, eſt virtus intellectualis, ergo Logica ſophiſtica quatenùs ſpeculatiua eſt virtus intellectualis.

8. Dicendum ſecundò: Logicam ſpeculatiuam ſecundùm omnem partem eſſe ſcientiam.

9. Hæc Concluſio facilè demonſtratur ex ijs, quæ diximus tali argumento: Logicà ſpeculatiua ſecundùm quamcumq; partem eſt virtus intellectualis, ſed non eſt habitus primorum principiorum, neque eſt ars, neque prudentia, neque ſapientia, ergo eſt ſcientia. Conſequentia eſt manifeſta, quia virtus intellectualis diuiditur adæquate in quinque habitus enumeratos: Maior eſt certa, vt oſtenſum eſt: minor

probatur:non poteſt eſſe habitus primorum principiorum, quia iſta prima principia ſunt ex terminis nota, neque poſſunt demonſtrari: non eſt ars, quia eſt in præſenti ſermo de Logicâ ſpeculatiua: neq; eſt prudentia propter eamdem cauſam: neque eſt ſapientia, quia Logicâ non verſatur circa cauſas altiſſimas, quas Ariſtoteles appellat rationes diuinas,ſiue rationes ſuperiores.

10. Confirmatur.Logicâ ſpeculatiua non minus demonſtrat ſyllogiſmum probabilem concludere probabiliter, quàm demonſtret ſyllogiſmum demonſtrariuum concludere euidenter, ergo Logica ſpeculatiua eſt ſcientia nō minus ſecundùm topicam,quam ſecundū Analyticam: idem argumentum fieri poteſt de Logicâ ſophiſtica ergo &c.

11. Hæc ſunt ſatis certa, neque mihi occurrit quid poſſit opponi, quod habeat ſpeciē veritatis: non eſt tamen prætereunda quædam difficultas, quæ conſiſtit potius in luſu verborum, quàm in veritate; eam expedit ſcire ad vitandam omnem æquiuocationem, quæ ſolet in hanc materiam obrepere.

12. In hunc igitur modum poteſt quis cauillando arguere Logicam ſophiſticam, & topicam non eſſe ſcientiam.Topica, & ſophiſtica eatenùs eſt ſcientia,quatenùs demonſtrat veritatem ſyllogiſmi topici & ſophiſtici, ſed quatenùs demonſtrat non eſt topica neque ſophiſtica, ergo quatenùs topica, & quatenùs ſophi-

phiſtica non eſt ſcientia:min: probatur:eatenus demonſtrat,quatenùs eſt demonſtratiua, vt eſt manifeſtum, demonſtrare enim ſpectat ad demonſtratiuam, ergo Logica quatenùs topica, vel eſt demonſtratiua,quod eſt aperte falſum, vel non eſt ſcientia. Vrgeri poteſt anguſtiùs:illud,vnde differt topica à demonſtratiua,non eſt ſcientia, ergo topica quatenùs topica non eſt ſcientia, quia illud vnde differt, vel habet rationem ſcientiæ, vel non habet rationem ſcientiæ: ſi dicis hoc ſecundum,euidenter tibi contradicis, quia repugnat eſſe ſcientiam id,quod non habet rationem ſcientiæ: quod ſi dicis primum, falſum euidenter dicis, quia in hoc non differt topica à demõſtratiua,vt hoc ſyllogiſmo oſtendo:ſcire quatenùs ſcire eſt demõſtrare,ſed demõſtrare pertinet ad demonſtratiuã,ergo &c.

13. Vt expedias te ab iſta captioſa argumentatione, debes diſtinguere in qualibet demonſtratione formam demonſtrandi ab ipſa materia, in qua demonſtratur: forma demonſtrandi eſt cõmunis cuicumque demonſtrationi, ſicuti forma argumentandi in Barbara eſt communis cuicumque ſyllogiſmo in Barbara: Hanc formam tradit logica demonſtratiua quatenùs practica, docet enim modum demonſtrandi, & ſpeculando veritatem intentionalem entis demonſtrati logica demonſtratiua quatenùs ſpeculatiua procedit modo diuerſo à Logica practica: materia, in quà demonſtratur, eſt multiplex iuxtà infinitam rerum multitu-

titudinem, quæ poſſunt demonſtrari:hinc Phyſicus,dum demonſtrat corpus humanum conſtare quatuor elementis,non idem oſtendit, ac Metaphyſicus, qui dicit eſſe vnum, verum, & bonum: in re preſenti Logica quatenùs topica ſpeculando ſyllogiſmum probabilẽ,eumque reſoluendo in principa probabilia eſt ſcientia, procedit enim demonſtratiuè: vnde igitur differt ab analytica, ſi ipſa demonſtrat?in eo differt, quod forma demonſtrandi, qua vtitur topica, dum ſpeculatur, pertinet ad analyticam, materia vero, quam ſpeculatur ad ipſam topicam: id autem ad conceptum ſcientiæ ſatis eſſe indè conſtat, quod Phyſica, Metaphyſica, & cæteræ facultates, quas citra controuerſiam cõſtat in hunc modum procedere, vtuntur forma demonſtrandi, quam accipiunt ab analytica. Æquiuocatio in argumento tota naſcitur, quod forma demoſtrandi confunditur cũ materia, in qua demonſtratur. Hinc opus eſt propoſitiones ambiguas ſemper diſtinguere, quarum vna eſt illa, quæ in argumento proponitur. *Logica quatenùs demonſtrat non eſt topica*, opus eſt in quam diſtinguere in hunc modum: ly *quatenùs* appellante formam demonſtrandi, eſt verum, quia hanc formam topica non tradit: ly *quatenùs* appellante materiam demonſtrandi, eſt falſum, ea enim ſpectat ad topicam. Neque mihi opponas, illud ipſum, quo differt topica ab Analytica, eſſe formam, cum poſſit accommodari pluribus rebus,eaque pro-

propter in rem præſentem non ſatis cadere diſtinctionem ceterà veriſſimam interformam demonſtrandi, & ipſam materiam: id enim licet ſit forma reſpectu ſyllogiſmi topici in materia Phyſica, vel Metaphyſica, eſt tamen materia relatè ad formam demonſtrandi: neque eſt in Phi oſofia nouum, quod aliquid ſit materia, & forma relatè ad res diuerſas.

QVAESTIO V.

Vtrum Logica quatenùs practica ſit ſcientia ſecundum omnem partem, & Virtus.

1. EXpeditis, quæ pertinent ad Logicam ſpeculatiuam, reliquum eſt, vt ea perſequamur, quæ ad Logicam practicam ſpectant, an nimirum ipſa ſit virtus, & ſcientia ſecundum omnes ſui partes perinde, ac ſpeculatiua. In hac re eſt maior controuerſia, quia non eſt ſatis certum, an Logica practica appellanda ſit virtus, quatenùs tradit præcepta de faciendo ſyllogiſmo ſophiſtico, & probabili; præſertim habita ratione definitionis ab Ariſtotele traditæ, qui ait virtutem eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum, ſiue quód eodem reuoluitur, eſſe habitum, quo anima dicit ſemper verum.

2. Vt in hac controuerſia dirimenda procedamus cum aliquo delectu, notandum eſt

nomine topicæ, vel ſophiſticæ practicæ venire illum habitum,qui tradit præcepta de formando ſyllogiſmo topico, & ſophiſtico, quatenùs tradit huiuſmodi præcepta : quid quid ſit de vſu ſiue exercitio illius, quod præcipitur, id enim non ſpectat ad Logicam practicam, quæ appellatur topica docens: dictum eſt de induſtria *quatenùs tradit huiuſmodi præcepta*, vt in præſenti relinquerem indefinitam aliam controuerſiam inferius agitandam de diſtinctione Logicæ docentis ab vtente, eam multis opinantibus eſſe realem diſtinctionem, alijs verò tantum formalem. Hinc,dum quæritur an Logicà practica ſit virtus ſecundum topicam, & ſophiſticam, quæritur an huiuſmodi facultates quatenùs tradunt præcepta, & docent modum argumentandi topicè, & ſophiſtice, cenſendæ ſint virtutes.

3. Dico primò,Logicam practicam eſſe virtutem, & ſcientiam ſecundum Analyticam. Ratio eſt ſatis euidens, quià virtus intellectus eſt ille habitus,quo anima ſemper dicit verum, ſed per Logicam practicam ſecundum Analyticam anima dicit ſemper verum, vt eſt manifeſtum, quià verum eſt Syllogiſmum factum iuxta leges Analyticas ſyllogizare Analyticè, ergo Logica practica ſecundum Analyticam eſt virtus: eodem argumento conſtat eſſe ſcientiam, adeòque ſuperuacaneum eſt diutiùs immorari.

4. Dico ſecundò, Logicam practicam ſecun-

eundum Topicam quatenùs tradit præcepta de formando ſyllogiſmo probabili eſſe virtutem & ſcientiam: Ratio eſt, quià Logica Topica quatenùs tradit præcepta, quæ conducunt ad formandum ſyllogiſmum probabilem, docet modum efficiendi ſyllogiſmum, qui concludit probabiliter: præcepta hæc dum tradit, eſt cauſa cur intellectus dicat ſemper verum, quantum ſatis eſt ad retinendum conceptum virtutis. In hac re quià vertitur ſumma totius controuerſiæ, neceſſe habeo rem totam altiùs repetere, vt conſtet omnibus, quomodo anima dicat ſemper verum, dum ea præcepta tradit, quæ ordinantur ad ſyllogiſmum probabilem, qui aliquando, vt eſt euidentiſſimum, concludit falſum.

5. Ad huius igitur rei euidentiam notandum eſt veritatem quæ, vt dicit Ariſtoteles, conſiſtit in quadam conformitate, eſſe duplicis generis iuxta duplex genus conformitatis: alia ſiquidem eſt conformitas cum obiecto, quæ vocatur antonomaſticè veritas, eſt enim formalis veritas, nimirùm intentionalis imago rei in mente, ſicuti vere eſt in rerum natura: alia verò eſt conformitas actus cum præceptis, ſiue cum illo dictamine, quod vocatur practicum, oſtendit enim opus eſſe in hunc vel illum modum formandum; veritas quà debet eſſe verum id, quod anima dicit, dum virtutem exercet, eſt veritas, quæ abſtrahit ab vno vel alio veritatis genere. Hinc germanus virtutis conceptus

retinetur, quando anima dicit ſemper verum, ſiue illud dicat verum veritate conformitatis cum præceptis, vel verum veritate conformitatis cum obiecto, non enim eſt neceſſe, vt dicat ſemper verum vtraque veritate.

6. Id poteſt manifeſtè demonſtrari ex mente Ariſtotelis, qui notanter docet Prudentiam ſimul & Scientiam eſſe virtutes intellectus, quæro enim cur ſcientia videlicèt Phyſica ſit virtus intellectus: quià nimirùm ſemper eſt verum id, quod Phyſica ſpeculatur, dum ſcientificè procedit: Ità profecto, ſed iterum peto, an Phyſica ſit cauſa, cur anima dicat ſemper verum veritate conformitatis cum obiecto? an veritate conformitatis cum præceptis? non dicit verum veritate conformitatis cum præceptis, vt eſt manifeſtum, quià nullum præceptum traditur à Phyſica ſpeculante naturam entis ſenſibilis: ſed dicit euidenter verum veritate conformitatis cum obiecto, non igitur requiritur vtraque conformitas, ſed ſufficit alterutra. Eodem pacto tibi demonſtro ſatis eſſe veritatem fundatam in conformitate cognitionis cum præceptis ad retinendum conceptum formalem virtutis, quia Prudentia, quæ eſt dictamen præſcribens quid ſit hic & nunc faciendum, eſt virtus intellectus. Cur hoc? quià per hoc dictamen anima dicit ſemper verum. An veritate conformitatis cum obiecto? Minimè verò, id enim eſt apertè falſum: vt hoc exemplo quod ſemper debet haberi ante oculos rem totam conficio.

7. Fin-

7. Finge tibi hominem malè moratum, furem, mendacem, homicidam, breuiter, flagitioſum, qui tamen ità nouerit ſimulare virtutem, vt videatur probus, iuſtus & Sanctus. Dictamen Prudentiæ tibi dictat, vt hunc hominem tamquam probum & innocentem habeas, ſi enim iudicas hunc hominem nocentem, temerè iudicas, & tamen eſt falſum eum eſſe innocentem. Contrà verò meditare hominem innocentem quidem, quem tamen plures iurati teſtes affirment homicidam & furem, hunc ſi iudicas innocentem, temerè iudicas: quod ſi nocentem iudicas, ſine vlla temeritate iudicas, Prudentia enim tibi dictat habendum, vt nocentem, quem conſtat eſſe nocentem.

8. Ratio à priori huius doctrinæ indubitanter verę in rebus, quæ ad mores ſpectant, ſumitur ex eo, quod multa falſa, vt eleganter docet Ariſtoteles, ſunt probabiliora veris: quo fit non eſſe idem, iudicium falſum, & temerarium, ſiue imprudens, ſicuti non eſt idem iudicium verum & prudens: poteſt enim contingere, vt quis neget falſum temerè, & verum neget prudenter. In huius principij veritate fundatur lex naturalis, qua tenemur omnes loqui & ſentire benè de omnibus, ſi contrarium non conſtet, mihi enim, cui non conſtat furtum Petri, non licet habere Petrum tamquam furem, etiamſi verè furtum commiſerit. Manifeſtum eſt igitur ad Prudentiam, quæ procul dubio eſt virtus intellectus, non eſſe ſatis veritatem, quæ

conſi-

conſiſtit in conformitate cognitionis cum obiecto, ea non enim requiritur, ſed ſatis eſſe immò requiri conformitatem cognitionis cum dictamine Prudentiæ. Ex quibus efficitur eam veritatem, quam dicit anima per habitum virtutis, præſcindere à veritate, quæ eſt conformitas cognitionis cum obiecto, & à veritate, quæ eſt conformitas cognitionis cum præceptis, ſiue cum ipſo dictamine practico, quod erat demonſtrandum.

9. In rem itaque noſtram: euidens eſt Logicam, quæ docet modum formandi ſyllogiſmum probabilem, dicere ſemper verum, quià ſemper eſt verum illum ſyllogiſmum, cuius præcepta tradit, eſſe opus conforme cum præceptis, adeòque eſſe actum conformem dictamini Logico; Sicuti actus ipſe, quo iudico Petrum non eſſe furem, eo quòd non conſtat mihi Petrum eſſe furem, eſt conformis dictamini Prudentiæ; libet igitur ad veritatem noſtræ ſententiæ euidentiùs demonſtrandam hoc argumentum formare, quod continetur in doctrina tradita num. 5. *6.* & 7. Tunc anima dicit ſemper verum, quando dicit ſyllogiſmum factum iuxta leges Topicas concludere probabiliter, ſed Logica quatenùs Topica nihil aliud dicit, quam ſyllogiſmum factum iuxta leges Topicas concludere probabiliter, ergo ſemper verum dicit, ergo eſt ſemper virtus intellectus. Adde quòd perinde eſt verum, ſyllogiſmum Topicum concludere probabiliter, ac demon-

ſtrati-

ſtratiuum concludere demonſtratiuè, ergo ſi Logica Analytica eſt virtus, etiam Topica erit virtus.

10. Dicò tertiò, Sophiſticam quatenùs practicam eſſe virtutem ſimul & ſcientiam. Ratio eſt, quià ars elaborandi ſophiſmata eſt virtus intellectus, ſed ſophiſtica quatenùs practica eſt huiuſmodi ars, ergo eſt virtus intellectus. Maior demonſtratur, quià ars elaborandi ſophiſmata præſcribit modum, quo formandum eſt argumentum ſophiſticum: euidens autem eſt argumenta facta iuxta leges huius artis concludere ſophiſticè, quià ſemper eſt verum optimum ſophiſma eſſe opus conforme præceptis: intellectus igitur, qui præceptis artis ſophiſticæ informatus nihil aliud enunciat, niſi ſophiſma conforme præceptis, verum ſemper dicit, atque adeò ſophiſtica habet naturam virtutis. Vt poſſis ſoluere omnes difficultates, quæ occurrunt in hac materia; debes diſtinguere in Sophiſtica & Topica vſum præcepti ab ipſo præcepto: vſus præcepti vocatur actus imperatus, præceptum verò actus imperans, ſiue actus elicitus ab ipſa Logica, non eſt neceſſe ad veritatem huius ſententiæ, quòd vterque actus ſit virtus intellectus, id enim eſt falſum, quià iuxta definitionem Ariſtotelicam non eſt virtus ſyllogiſmus Topicus neque Sophiſticus; concludunt enim falſum, ille aliquando, hic ſemper.

10. Plura ſunt Argumenta, quæ aduerſus hanc

hanc doctrinam ex virtutis conceptu formari poſſunt. Primò virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed Topica non diſponit intellectum ad optimum, quià intellectui non eſt optimum, niſi ſcire veritatem demonſtratam, ergo non eſt virtus.

11. Secundò. Diſponit ad malum, ergo non diſponit ad optimum in aliquo genere. Antec: probatur, quià diſponit ad aſſenſum probabilem aliquando falſum.

12. Tertiò. Habitus, qui diſponit per Accidens ad errorem, non dicit ſemper verum, vt eſt euidens in habitu opinionis, quem propterea excludit Ariſtoteles à virtute intellectuali, ſed habitus, qui non ſemper d cit verum, non eſt virtus, ergo habitus, qui diſponit per accidens ad errorem, non eſt virtus, ergo Topica quæ diſponit per Accidens ad errorem, non eſt virtus.

13. Quartò. Vt aliquis habitus ſit virtus, non eſt ſatis ſi dicat verum veritate conformitatis cum præceptis, requiritur enim vt verum dicat veritate conformitatis cum obiecto, aliter ars furandi & ars mentiendi eſſent virtus: Topica igitur, quæ non ſemper dicit verum conformitate cognitionis cum obiecto, non eſt virtus.

14. Ad primum reſpondetur diſtinguendo duplex genus optimi, vnum in omni genere, aliud in aliquo certo genere. Non eſt neceſſe, vt virtus diſponat intellectum ad optimum in omni

omni genere, ſatis enim eſt ſi diſponat ad optimum in aliquo genere. Hinc Topica diſponit ad optimum in ſuo genere, nimirum ad formandum ſyllogiſmum, qui concludit probabiliter. Idem dico de Sophiſtica: in forma diſtinguo maior: virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum in omni genere: nego maior: in aliquo genere: concedo maior: & diſtincta eodem pacto min: nego conſeq.

15. Ad ſecundum diſt: Antec: diſponit ad malum per ſe nego Antec: per accidens omitto antecedens, & nego conſeq. Topica ſimul & Sophiſtica diſponunt per ſe ad actum conformem præceptis, quod non ſolum non eſt malum, ſed eſt optimum in ſuo genere, vt demonſtratum fuit: quod ſi indè ſequitur error intellectus præſtantis aſſenſum concluſioni probabili, id eſt per accidens relate ad Topicã, quæ docet modum concludendi probabiliter; eo ferme pacto quo Prudentia eſt virtus, etiamſi ille actus quem hic & nunc præſcribit, ſit falſus falſitate conformitatis cum obiecto, vt euidenter patet, quando quis credit innocentem hominem, cuius crimen non ſatis conſtat: huiuſmodi enim actus licet ſit falſus falſitate materialiter ſe habente reſpectu prudentiæ, eſt ſemper verus veritate conformitatis cum dictamine practico, quod hic & nunc præſcribit credendum eſſe innocentem, cuius crimen non conſtat. Recolenda hic eſt doctrina tradita de virtute prudentiæ in hac quæſt. num. 5. 6. & 7.

6. & 7. ex qua perſuaſum mihi habeo ad virtutem intellectus non requiri, vt ſit verus vterque actus, imperans videlicet & imperatus, id enim eſt manifeſtum exemplo prudentiæ, quod in hanc ſententiam pertraxit animum, qui alias opinabatur contrarium.

16. Ad tertium diſtinguo Antec: habitus, qui per accidens diſponit ad errorem non ſemper dicit verum veritate conformitatis cum obiecto: concedo Antec: veritate conformitatis cum præceptis: nego Antec: & Conſeq. Neceſſe eſt, quantum ego arbitror, vt virtus dicat ſemper verum in omni euentu, quià non ſatis eſt ſi ſemper dicat verum perſe, aliter non apparet quomodo habitus opinionis non ſit virtus, quià iſte habitus non intendit errorem, ad quem tamen quandoque inclinat: non eſt tamen neceſſe, vt virtus, quàm neceſſe eſt ſemper dicere verum, dicat ſemper verum omni genere veritatis, quià ſufficit ſi dicat verum veritate conformitatis cum obiecto, vel ſaltem veritate conformitatis cum præceptis, vt oſtenſum fuit in hac quæſt. num. 4. Hinc eſt magnum diſcrimen inter habitum opinionis, qui per accidens diſponit ad errorem, & Logicam Topicam, iſta enim dicit ſemper verum veritate conformitatis cum præceptis, quod vtique non poteſt conuenire opinioni, vt eſt certum.

17. Ad quartum opus eſt magna induſtria & dexteritate ad pecuniam alienam furandam, vt conſtat ex ijs, qui in hac arte ſunt

excel-

excellentes vocantur, enim optimi fures, & Mercurium imitantur, vt dicit Horatius, *Callidum quidquid placuit iocoſo condere furto.* Hinc non poteſt eſſe dubium, quin huiuſmodi ars ſit virtus intellectus, præſcribit enim modum ſapienter furandi. Idem valet de arte, quàm habent plurimi homines veritatis quacumque via ſimulandæ: Immò argumentum potiùs retorquetur. At non ne optimi fures damnantur ſuſpendio? Ità profectò: & meritò: damnantur, enim non propter artem furandi, quæ eſt virtus, ſed propter furtum, quod eſt vitioſum: quià furari eſt malum, non eſt malum ſcire artem furandi, hanc enim Deus optimè nouit; Hinc Sacer vates miris laudibus exornat illum hominem, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Vt igitur rem totam paucis complectar, ſunt quædam artes, quarum ſcientia eſt optima, vſus verò peſſimus: huiuſmodi ſunt artes furandi & mentiendi: ſunt præterea aliæ artes, quarum ſcientia & vſus eſt bonus, vt Topica & Sophiſtica, iuuat enim non ſolum ſcire artem formandi ſyllogiſmum probabilem, ſed etiàm formare huiuſmodi ſyllogiſmum, quià intellectui expedit habere aſſenſum probabilem, quando non poteſt habere euidentem, etiamſi aſſenſus probabilis aliquando ſit falſus.

18. Contrà hanc doctrinam poteſt inſtantiùs vrgeri ad probandum Sophiſticam non eſſe virtutem: quamuis bonum ſit ſcire artem Sophiſti-

phiſticam, non eſt bonum ipſum Sophiſma, ſicuti furtum eſt malum, quamuis ſcientia furandi ſit bona. Primò quià ad nullum alium finem, eſt vtilis Sophiſtica, quam ad fallacias formandas, quibus alij inducantur in errorem. Secundò, quià negari non poteſt plurimos eſſe homines, qui Sophiſmata opinantur bona argumenta, adeòque decipiuntur. Tertiò, quià experientia conſtat plurimos inter diſputandum adhabere Sophiſmata, multumque temporis impendere ad formandas fallacias. Quartò, quià virtus eſt, vt ait Sanctus Auguſtinus, qua nemo male poteſt vti, ſed plurimi vtuntur malè Sophiſtica, ergo Sophiſtica non eſt virtus.

19. Hoc tamen non officit, quominùs cenſenda ſit reipublicæ vtiliſſima Logica Sophiſtica, non ſolum in ordine ad præcepta, ſed etiam in ordine ad exercitium præcepti, quià Sophiſtica ordinatur non ad decipiendos homines, ſed ad hunc finem, ne intellectus deceptus imagine veri ſumat falſum pro vero, & quià poteſt facilè contingere, vt intellectus dum ſpeculando quærit veritatem, ratione alicuius ſubtilis æquiuocationis formet paralogiſmum loco argumenti concludentis, ideò neceſſe eſt eumdẽ, præceptis Sophiſticæ imbui, adeòque cognoſcere omnes fallacias, quæ poſſunt committi, ne decipiatur, ſicuti nauigantes iuuat cognoſcere ſcopulos, ne in eos offendant.

20. Præterea vtilitas huius artis inde conſtat

ſtat quòd fides Catholica, quæ eſt columna veritatis multum debet huic arti; plurima enim ſophiſmata, quæ formantur à Gentilibus, & hæreticis contra myſteria noſtræ fidei egregiè ſoluta ſunt à SS. Patribus, & Concilijs beneficio huius artis.

21. Quòd ſi aliqui ſunt, qui argumenta ſophiſtica accipiunt tamquam vera, & decipiuntur, id debent vitio vertere ſuæ ignorantiæ, non ſophiſticæ, quia propter ſtuporem, & tarditatem ingenij, vel propter imperitiam ſophiſticæ neſciunt diſcernere verum à falſo: neque dicas plurimos eſſe huius farinæ homines, id enim non debet videri mirum, quià ſtultorum infinitus eſt numerus, de quibus nulla eſt habenda ratio.

22. Præterea vtiliſſimum eſt adhibere ingenioſa ſophiſmata, & id magna cum virtute præſtari ſolet à doctiſſimis viris ad aperiendum ingenium, & experiendam diſputantium peritiam: cæterum id non debet fieri præcisè ad alios decipiendos, quia non intenditur hoc, neque intendi poteſt ab arte ſophiſtica, hinc patet, quid dicendum ad authoritatem Aug. quia etiamſi plurimi abutantur ſophiſtica, id naſcitur, non ex defectu ſophiſticæ, ſed ex praua eorum voluntate, qui ſunt in hac arte verſati; nihil enim eſt adeò ſacrum, quod nō poſſit humanæ voluntatis vitio in malum vſum conuerti. Quid ſanctius Sacramentis? quibus plurimi abutuntur: opus eſt igitur diſtinguere inter

defectum artis, & defectum artificis: aliquandò enim contingit, vt ex defectu artificis arguamus artem defectuoſam, quòd tamen argumentandi genus ſolet eſſe peſſimum.

23. Ad hæc omnia addendum cenſeò illud inter ſophiſticam, & topicam intereſſe, quòd ſophiſtica dicit ſemper verum non ſolum veritate confirmitatis cum præceptis, quòd habet commune cum topica, ſed etiam veritate confirmitatis cum obiecto, quòd in topica non reperitur: patet hoc in pręceptis, quę tradit ſophiſtica de conficiendo ſophiſmate ex medio termino, qui ſupponit collectiuè in maiori, & diſtributiuè in minori in hunc modum.

Apoſtoli ſunt duodecim
Petrus & Paulus ſunt Apoſtoli
Ergo Petrus & Paulus ſunt duodecim.

Qui enim àrguit in hunc modum ſophiſticè, optimè nouit conſequens eſſe falſum adeoque negat mente, licet voce affirmet Petrum & Paulum eſſe duodecim: habet igitur actum verum vtraque veritate, qui enim falſum negat, verum dicit. Id non accidit in topica, vt eſt certum: Hinc naſcitur dubium, an licet ſit virtus topica, tradit enim præceptum de faciendo ſyllogiſmo topico, quòd præceptum vocatur actus imperans, ſit etiam virtus actus imperatus, videlicet ſyllogiſmus probabilis: ego cenſeo hunc actum eſſe virtutem non formaliter, ſed tantum denominatiuè, quatenùs imperatur ab actu virtutis, à quò ſortitur hanc denomina-
tio-

tionem: eſt enim vſitatum apud ſcholaſticos, vt actus imperatus induat naturam imperantis: Hinc vocantur actus obedientiæ, & charitatis, illi, qui ab iſtis virtutibus imperantur.

QVAESTIO VI.

De diuiſione Logica.

1. Logica vniuerſaliſſimè accepta diuiditur in Logicam naturalem, & Logicam artificialem: naturalis nihil eſt aliud quàm virtus à natura nobis impreſſa ad definiendum, vel ſpeculandum ens intentionale, quòd res omnes habent non phyſicè, ſed Logicè, & extrinſecè à cognitione: Logica verò artificialis (ſermo eſt in præſenti de Logica habituali) eſt habitus ſuperadditus intellectui, & acquiſitus per reflexionem ſupra Logicam naturalem, & facilitans intellectum ad ſpeculandum ens intentionale, & ad res omnes rectè cognoſcendas.

2. Dari veramque Logicam in ſenſu explicato eſt certiſſimum, quià ſi ſermo eſt de Logica artificiali, non poteſt dubitari, an intellectus reflectendo ſupra ſuos actus acquirat diſpoſitionem ad ſpeculandum ens intentionale, & ad res omnes benè definiendas, diuidendas, & ſyllogizandas. Quòd ſi ſermo eſt de Logica naturali, eſt certo certius eam dari, experientià enim conſtat homines, qui numquam di-

dicere pręcepta Logicæ ductu naturæ aliquandò benè diſcurrere, quòd non contingeret, ſi carerent Logica naturali. Præterea euidenter demonſtratur Logica naturalis ex Logica artificiali, quia omnis ars comparatur per animaduerſionem factam ſupra opera naturæ, ergo Logica artificialis, quæ continet modum cognoſcendi ſpeculatiuè, & practicè ens intentionale, ſupponit Logicam naturalem, hoc eſt diſpoſitionem naturalem cognoſcendi ſpeculatiuè, & practicè ens intentionale. In hoc diſcurſu fundatur veritas illius principij, quòd ab omnibus admittitur. *Ars perficit naturam*.

3. Hinc apertè conſtat, Logicam vniuerſaliſſimè acceptam pro diſpoſitione cognoſcendi ſpeculatiuè & practicè ens intentionale, optime diuidi in Logicam naturalem, & artificialem, eo pacto quo genus diuiditur in ſpecies. Logica artificialis alia eſt actualis, alia habitualis, quia diſpoſitio cognoſcendi ens intentionale poteſt eſſe imperfecta, & poteſt eſſe perfecta; ſi eſt imperfecta, vocatur logica actualis, ſi perfecta, habitualis.

4. Præterea Logica artificialis diuiditur in Logicam docentem, & vtentem. Nulla eſt controuerſia inter Philoſophos circà Logicam docentem, quàm omnes docent eſſe habitum, qui inclinat ad tradenda præcepta de rebus omnibus rectè cognoſcendis.

5. Maior controuerſia eſt de Logica vtente: qua in re quot capita, tot ſententiæ, quòd

mirum

mirum eſſe non debet, quia ex magna parte eſt controuerſia de voce.

6. Aliqui Philoſophi nomine Logicę vtentis intelligunt Logicam practicam, quæ ſine vſu non poteſt comparari: id autem dicitur abſque vllo fundamento; quia indè naſcitur Logicam quæ docet definire, non eſſe practicam, quòd quàm ſit alienum à veritate nemo eſt, qui non intelligat. Alij nomine Logicæ vtentis intelligunt ipſam Logicam exercentem præcepta, eiſque vtentem ad definiendum, & argumentandum, contrà verò alij intelligunt omnes ſcientias, quæ non poſſunt ſpeculari, niſi vtantur præceptis Logicis.

7. In tantà opinionum varietate certum mihi eſt primò tradi à Logica modum rectè cognoſcendi res omnes, qui modus formaliſſimè eſt modus ſciendi; hac de cauſa Logica conducit ad cæteras ſcientias adipiſcendas.

8. Secundò certum mihi eſt non ſolum Logicam, verùm etiam cæteras ſcientias vti præceptis Logicæ, dum definiunt, & argumentantur in propria materia. Hæc, quæ ſpectant ad quæſtionem de re ſunt ſatis certà.

9. Quantum ad controuerſiam de voce, quam nihili æſtimo, cenſeo cum Ruuio diſp. 1. proœmiali, & Arriaga diſp. 3. nomine Logicæ vtentis ſignificari eumdem habitum logicæ, quatenus vtitur præceptis ordinatis ad benè definiendum, & argumentandum.

10. Ratio, quæ mouet me ad hoc opinan-

dum, eſt quia diuiſio logicæ in docentem, & vtentem eſt diuiſio generis in ſpecies, ergo nomine logicæ vtentis intelligitur ſola logica quatenus vtitur præceptis, & nullatenus intelliguntur cæteræ ſcientiæ, quæ vtuntur logica, ſed nòn ſunt logica. Conſequentia probatur, quia de quacumque ſpecie verè prædicatur genus, ſed de cæteris ſcientijs, non poteſt verè prædicari logica, quæ eſt genus: ergo nomine logicæ vtentis non intelliguntur cæteræ ſcientiæ; Confirmantur idem argumentum, quia non minus eſt pars logicæ Logicà vtens, quàm Logica docens, ſed Logica docens eſt diſtincta à cæteris ſcientijs, ergo etiam logica vtens.

11. Hinc colliges habitum logicæ docentis non diſtingui realiter ab habitu logicæ vtentis, ſed ſolum formaliter, nimirum per intellectum, qui præſcendit formalitatem docentis à formalitate vtentis, eò modò, quo intellectus diſtinguit in eodem homine formalitatem animalis à formalitate rationalis. Ità Ruuius, & Arriaga loco citato; Ratio eſt euidens, quia idem omnino habitus cum inclinat ad tradenda præcepta eſt logica docens, cum verò inclinat ad eorum vſum, eſt logica vtens, ergo logica docens, & Logica vtens non diſtinguuntur realiter: diſtinguũtur verò formaliter, quia logica quatenus docens non eſt logica quatenus vtens, ſicuti animal quatenus animal non eſt rationale; ſunt enim conceptus diuerſi

uerſi conceptus animalis, & conceptus rationalis.

12. Aliqua ſunt hic argumenta ſoluenda, quæ opponunt aduerſarij contrà hanc doctrinam de identitate habitus logicæ docentis cum habitu logicæ vtentis.

13. Primò. Si vnus & idem eſt habitus logicæ docentis & logicæ vtentis, malè diuiditur logica in docentem, & vtentem: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: Maior probatur: quia totum non poteſt diuidi in partes, quæ non ſunt diſtinctio.

14. Secundò. Actus logicæ vtentis ſunt diuerſi ſpecie ab actibus logicæ docentis, ergo non poſſunt prouenire ab vno, & eodem habitu: ergo diſtinctio formalis inter logicam docentem, & vtentem non ſufficit ad ſuſtinendam bonitatem diuiſionis.

15. Tertio: ſuperata difficultate, quam habemus in diſcendis præceptis logicæ docentis benè definire, experimimur difficultatē in præceptis exercendis: ergo habitus logicæ docentis non eſt realiter habitus logicæ vtentis. Antecedens probatur, quia ſuperata difficultate in præceptis artis intelligendis, non eſt ſuperata difficultas in eiſdem exercendis, vt patet in Muſica, Rhetorica, & ſimilibus, ergo &c.

16, Ad primum reſpondetur negando ma: Ad eius probationem dico, ſatis eſſe diſtinctionem formalem vnius partis ab alia, ad ſuſtinendam veritatem diuiſionis; logica enim

docens, & logica vtens ſunt partes formaliter diſtinctæ; hinc ſicuti homo diuiditur in formalitatem animalis, & formalitatem rationalis, ità Logica diuiditur in docentem & vtentem.

17. Ad ſecundum diſtinguo Antecedens: actus logicæ vtentis ſunt ſpecie diuerſi materialiter: omitto antecedens: formaliter nego antecedens: & conſequentiam. Sciendum eſt diuerſitatem ſpecificam vnius cognitionis ab alia aliquandò eſſe materialem, quæ non impedit, quo minus illæ duæ cognitiones proueniant ab eodem habitu, aliquandò eſſe formalem, quæ impedit, quo minus proueniant ab vno habitu. exemplum diuerſitatis materialis habemus manifeſtum in definitione, qua Theologus definit ſacramenta, & Phyſicus corpus materiale, vtraque enim definitio procedit ab eodem habitu benè definiendi, qui ſpectat ad logicam: tota enim diuerſitas vnius definitionis ab alia materialiter ſe habet in ordine ad definiendum. Exemplum diuerſitatis ſpecificæ, quæ eſt formalis, poteſt accipi à definitione, & argumentatione: ſuperata enim difficultate benè definiendi, non eſt ſuperata difficultas benè argumentandi, ideò argumentatio non procedit ab eodem habitu, à quo procedit definitio.

18. Ad tertium nego antecedens: ad eius probationem diſtinguo antecedens: nulla eſt ars, quæ ſuperàta difficultate in tradendis præceptis ſuperauit difficultatem circa vſum, ſi vſus præceptorum pertinet ad eamdem poten-

tiam,

tiam, ad quam pertinent præcepta: nego antecedens: ſi pertinet ad diuerſam potentiam: concedo antecedens: & nego conſequentiam. Sunt plurimæ artes, quarum præcepta ſpectant ad intellectum, & vſus pertinet ad aliam potentiam, huiuſmodi ſunt pictura, muſica, & ſimiles: aliquæ verò ſunt artes, quarum percepta, & vſus pertinent ad eumdem intellectum, huiuſmodi eſt logica, cuius præcepta pertinent ad intellectum, ad quem etiã pertinet exercere præcepta; hoc eſt definire, & argumentari. Hinc eſt diſpar ratio inter Logicam & Picturam.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Logica ſit neceſſaria ad cæteras ſcientias.

1. PRo intelligentia huius controuerſiæ, quæ finem imponit omnibus quæſtionibus pro œmialibus, notandum eſt multiplex eſſe genus neceſſitatis, vt conſtat ex Ariſtotele in quinto Metaphyſicæ cap. 4. in præſenti loquimur de illo genere neceſſitatis, quo neceſſe eſt adhibere media ad aliquem finem conſequendum: neceſſitas in hoc ſenſu vſurpata poteſt tripliciter accipi, primo pro ea neceſſitate, qua aliquid ità eſt neceſſarium ad finem comparandum, vt eo ſecluſo finis obtineri non poſſit ſaltem naturaliter loquendo: quid quid eſt

neceſſarium hoc genere neceſſitatis, eſt ſimpliciter neceſſarium: ita oculus eſt ſimpliciter neceſſarius ad videndum, & nauis eſt ſimpliciter neceſſaria ad nauigandum. Secundò accipitur neceſſarium pro eo, ſine quo finis non poteſt obtineri cum tantà facilitate, cum quantà obtinetur: in hoc ſenſu neceſſarium dicitur habere neceſſitatem ſecundum quid: ita equus eſt neceſſarius ad eundum Tuſculum, & currus ad viſitandam Baſilicam Apoſtolorum. Tertiò accipitur neceſſarium pro eo, ſine quo poteſt ſimpliciter obtineri aliquid, ſed numquam, vel ſaltem rariſſimè obtinetur propter maximas difficultates, quæ ſuperari debent in aliquo fine conſequendo. In hoc ſenſu dicitur moraliter neceſſarium: ita docent Theologi ex Concilio Tridentino eſſe moralem neceſſitatem omnibus hominibus incurrendi in aliquod peccatum veniale propter maximam difficultatem, quæ inuenitur in omnibus peccatis venialibus collectiuè acceptis euitandis.

2. Hinc naſcitur dubium, quo genere neceſſitatis Logica ſit neceſſaria ad omnes ſcientias comparandas, quia non poteſt eſſe dubiũ quià aliquo genere neceſſitatis Logica ſit neceſſaria, quam propterea Ariſtoteles appellat organum ſiue inſtrumentum omniũ ſcientiarũ.

3. Dicendum primò, Logicam naturalem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad quamcumque ſcientiam: hæc ſententia, quæ eſt communis apud omnes Philoſophos.

4. De-

4. Demonſtratur hoc argumento: non poteſt intellectus acquirere aliquam ſcientiam niſi deducat concluſionem certam, & euidentem ex principijs certis, & euidentibus, quod eſt formaliſſime demonſtrare & diſcurrere, ſed intellectus non poteſt hoc facere ſine Logica naturali, quæ eſt naturalis diſpoſitio ad argumentandum, & diſcurrendum: ergo Logica naturalis eſt neceſſaria ſimpliciter ad omnes ſciẽtias comparandas. Confirmatur, quia non eſt minus neceſſaria Logica naturalis, quam intellectus: ſed intellectus eſt ſimpliciter neceſſarius, ergo etiam Logica naturalis.

5. Dicendum ſecundo, Logicam artificialem non eſſe neceſſariam ſimpliciter, vel moraliter ad acquirendas aliquas ſcientias faciliores.

6. Ratio eſt, quia per ſolam Logicam naturalem intellectus peruenire poteſt ad demonſtrandas aliquas concluſiones faciliores, vt patet in multis propoſitionibus mathematicis, quæ ſine Logica artificiali per ſolam virtutem diſcurrendi à natura nobis inſitam poſſunt euidenter intelligi, vt ipſa experientia omnibus demonſtrat, ergo Logica artificialis non eſt neceſſaria ſimpliciter, vel moraliter ad ſcientias faciliores comparandas, ergo ſolùm eſſe neceſſaria ſecundum quid.

7. Confirmatur, quia eſt aliqua cognitio, quæ ſpectat ad Logicam artificialem, ad quam non requiritur Logica artificialis, ſed huiuſmodi

modi cognitio eſt ſcientifica, ergo Logica artificialis non eſt neceſſaria ſimpliciter, vel moraliter ad ſcientias faciliores. Maior eſt certa, aliter daretur proceſſus in infinitum ab vna cognitione ad aliam, quod repugnat.

8. Dicendum tertiò Logicam artificialem eſſe neceſſariam moraliter ad ſcientias difficiliores in ſtatu perfecto acquirendas.

9. Ratio eſt, quia in ſcientijs difficilioribus inueniuntur aliquæ demonſtrationes valdè difficiles, contra quas ſolent fieri difficillima ſophiſmata, quæ ſolui moraliter non poſſunt ſine Logica artificiali, quæ tradit modum demonſtrandi, & ſoluēdi omnia ſophiſmata. Dictum eſt non poſſe moraliter ſine Logica artificiali ſolui, quia ſimpliciter poſſunt ſolui, adeoque Logica artificialis eſt neceſſaria neceſſitate morali ad ſcientias difficiliores acquirendas.

10. Dicendum vltimo Logicam artificialem eſſe neceſſariam ſimpliciter ad omnes ſciētias, vt cognoſcant concluſionem materialem, & formalem per cauſam.

11. Ratio eſt, quia Mathematicus, qui demonſtrat tres angulos cuiuſcumque trianguli eſſe æquales duobus rectis, non poteſt ſimpliciter cognoſcere concluſionem, ſiue conſequentiam formalem per ſuam cauſam, niſi euidenter ſciat illam rationem propter, quam ſyllogiſmus in Barbara, quo vtitur ad demonſtrandum, euidenter concludat: ſed euidenter

ſcire

ſcire ſyllogiſmum in Barbara bene concludere, eſt habere Logicam artificialem, quæ ſpeculatur ſyllogiſmum in Barbara, ergo Logica artificialis eſt neceſſaria ſimpliciter omnibus ſcientijs ad concluſiones cognoſcendas materiales, & formales; in hoc ſenſu Ariſtoteles ait ſcientiam rationalem eſſe organum omnium ſcientiarum, adeoque omnibus ſcientijs ſeruire nobiliſſimam ſeruitutem.

12. Hæc, quæ fuerunt huc vſque diſputata cenſeo ſatis eſſe ad rudem notitiam earum rerum, de quibus erit ex profeſſo vberior ſermo, dum aggrediemur exponere libros priorum, & poſteriorum: quia verò vt inquit Philoſophus in ſecundò poſteriorum cap. 3. fructus demonſtrationis, & ſcientiæ eſt definitio, quà intellectus penetrat naturam rei, & quieſcit in cognitione ſcientiæ demonſtratæ, ex ijs omnibus, quę de quęſtionibus procemialibus tractauimus poteſt vnuſquiſque formare ſibi conceptum definitiuum Logicæ, quæ eſt Philoſophia rationalis, & prima ac præcipua pars totius philoſophiæ, ea enim eſt ſcientia, quæ per lumen reflexum ſpeculatur ens intentionale, & tradit præcepta de rebus omnibus rectè cognoſcendis.

EX DONO
CARDINALIS
GABRIELLII
MONASTERIO
S. SEBASTIANI
AD
CATACVMBAS.

DI-

DISPVTATIO TERTIA.

De identitate, & diſtinctione.

ANtequam aggrediar celeberrimam tractationem de vniuerſalibus, quæ in hunc locum opportunè incidit, neceſſe habeo verba facere de illa diſtinctione, quam formalem Philoſophi appellant, ſiue Logicam eà fortaſſe de cauſa, quòd denominat Logicè diſtinctas res cæterà indiſtinctas. Id genus diſtinctionis opus eſſe ad cõſtituendam denominandamque naturam vniuerſalem, eſt certum apud omnes, quia neceſſe eſt hominem à Petro, & animal à rationali ab intellectu diſtingui, vt ille ſpecies, hoc genus denominentur. Non eſt ità certum, quo pacto intellectus diſtinguat res indiſtinctas, huc enim ſpectat difficultas minimè contemnenda de natura præciſionis. Ad hanc difficultatem penitus exhauriendam, & nodum licet implexum explicandum opportunè inſtituimus præſentem diſputationem metaphyſicam potiùs quam Logicã, ea tamen nihil vtilius ad ingeniorũ exercitationem, & veritatis venatum, quia inter diſputandum, & ſpeculandum nihil eſt magis tritum, nihil magis decantatum formalitatibus & diſtinctione formali.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid ſit identitas, & diſtinctio.

1. NOn poſſumus aliter, & tutò pedem figere in hac materia, in quam plurimæ incurrunt æquiuocationes, niſi definiamus, quid intelligendum ſit nomine identitatis, & diſtinctionis, quid ſit diſtingui ratione, & præſcindi ab intellectu ea, quæ ſunt indiſtincta, ideò operæ pretium eſt quæſtionem hanc præmittere tamquam fundamentum cæterarum.

2. Inter conceptus notiſſimos, quos eſſe frequentes experientia duce Ariſtoteles docet, recenſeri ſolet conceptus identitatis, & diſtinctionis, nec immeritò: quid enim magis notum vnicuique, dummodo ſit ſanæ mentis, quam ſe non eſſe lapidem, & non diſtingui à ſe ipſo: nullus eſt adeò imperitus: qui naturæ ductu non intelligat ſe eſſe diſtinctum à lapide, & non eſſe diſtinctum à ſe ipſo, ergo vnuſquiſque experitur, quid ſit identitas, quid ſit diſtinctio: adeoque conceptus identitatis, & conceptus diſtinctionis cadunt ſub experientiam.

3. Non erit tamen otioſum, & inutile, inueſtigare aliquem conceptum identitatis, & aliquem conceptum diſtinctionis, qui etiam ſi non repræſentet clariùs illud quod vnuſquiſque experitur in ſe ipſo, dum cognoſcit ſe non diſtin-

ſtingui à ſe, & diſtingui à lapide, nihilominus explicabit plurima,quæ conducunt valdè ad ea cognoſcenda, quæ habent realem identitatem, & ſolum diſtinguntur diſtinctione rationis. Ad hunc conceptum formandum expedit ſubijcere aliquot propoſitiones, quæ rem totam clariſſimè ponent ob oculos.

4. Prima propoſitio: ad omnem identitatem requiritur vnitas, ſiue communicatio mutua rerum, quæ identificantur.

Hæc propoſitio eſt euidens, immò nota ex terminis, quià ea,quæ ſunt idem, ſunt vnum, & quæ ſunt vnum, ſunt idem, vnum enim, & idem reciprocantur, ſed ea quæ ſunt vnum, non poſſunt eſſe vnum ſine vnitate, & mutua communicatione: ergo ea quæ ſunt idem, per aliquam vnitatem ſiue communicationem mutuam ſunt idem: ergo ad omnem identitatem requiritur vnitas.

5. Secunda propoſitio: non omnis vnitas neque omnis communicatio ſufficit ad identitatem. Veritas huius propoſitionis euidenter patet, non minus, quam veritas præcedentis: quia poſſunt duæ res habere communicationẽ mutuam in ordine ad conſtituendum vnum compoſitum, ſed duæ res habentes huiuſmodi communicationë non habent identitatem,ergo non omnis vnitas,neq; omnis cõmunicatio ſufficit ad identitatem. Maior eſt certa quia vnio animæ cum corpore, idem dico de quacumque alia forma phyſica,quæ conſtituit vnũ cum materia

teria totum phyſicum) facit, vt anima, & corpus inuicem communicentur in ordine ad formandum hominem: minor etiam eſt certa & omnibus conſtat, quià anima non eſt corpus, neque habet identitatem cum corpore alioqui eſſet inſeparabilis à corpore. Hinc colliges non eſſe idem aliqua duò eſſe vnita, & eſſe indiſtincta, ſiue identificata.

6. Tertia propoſitio: vnitas, & communicatio requiſita ad identitatem eſt ſumma vnitas, & ſumma communicatio, hoc eſt talis, vt maior inueniri non poſſit.

7. Hæc propoſitio euidenter ſequitur ex præcedenti, quià ad conſtituendam identitatem eſt neceſſaria vnitas, & communicatio, vt demonſtratum eſt in primà propoſitione, ſed non ſufficit quæcumque communicatio hoc eſt ea quæ non eſt ſumma, vt demonſtratum eſt in ſecunda, ergo requiritur communicatio, qua maior inueniri non poſſit, hoc eſt ſumma communicatio.

8 Ratio vlterior, & fundamentalis eſt quià non poteſt excogitari communicatio maior illa; per quam vnumquodque communicatur ſibi ipſi, ergo A non poteſt eſſe idem cum B. niſi habeat ſummã vnitatem, & communicationem cum B. hoc eſt tantam, quantam habet cum ſeipſo: hinc redditur ratio à Theologis cur natura diuina, quæ eſt in Chriſto, non habeat identitatem cum natura humana eiuſdem Chriſti, eamque habeat cum Perſona Verbi, &

cæteris Diuinis Perſonis, quia Verbo communicatur ſummè.

9. Quarta propoſitio: ſeparabilias infert diſtinctionem realem inter ea quæ ſunt ſeparabilia, ſed inſeparabilitas non infert identitatem.

10. Ratio primæ partis eſt, quia implicat contradictionem aliquid ſeparari à ſeipſo: alioquin idem poſſet eſſe ſimul, & non eſſe: ergo A ſi eſt ſeparabile à B, non eſt idem realiter cum B. Hinc anima, quæ poteſt ſeparari à corpore, non habet identitatem realem cum corpore.

11. Ratio ſecundæ partis eſt, quià magis latè patet inſeparabilitas quàm identitas, quidquid enim eſt identificatum cum aliquo eſt inſeparabile, ſed non è contrariò quidquid eſt inſeparabile, eſt idẽtificatũ, quià tres perſonę diuinæ ſunt inſeparabiles, & tamen ſunt realiter diſtinctæ, ergo ſeparabilitas infert diſtinctionẽ, ſed inſeparabilitas non infert identitatem.

12. Quinta propoſitio: quæcumque ſunt realiter idem ſunt inuicem affirmabilia in recto affirmatione vera, & quæ ſunt realiter diſtincta ſunt inuicem negabilia in recto negatione vera.

13. Ratio à poſteriori eſt, quià intellectus eò ipſo, quod intelligit vnam rem verè affirmari de alia, ſtatim arguit illa duo eſſe realiter idem, & eo ipſo quod intelligit vnum verè negari de alio, ſtatim arguit ea eſſe diſtincta.

Hinc

Hinc arguit hominem, & animal rationale eſſe idem, quià dicit verum, qui dicit hominem eſſe animal rationale: E contrarió arguit hominem, & equum non eſſe idem, quià falſum dicit qui dicit hominem eſſe equum. Hic diſcurſus fundatur in illo principio Ariſtotelis, quod habetur in libris Perihermenias: ab eo quod eſt res, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa, ſed propoſitio affirmatiua affirmat identitatem prædicati cum ſubiecto, eamquè negat negatiua, ergo vt affirmatiua ſit vera debet dari realis idẽtitas prædicati cum ſubiecto, vt negatiua ſit vera debet dari realis diſtinctio.

14. Ratio à priori huius diſcurſus eſt, quià Intellectus, vt ait Ariſtoteles, eam habet naturam, vt poſſit intelligendo fieri omnia, habendo videlicet in ſe imagines omnium rerum, quæ ſunt in mundo: hoc enim eſt mirabile artificium naturæ, ſiue intellectus diuini, vt voluerit eſſe intentionaliter rerum omnium formas in ſubſtantijs intelligentibus, in quarum mente tanquam in viuo volumine omnia deſcribuntur, adeoque in ipſo homine, qui fortaſſe hac de cauſa vocatur Græco ſermone Microcoſmos, hoc eſt paruus mundus; inde eſt quod eſſe intentionale rerum omnium exiſtentium in mente ducit intellectum ad cognoſcendum eſſe reale, quod habent omnia in ſe ipſis. Quià verò Intellectus affirmando vnum de alio cognoſcit à ſe componi, & intentionaliter iden-

tificari vnum cum alio, ideo cognoſcit eſſe rea- liter idem quæcumque in hunc modum verè componit, igitur explicatur optimè eſſe idem realiter ea quæ poſſunt verè affirmari, & eſſe realiter diſtincta, quæ poſſunt verè negari:

15 Sexta propoſitio: identitas eſt affirmabilitas in recto vera vnius de alio, & diſtinctio eſt negabilitas in recto vera vnius de alio. Hæc propoſitio, quæ ſequitur ex præcedenti non indiget vlteriori explicatione: hinc eſt, quod in eodem ſubiecto habente albedinem nimirum in lacte datur identitas realis inter album, & dulce; & datur diſtinctio realis inter albedinem, & dulcedinem, quia dulce poteſt verè affirmari de albo, & dulcedo poteſt vere negari de albedine. Notanter dixi ea eſſe realiter idem, quę poſſunt verè affirmari in recto, quià vt verè prædicetur terminus concretus de concreto, nō eſt neceſſe omnia, quæ ſignificat prædicatum eſſe idem cum omnibus, quæ ſignificat ſubiectum: ſatis enim eſt, vt idem ſit id pro quo ſupponit prædicatum cum eo pro quo ſupponit ſubiectum illud nimirum, quod vtrobique in recto ſignificatur, vt docuimus in Summulis. P. 1. c. 6. nu. 3.

16. Septima propoſitio: diſtinctio diuiditur in diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis, ſiue formalem, per intellectum.

17. Probatur veritas iſtius propoſitionis, explicando vtramque diſtinctionem: non poteſt eſſe dubium quid ſit diſtinctio realis, cuius no-

mine

mine ſignificantur ea, quorum vnum non eſt realiter aliud: adeoque ſunt inuicem negabilia: ità datur diſtinctio realis inter Petrum, & lapidem, quià lapis poteſt verè negari de Petro, dicendo Petrum non eſſe lapidem. Hæc diſtinctio vocatur diſtinctio ſimpliciter, quià datur inter duo, quorum vnum realiter non eſt aliud.

18. **Diſtinctio rationis, quæ eſt diſtinctio ſecundum quid, eſt negabilitas rationum, ſeu conceptuum, qui formantur de vna, & eadem re, talis eſt diſtinctio quæ datur inter definitum, & definitionem, hoc eſt, inter hòminem, & animal rationale, quod non eſt ſecundum ſe, ſiuè ſecundum rem ipſam negabile de homine, ſed ſolum eſt negabile ſecundum conceptum, quatenus animal rationale cognoſcitur conceptu diuerſo ab illo, quo cognoſcitur homo: intellectus enim definiens hominem cognoſcit hominem duplici cognitione, vnà quæ dicit** ***homo,*** **alia quæ dicit** ***animal rationale.*** **Hæc diſtinctio, vt eſt omnibus perſpicuum, ſupponit diſtinctionem realem inter duas cognitiones, quæ diuerſimodè cognoſcunt hominem, hæc diſtinctio rationis, ſiue formalis dicitur diſtinctio Logica. quià homo qui diſtinguitur iſta diſtinctione ab animali rationali, denominatur Logice diſtinctus à cognitione: ſimili diſtinctione diſtinguitur animal à rationali, & cætera prædicata, quæ conſtituunt hominem, & optimè vocantur gradus Metaphyſici, quià in-**

tellectus aſcendit à cognitione rerum ſingularium, quæ obijciuntur ſenſibus ad cogniiionem rerum vniuerſalium, quas ſolus intellectus ſpeculatur,

19. Modum, quo progreditur intellectus, & aſcendit per iſtos veluti gradus ad cognoſcendam eſſentiam rei, demonſtro clariſſimè hoc exemplo. Intellectus, cui Petrus obijcitur mediante cognitione ſenſuum, auidus intelligendi naturam, & eſſentiam Petri incipit eam abſtrahere ab accidentibus indiuidualibus, quæ ſunt illa accidentia, per quæ Petrus à cæteris hominibus diſcernitur. Hinc prius cognoſcit Petrum eſſe ens, deinde ſubſtantiam, mox viuentem, præterea animal, tandem cognoſcit eſſe diſcurſiuum, & particeps rationis, eumque definit eſſe animal rationale. Inde eſt, quod intellectus non poteſt peruenire ad cognoſcendam eſſentiam Petri, niſi Petrum cognoſcat pluribus cognitionibus, atque adeo diſtinguat in ipſo Petro extrinſecè, & intentionaliter multa prædicata realiter indiſtincta, quæ vocantur formalitàtes, & gradus Metaphyſici.

20. Huiuſmodi prædicata eſſe realiter indiſtincta, eſt indubitatum apud omnes, & ratio eſt euidens, quià animal qnod eſt in homine, eſt idem realiter cum homine, eſt enim vera iſta propoſitio *homo eſt animal*, quæ non eſſet vera ſi daretur diſtinctio realis inter hominem, & animal: rurſus rationale eſt idem realiter cum homine propter eamdem rationem,

ergo

ergo animal & rationale ſunt idem realiter in ipſo homine: conſequentia eſt euidens, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe: ſed animal, & rationale ſunt realiter idem cum homine, ergo ſunt realiter idem inter ſe.

21. Ratio à priori, cur debeat intellectus diſtinguere plures formalitates realiter indiſtinctas, peti debet ex natura intellectus humani, qui non poteſt peruenire in cognitionem eſſentiæ alicuius rei per vnicam cognitionem, ſicuti poteſt intellectus Angelicus, et potiori iure intellectus Diuinus, ideò habet neceſſitatem formandi plures cognitiones inadæquatas de eodem indiuiſibili obiecto, hoc eſt de vna, & eadem eſſentia, adeoque habet neceſſitatem eam cognoſcendi ſub diuerſis conceptibus, & formalitatibus: vnde fit vt componendo vnam formalitatem cum alia, hoc eſt rem cognitam ſub vno conceptu cum re cognita ſub alio cõceptu, tandem aſſequatur perfectam rei cognitionem, eamque perfectè diſcernat à quacumque alia re, in qua non inueniuntur eadem prædicata eſſentialia.

22. Hinc eſt; quod animalitas & rationalitas, quæ in homine realiter identificantur, ab intellectu diſtinguntur diſtinctione rationis, ſiue diſtinctione extrinſeca, quæ vocatur etiam præciſio. An verò diſtinguantur aliqua diſtinctione media inter diſtinctionem realem, et diſtictionem rationis, quæ res eſt altioris indaginis, dicemus in quæſtionibus ſequentibus.

23. Octaua propoſitio : omnis præciſio eſt diſtinctio rationis, ſed non omnis diſtinctio rationis eſt præciſio.

24. Ratio primi eſt, quià præſcindere vnum ab alio nimirum animal à rationali eſt cognoſcere formalitatem animalis non cognoſcendo formalitatem rationalis, ſed cognoſcere formalitatem animalis, & non cognoſcere formalitalem rationalis eſt diſtinguere animal à rationali diſtinctione rationis, ergo præſcindere vnum ab alio eſt diſtinguere ratione vnum ab alio, ergo omnis præciſio eſt diſtinctio rationis.

25. Ratio ſecundi eſt, quià inter definitum & definitionem datur diſtinctio rationis, & non datur præciſio: homo enim non præſcindit ab animali & rationali, cum homo ſit formaliſſimè animal rationale, diſtinguitur verò ratione homo ab animali rationali, quià clarius exprimitur natura hominis per cognitionem animalis rationalis, quàm per cognitionem hominis, quod ſufficit ad diſtinctionem rationis. Hinc eſt, quód magis latè patet diſtinctio rationis, quàm præciſio, quià valet conſequentia à præciſione ad diſtinctionem, non valet à diſtinctione ad præciſionem.

26. Vltima propoſitio: diſtinctio tam realis, quam rationis diuiditur in diſtinctionem adæquatam, & inadæquatam, quæ vocatur diſtinctio includentis ab incluso.

27. Circa realem diſtinctionem eſt manifeſtum

feſtum quid ſit adæquata, quid inadæquata diſtinctio, quià diſtinctio adæquata eſt illa, quæ inuenitur inter duo inuicem negabilia, ita vt vnum non ſit pars alrerius: huiuſmodi diſtinctionem dari eſt manifeſtum, quià diſtinctio, quæ datur inter hominem, & lapidem, eſt huiuſmodi: diſtinctio inadæquata eſt illa, quæ inuenitur inter duo inuicem negabilia, ità vt vnum ſit pars alterius. Hoc genere diſtinctionis diſtinguitur homo ab anima, quia anima non eſt homo, licet ſit pars hominis: hac diſtinctione diſtinguitur includens, & incluſum, hoc eſt totum phyſicum, & ſingulæ eius partes. Hinc patet, omnem diſtinctionem inadæquatam fundari in diſtinctione adæquata, anima enim diſtinguitur inadæquatè ab homine, quià diſtinguitur adæquatè à corpore, cum quo conſtituit hominem.

28. Idem conſtat in diſtinctione rationis, quià animal, & rationale diſtinguuntur formaliter diſtinctione adæquata, ſicuti enim animal non eſt formaliter rationale, ità rationale nõ eſt formaliter animal, contra verò homo eſt formaliter animal, licet animal non ſit formaliter homo: quià quidquid eſt homo eſt animal, ſed non omne id quod eſt animal eſt homo, ergo diſtinctio rationis optimè diuiditur in adæquatam, & inadæquatam.

29. Hinc patet, diſtinctionem rationis inadæquatam, quæ vocatur præciſio non mutuà fundari in diſtinctione rationis adæquata, quæ

vo-

vocatur præciſio mutua.Idcirco diſtinctio inadæquata inter hominem, & animal arguit diſtinctionem adæquatam inter animal, & rationale, quæ conſtituunt hominem non Phyſicè ſicuti anima & corpus, ſed Logicè.

30. Hinc colliges diſcrimen inter totum Phyſicum, & totum Logicum. Partes phyſicæ non poſſunt verè prædicari de toto phyſico, ſicuti partes, quæ componunt totum Logicum prædicantur de toto logico: inde eſt eſſe veram iſtam propoſitionem *homo eſt animal*, in qua prædicatur pars Methaphyſica de toto logico, ſiue metaphyſico, contrà verò eſſe falſam iſtam propoſitionem: *Homo eſt anima*, in qua prædicatur pars phyſica de toto phyſico: ratio à priori eſt, quià totum phyſicum conſtat ex partibus realiter diſtinctis adeoque inuicem negabilibus, metaphyſicum, ſiue logicum ex partibus indiſtinctis realiter, & diſtinctis formaliter.

QVAESTIO II.

Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio formalis ex natura rei, ſiue diſtinctio Scotica.

1. Celebris eſt hac ſuper re ſententia, quæ præter diſtinctionem realem, qua diſtinguuntur nullo intellectu cogitante Petrus, & Paulus, & diſtinctionem rationis, qua diſtin-

ſtinguntur homo, & animal rationale, agnoſcit aliam diſtinctionem mediam inter diſtinctionē realem, & diſtinctionem rationis, eamque appellat diſtinctionem formalem ex natura rei: formalem, inquam, vt excludatur diſtinctio virtualis, de quâ erit ſermo in ſequenti quæſtione, eaque non eſt diſtinctio, ſed æquiualentia diſtinctionis: præterea appellat diſtinctionem ex natura rei, vt excludatur diſtinctio rationis, quæ non eſt in rebus nullo intellectu cogitante, ea enim dependet à cognitione.

2. Difficile eſt explicare, quid intelligatur nomine diſtinctionis mediæ inter realem, & rationis, quam aliqui confundunt cum diſtinctione rationis, quæ datur inter rem cognitam ſub vno conceptu, & eamdem rem cognitam ſub alio conceptu.

3. In hac opinionum confuſione placet mihi Siluester Maurus, qui diſtinctè, & clare in hac materia procedens ait in quæſt. 30. nomine diſtinctionis formalis ex natura rei ſignificari illam diſtinctionem qua diſtinguuntur duo, quæ ſunt realiter idem, ſed non ſe perficiunt ſummè, ità vt vnum non perficiat aliud perindè ac ſe ipſum, quià verò idē author opinatur, non ſe perficere ſummè ea, quæ ſunt idem realiter, & non definiuntur eadem definitione, ideò recognoſcit hanc diſtinctionem mediam inter prædicata eſſētialia, quæ ſunt realiter ità identificata, vt neutrum includatur in alterius definitione.

4. Hu-

4. Huiuſmodi diſtinctione docet præfatus author diſtingui in eodem homine videlicet in Petro animalitatem, & rationalitatẽ, quæ propterea habent identitatem Phyſicam, non Methaphyſicam,tùm quia rationalitas non perficit animalitatem, ſicuti perficit ſeipſam, tùm quiá animalitas non includitur in conceptu formali, & definitiuo rationalitatis:animalitas enim definitur principium ſentiendi, rationalitas verò principium diſcurrendi, eodem modo philoſophatur de cæteris prædicatis eſſentialibus eiuſdem rei quę definiuntur definitione diuerſa.

5. Hæc ſententia in hunc modum declarata vulgo tribuitur Scoto, qui videtur in primo diſtinct. ſecunda quæſt.3. & in ſecundo diſtinct. 3. q. 1. & alibi ponere inter prædicata eſſentialia eiuſdem rei diſtinctionem intrinſecam, non virtualem, ſed actualem, ſiue formalem, ex natura rei. An verò in hanc ſententiam verè Scotus deſcenderit, eſt ſatis dubium: ego exiſtimo nihil aliud voluiſſe Scotum ſignificare nomine diſtinctionis formalis, quàm diſtinctionem rationis ratiocinatæ, hoc eſt cum fundamento in re, vt nos explicabimus ſuo loco. Itá videtur innuere P. Suarez in Tomo primo Methaphyſicæ diſput. 7. ſect. 1. cum alijs non paucis: quia verò Scotns ambiguè loquutus eſt in hac materia, & plerique eius diſcipuli hanc opinionem de diſtinctione media acerrimè defendunt, vt videre eſt apud Sotum, & Pontium diſp: 32. quæſt. 1.

ideò

ideò inualuit apud Scholaſticos, vt diſtinctio formalis ex natura rei, ſiuè diſtinctio media inter realem, & rationis antonomaſticè vocaretur diſtinctio Scotica, eamque nos in decurſu huius diſputationis hoc nomine appellabimus, quia loquendum eſt cum multis, ſentiendum cum paucis:

6. Oppoſitam ſententiam docet expreſſe S. Thomas qui, vbicumque incidit ſermo de diſtinctionibus, ne verbum quidem facit de hac diſtinctione media, nullam enim aliam agnoſcit præter realem, & rationis. Cum Sancto Thoma ſentit Durandus in primo diſtinctione 2. quæſt. 3. Ochamus quæſt. 2. Henr. de Gandauo in 6. Methaphyſicæ quæſt. 10. Caietanus in prima parte, & vniuerſa ſchola Nominalium.

7. Noſtra ſententia ſit: non datur, nec dari poteſt inter gradus metaphyſicos diſtinctio media inter realem, & rationis ſiuè diſtinctio formalis ex natura rei.

8. Probatur primò: omnis diſtinctio poſſibilis, vel eſt realis vel rationis, ergo repugnat diſtinctio, quæ neque ſit realis, neque rationis; ergo repugnat diſtinctio media, ſiuè formalis ex natura rei: conſequentia eſt euidens, quia ſi animal eſt rationale, vel irrationale, repugnat animal, quòd neque ſit rationale neque irrationale. Antecedens probatur, omnis diſtinctio vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca, ſed intrinſeca eſt realis, & extrinſeca rationis, ergo omnis diſtinctio eſt realis, vel rationis: Maior

ſic

eſt certa, quia intrinſecum, & extrinſecum, ſiue non intrinſecum ſunt termini contradictorij. Minor probatur: omnis diſtinctio intrinſeca, quæ inuenitur in rebus, & eſt diſtinctio rei à re, eſt realis, ergo omnis diſtinctio intrinſeca eſt realis, ergo diſtinctio formalis, quæ eſt intrinſeca rebus vel non datur, vel eſt realis: ergo non datur alia diſtinctio præter realem, & rationis, adeoque diſtinctio abſtractiſſimè accepta optimè diuiditur in diſtinctionem realem, & in diſtinctionem rationis.

9. Hoc argumentum conatur Scotus ſoluere dicendo in genere diſtinctionis intrinſecæ dari diſtinctionem rei à re, & dari diſtinctionem formalitatis à formalitate, quæ non eſt realis, ſed formalis, ergo falſum eſt omnem diſtinctionem intrinſecam eſſe diſtinctionem rei à re.

10. Sed contrà eſt, quia diſtinctio formalitatis à formalitate, ſi non eſt diſtinctio rationis, adeoque extrinſeca, debet eſſe diſtinctio rei à re, id autem oſtenſiuè demonſtro hoc argumento. Quæro à Scoto: formalitas animalitatis, quæ diſtinguitur intrinſecè à formalitate rationalitatis, eſt ne aliquid à nihilo contradiſtinctum, an nihil eſt? ſi nihil eſt, ergo diſtinctio formalitatis à formalitate eſt diſtinctio nihili à nihilo, adeoque non eſt diſtinctio. Si eſt aliquid à nihilo contradiſtinctum, ergo eſt ens: animalitas ergo eſt vna res. Idem diſcurſus valet de formalitate rationalitatis, quæ

cum

cum ſit ens vt pote à nihilo contradiſtincta eſt etiam, vna res, non minus quam animalitas, ergo animalitas, & rationalitas, quas vocat Scotus duas formalitates, ſunt duæ res, ſicuti ſunt duæ res Petrus, & Paulus: ſed diſtinctio quæ datur inter duas res, eſt diſtinctio rei à re, vt ipſe Scotus concedit, ergo omnis diſtinctio intrinſeca eſt diſtinctio rei à re, adeoque diſtinctio realis, quod erat demonſtrandum, ergo vel nulla datur diſtinctio intrinſeca inter animalitatem, & rationalitatem, vel non datur diſtinctio formalis, & Methaphyſica iuxta mentem Scoti.

11. Probatur ſecundò; animalitas vel diſtinguitur phyſicè à rationalitate, vel perficit rationalitatem, perinde ac ſe ipſam, ergo non diſtinguitur formaliter ex natura rei à rationalitate. Probo antecedens: Si animalitas minus perficit rationalitatem, quam perficiat ſe ipſam, minus ſe communicat rationalitati, quàm ſibi, ſed ſi minus ſe communicat rationalitati, quàm ſibi, non habet identitatem cum rationalitate, ergo &c. Minor probatur tum quia ad identitatem requiritur ſumma communicato, vt in prima quæſt. nu. 6. oſtenſum eſt, tum quia anima, quæ minus perficit corpus quam ſe ipſam, non habet identitatem cum corpore, & natura diuina quæ communicatur humanitati Chriſti minus quàm ſibi, diſtinguitur realiter ab ipſa humanitate.

32. Ne-

12. Neque dicas animàm non habere identitatem cum corpore quia poteſt ſeparari à corpore, contra enim eſt quia ſeparabilitas animæ à corpore ex eo præcisè naſcitur quòd anima non ſe communicat corpori perindè ac ſibi: vndè fit, vt non habeat tantam indigentiam corporis, quantam habet ſui ad exiſtendum in rerum natura, ergo vel vna formalitas eſt ſeparabilis ab alia ſicuti anima à corpore, vel vna æquè perficit aliam ac ſe, ergo non datur inter formalitatem animalitatis, & formalitntem rationalitatis diſtinctio media, ſiue formalis ex natura rei, vel ſi datur hæc diſtinctio, datur etiam realis diſtinctio.

13. Probatur tertio. Poſſibile iuxta Philoſophum eſt illud, quo exiſtente nullum ſequitur inconueniens, ſed exiſta diſtinctione media, quam Scotus excogitauit plura ſequuntur inconuenientia, ergo iſta diſtinctio non eſt poſſibilis. Maior probatur primò, quia ex hac diſtinctione ſequitur proceſſus in infinitum in iſtis formalitatibus; Jd autem ità demonſtro: animalitas hominis quæ diſtinguitur formaliter in ſenſu Scoti à rationalitate ideò præcisè diſtinguitur, quia animalitas, & rationalitas ſe inuicem excludunt à ſuo conceptu formali, & definitiuo: ſed in ipſa rationalitate inueniuntur duo prædicata quæ excludunt ſe à conceptu formali, & definitiuo, ergo in formalitate rationalitatis ſunt aliæ duæ formalitates formaliter diſtinctæ. Minor probatur in ipſa ratio-

rationalitate inuenitur conuenientia cum hinnibilitate, quæ conſiſtit in eo quòd vtraque differentia contrahit rationem genericam animalis, & inuenitur diſconuenientia cum eadem hinnibilitate, quæ conſiſtit in eo quòd illa conſtituit naturam humanam, & iſta naturam equi, ergo in formalitate rationalitatis ſunt aliæ duæ formalitates formaliter diſtinctę: poteſt idem argumentum formari de vna ex iſtis duabus formalitatibus, & ſic in infinitum, ergo vel dantur infinitæ formalitates in eadem hominis eſſentia, vel nullæ: deindè ſequitur ex hac diſtinctione mediâ prædicata contradictoria poſſe verificari de vna, & eadem re, quia principium ſentiendi affirmatur de animalitate, & idem negatur de rationalitate, ſed animalitas, & rationalitas ſunt vna, & eadem res, ergo de vna & eadem re verificantur prædicta contradictoria. Neque diſtinctio media, vt falſo contendit Scotus, tollit contradictionem, vt ex profeſſo oſtendam in quæſtione ſequenti, vbi hoc argumentum, quòd ego arbitror robuſtiſſimum, promouebo. Præterea nulla eſt neceſſitas multiplicandi tot formalites in vna, & eadem indiuiſibili re, cum diſtinctio rationis ſufficiat ad verificandum in vna, & eadem re inueniri plura prædicata quæ mutuò ſe excludunt à ſuo conceptu formali, & definitiuo, vt dicam ſuo loco.

14. Obijcies primo: animalitas, & rationalitas hominis definiuntur definitione diuerſa,

 ſed

ſed quæ definiuntur definitione diuersà diſtinguuntur diſtinctione formali ex natura rei,ſiue diſtinctione intrinſeca rebus definitis, ergo inter gradus Methaphyſicos datur diſtructio formalis ex natura rei. Maior patet, quia animalitas definitur principium ſentiendi,& rationalitas principium diſcurrendi. Min: probatur,tum quia ea quæ definiuntur definitione diuerſa,habent naturam diuerſam, vt videre eſt in homine & equo,quorum vnus differt ab alio, quia ille definitur animal rationale, hic verò animal hinnibile; tum quia principium, ex quo arguimus diſtinctionem vel identitatem rerum. quæ cognoſcuntur, eſt illud, per quòd explicatur natura & eſſentia rei, ſed definitio explicat naturam, & eſſentiam rei, ergo definitio eſt principium, ex quo arguimus identitatem vel diſtinctionem rerum: hoc argumentum pluribus vrget in rem ſuam, & quidem ingenioſè ex doctrina Scoti Maurus loco citato.

15. Reſp. hoc argumentum nihil probare quia nimis probat; probat enim inter gradus Methaphyſicos diſtinctionem non formalem ex natura, rei, vt arguens contendit, ſed realem, & phyſicam. Ratio eſt euidens, quia ſi eſt verum hoc principium quòd arguens aſſumit, tanquam indubitatum: *identitas, vel diſtinctio rei definitæ arguitur ex identitate, vel diſtinctione definitionis*: *infertur* per legitimam conſequentiam animalitatem diſtingui rea-

realiter à rationalitate, & ab ipſa eſſe ſeparabilem, quia earum definitiones ſunt realiter diſtinctæ, & ſeparabiles.

16. In forma ad argumentum diſtinguo ma: animalitas, & rationalitas cognitæ conceptu inadæquato, & præciſiuo definiuntur definitione diuerſa: concedo ma: cognitæ conceptu adæquato, & non præciſiuo nego ma: & diſt:mi. ea quæ definiũtur definitione diuerſa ſi cognoſcantur conceptu inadæquato, & præciſiuo habent diſtinctionem intrinſecam nego minorem; ſi cognoſcantur conceptu adæquato, & non præciſiuo concedo minorem: & nego conſequentiam: eadem diſtinctio eſt adhibenda ad argumentum, quòd probat minorem propoſitionem.

17. Ad euidentiam huius diſtinctionis ſciendum eſt duplicem ab intellectu formari poſſe conceptum, ſiue definitionem rerum, aliam adæquatam, per quam obiectum exprimitur, ſecundum omnia prædicata quæ habet intrinſecè & eſſentialiter, aliam inadæquatam ſiuè præciſiuam, per quam non exprimuntur omnia, quæ habet intrinſecè, & eſſentialiter ipſum obiectum: ratio à priori eſt, quia intellectus humanus definit ea quæ ſunt realiter prout ſubiacent ſiuè repræſentantur diuerſis conceptibus, ſed ea quæ ſunt realiter poſſunt repræſentari conceptibus adæquatis, qui non ſunt præciſiui, & conceptibus inadæquatis qui ſunt conceptus præciſiui, ergo poſ-

ſunt formari definitiones adæquatæ, & definitiones inadæquatæ, eo modo quo poſſunt formari conceptus adæquati,& inadæquati rerum, hoc eſt repreſentantes obiectum repræſentatione adæquata, quæ non eſt præciſiua, & inadæquata; quæ eſt præciſiua.

18. Suppoſita diuerſitate huiuſmodi conceptuum, & definitionum apertè cõſtat ea tantum habere diſtinctionem intrinſecam, & obiectiuam, quæ cognoſcuntur, & definiuntur diuerſa definitione adæquata, & non præciſiua: hanc veritatem, qua nihil certius, & euidentius oſtenſiuè probant rationes, & exempla adducta in argumento ad probandam minorem. Hinc optimè arguitur: Petrus, & equus definiuntur definitione diuerſa, ergo habent eſſentiam diuerſam, adeoque habent diſtinctionem intrinſecam realem, & obiectiuam, quia definitio quæ definit Petrum eſſe animal rationale,eſt definitio adæquata hominis & repræſentat formaliter totam eſſentiam equi. Quod ſi obiectum definitur conceptu inadæquato, & præciſiuo, qui nimirum talis eſt vt formaliter non repræſentet omnia prædicata obiecti, à diuerſitate conceptuum, & definitionum non benè arguitur diſtinctio intrinſeca formalitatum in obiecto, ſed ad ſummum arguitur diſtinctio extrinſeca, & rationis quæ diſtinctio tandem reſoluitur in realem diſtinctionem duarum cognitionum quibus cognoſcitur vnum, & indiuiſibile obiectum.

19. Ra-

19. Ratio à priori huius diuerſitatis eſt quia conceptus inadæquatus, & præciſiuus, non negat alia prædicata, quæ ſunt in rebus, ſed ſolum præſcindit, præſcindere enim non eſt negare, ergo ex eo quod principium diſcurrendi non exprimitur cognitione præciſiua & inadæquata animalitatis, quæ eſt in homine, non poteſt legitimè inferri, ergo animalitas hominis non eſt principium diſcurrendi: ſed ſolum inferri poteſt, conceptus animalitatis non repræſentat principium diſcurrendi, adeoque præſcindit à principio diſcurrendi. Ex alia parte conceptus adæquatus negat de re definita ea prædicata eſſentialia, quæ non explicat, ideò conceptus adæquatus hominis negat de homine hinnibilitatem, & ſimilia prædicata. Addo, quòd ſicuti oſtendemus contra Scotum in diſputatione ſequenti ex vna & eadem definitione, qua definiuntur omnes homines, argui eſſentiam vnam & eamdem in omnibus; non realiter, & poſitiuè, ſed ſolum formaliter, & præciſiuè, ità nunc demonſtramus aduerſus eũdem Doctorem diſtinctionem definitionum arguere diſtinctionem, non intrinſecam ſiue obiectiuam, ſed extrinſecam ſiuè formalem per intellectũ inter gradus Metaphyſicos. Libet hic poſtremo obſeruare, quod componere ſenſum præciſiuum cum ſenſu poſitiuo; quorum diſtinctio eſt diligenter obſeruanda in diſputationibus, locum fecit errandi circa diſtinctionem intrinſecam, & obiectiuam formalitatum

ſicuti omnis error circa prædicata Diuina originem habuit, eo quòd homines falsò exiſtimarunt Deum eſſe in ſe ſicuti à nobis cognoſcitur vt rectè oſtendit ex doctrina Dionyſij & Auguſtini S Thomas in prima parte.

20. Obijcies ſecundo: principium ſentiendi definit adæquatè animalitatem, ſicuti principium diſcurrendi rationalitatem, ſed huiuſmodi definitiones ſunt diuerſæ, ergo etiam res definitæ. Maior probatur, quià interrogati quid ſit animal, reſpondemus eſſe principium ſentiendi, non minus quam rogati quid ſit equus dicimus eſſe animal hinnibile.

21. Reſp. diſt. ma. definit adæquatè animalitatem cognitã cognitione adæquata nego ma: cognitione inadæquata concedo ma: & minorem, & nego conſequentiam: qui cognoſcit animalitatem hominis præciſam à rationalitate, eam cognoſcit cognitione inadęquata, quía cognitione præciſiua cognoſcit, quæ eſt inadæquata, ſed qui ait animal eſſe principium ſentiendi definit animalitatem hominis præciſam à rationalitate, vt eſt manifeſtum, ergo definit animalitatem cognitam cognitione inadæquata. Illud ergo eſt diſcrimen inter eum qui ait equum eſſe animal hinnibile, & qui ait animal eſſe principium ſentiendi, quòd ille definit adæquatè equum cognitum cognitione adæquata; hic verò definit adæquatè animal cognitum cognitione inadæquata: quia verò diuerſæ definitione illarum rerum

quæ

quæ cognoſcuntur conceptu inadæquato, non arguunt diſtinctionem intrinſecam rebus definitis, ideò non poteſt argui ex diuerſa definitione animalitatis, & rationalitatis diſtinctio intrinſeca intèr animal, & rationale.

22. Obijc. tertio. Animalitas, & Rationalitas quæ definiuntur definitione diuerſa cognoſcuntur ab intellectù cognitione adæquata, ergo diſtinguntur intrinſecè: antecedens probàtur primò, quia aliter nulla eſſentia rerum materialium cognoſci poſſet cognitione adæquata ab intellectu, quod repugnat perfectioni intellectus. ſecūdò quià potētia viſiua quę habet colorem pro obiecto reſpecit perfectè colorem in ratione coloris, ergo potentia intellectiua quæ vt dicit S. Thomas ex doctrina Philoſophi habet pro obiecto eſſentiam rerum materialium, debet eam cognoſcere cognitione adæquata.

23. Reſp. nego antecedens: ad eius probationem dico eſſentiam rerum materialium cognoſci ab intellectu humano cognitione adæquata, quæ formaliter repræſentat omnia eius prædicata, vt euincit paritas potentiæ viſiuæ. Non indè tamen ſequitur animalitatem hominis cognoſci cognitione adæquata, & minimè præciſiua quando definitur eſſe principium ſentiendi, immò ſequitur oppoſitum. Ratio eſt quia ſicuti pertinet ad perfectionem intellectus quatenus eſt potentia immaterialis cognoſcere adæquatè, & intuitiuè ſubſtantiam rei mate-

rialis, ità pertinet ad imperfectionem intellectus humani, qui accipit cognitionem à ſenſibus prius formare de ſubſtantia materiali aliquem conceptum cofuſum, qui eam confundat cum alijs ſubſtantijs habentibus eamdem ſimilitudinem, antequam perueniat ad formandum conceptum adæquatum & definitiuum eiuſdem.

24. Hinc eſt, quòd idem intellectus vt formet conceptum adæquatum hominis, debet abſtrahere animalitatem ab homine, prædicatum videlicet genericum, quòd cognitum conceptu præciſiuo definitur per aliud genus vniuerſalius, donec perueniat ad aliquod prædicatum quod amplius definiri non poteſt. Quare definitio animalitatis non eſt definitio adæquata animalitatis exiſtentis in homine, ideò non eſt cur ex vi iſtius definitionis inferatur diſtinctio animalitatis à rationalitate: definitio ergo adæquata animalitatis exiſtentis in homine eſt illa, per quam definitur homo eſſe principium ſentiendi, & diſcurrendi. Ratio eſt quia animalitas hominis eſt rationalitas, ſed rationalitas eſt principium diſcurrendi, ergo animalitas eſt principium ſentiendi ſimul & diſcurrendi.

25. Obijc. quarto. Ex hac doctrina ſequitur animalitatem hominis diſcurrere: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Probatur minor: tum, quia homo non diſcurrit, quia eſt animal, ſed quia eſt rationalis, quod eſſet falſum

ſum ſi animalitas diſcurret perinde, ac rationalitas: tum, quia non eſt bona hæc conſequentia: homo eſt animal, ergo diſcurrit: ſicuti eſt bona iſta: eſt animal, ergo ſentit: ſed vtraque conſequentia eſſet æquè bona, ſi animalitas diſcurreret, ergo &c. Confirmatur, quia iſtæ propoſitiones ſunt falſæ, Deus per miſericordiam punit, Deus per iuſtitiam miſeretur, ergo à pari ſunt falſæ: animalitas diſcurrit: rationalitas ſentit.

26. Reſp. Hoc argumento probari euidẽter diſtinctionem formalem per intellectum, ſiue diſtinctionem rationis, non formalem ex natura rei inter gradus metaphyſicos: in forma ad argumentum concedo ſequelam maioris, & nego minorem: ad eius probationem dico eſſe magnum diſcrimen inter iſtas propoſitiones *homo, quia eſt animal diſcurrit*, & *homo qui eſt animal diſcurrit*. Ratio eſt, quia in ſecunda propoſitione animalitas hominis ſumitur in ſenſu reali, & poſitiuo, prout eſt à parte rei, in prima verò ſumitur in ſenſu formali, & præciſiuo, prout eſt præciſa ab intellectu. Animalitas hominis conſiderata in ſenſu reali diſcurrit, quia non diſtinguitur à rationalitate, quæ diſcurrit, & diſtinguitur ab hinnibilitate, quæ non diſcurrit: eadem animalitas conſiderata in ſenſu formali non diſcurrit, quia præſcindit à rationalitate; hinc eſt falſa iſta propoſitio *homo diſcurrit quatenus animal*, quia ly quatenus reduplicat ſupra animalitatem præci-
ſam

ſam à rationalitate, vnde non infertur niſi diſtinctio rationis inter animalitatem, & rationalitatem, quæ eſt diſtinctio realis duarum cognitionum, quibus idem obiectum cognoſcitur, vt dictum eſt. Eadem de cauſa eſt bona iſta conſequentia: homo eſt animal, ergo ſentit: non eſt bona iſta: eſt animal, ergo diſcurrit, quia ly animal ſumitur in ſenſu formali, hoc eſt in ſtatu præciſionis, in quo conſtituitur præciſiuè indifferens, vt ſit in homine, vel in equo. Eadem ſolutio adhiberi debet ad confirmationem argumenti, quæ potiùs retorquetur, quia verum eſt in ſenſu reali Deum punire per miſericordiam, & miſereri per iuſtitiam, non eſt verum in ſenſu formali, quia miſericordia quatenus miſericordia non punit, & iuſtitia quatenus iuſtitia non miſeretur: indè non arguitur diſtinctio intrinſeca, ſiue formalis ex natura rei, vt Scotus contendit, ſed extrinſeca, & formalis per intellectum inter miſericordiam, & iuſtitiam diuinam, quæ vocantur à Theologis attributa Dei.

27. Obijc. quinto. Intellectus qui comparat rationem genericam, & rationem differentialem, videlicet animalitatem, & rationalitatem, non cognoſcit vnam rationem eſſe aliam immò cognoſcit oppoſitum, quia rationalitas formaliter non eſt animalitas, ergo iſtæ duæ rationes diſtinguuntur intrinſecè, & ex natura rei: conſequentia probatur, quia implicat contradictionem ab intellectu penetrante duas ratio-

tiones indiſtinctas non cognoſci earum identitatem.

28. Reſp. Diſtinguo antecedens: intellectus non cognoſcit vnam rationem abſtractam eſſe aliam: concedo antecedens; non cognoſcit vnam rationem contractam eſſe aliam, nego antecedens, & conſequentiam. Ad eius probationem dico eſſe diſtinguendum inter rationem genericam abſtractam per intellectum, ſiue præciſam ab omnibus differentijs, & eamdem rationem genericam contractam ad aliquam determinatam ſpeciem, videlicet inter animalitatem abſtractam ab omnibus differētijs, & eamdem rationem genericam contractam ad aliquem determinatam ſpeciem, videlicet inter animalitatem abſtractam ab omnibus differentijs, & eamdem contractam ad ſpeciem hominis: Ratio generica abſtracta eſt indifferens præciſiuè, vt per vnam potiùs quàm per aliam differentiam contrahatur ad aliquam ſpeciem: Ratio generica contracta non habet hanc indifferentiam, quia animalitas hominis, quæ eſt ipſa rationalitas, non poteſt eſſe in Leone. Non poteſt eſſe dubium, quin ratio generica abſtracta diſtinguatur à ſuis differentijs, quia ille conceptus, quem intellectus format de ratione generica, eſt diuerſus ab illo, quem fomat de differentijs, vt eſt euidentiſſimum, quia verò vbi datur diſtructio, ibi datur multitudo, & vbi datur multitudo ibi datur prioritas, & poſterioritas, ideò intellectus abſtrahendo rationem

nem genericam à differentijs conſtituit illam priorem prioritate logica, quæ vocatur prioritas à ſubſiſtendi conſequentia. Vndè ſequitur non poſſe argui à genere ad ſpeciem, ſicuti poteſt argui a ſpecie ad genus, quia genus eſt prius, & ſpecies poſterior: hoc genere prioritatis ratio generica contracta per rationalitatem ad ſpeciem hominis non diſtinguitur vlla diſtinctione intrinſeca, vt eſt demonſtratum à rationalitate, & homine. Inde eſt, quòd intellectus penetrando rationem genericam abſtractam non poteſt venire in cognitionem differentiarum, quæ non relucent in conceptu formali generico; licet penetrando rationem genericam contractam debeat cognoſcere identitatem vnius cum alia.

29. Obijc. ſexto. Homo componitur ex genere, & differentia, ſed inter partes componentes datur diſtinctio, ergo inter genus, & differentiam datur diſtinctio. Confirmatur, quia ſi animal, & rationale, ex quibus homo componitur non habent diſtinctionem intrinſecam, eſſentia hominis habet eſſe adeò ſimplex ſicuti habet Deus, quod repugnat, quia Deus eſt ens ſimpliciſſimum, Creatura verò eſt ens compoſitum.

30. Reſp. diſtinguo ma: homo componitur Logicè ex genere, & differentia concedo ma: componitur Phyſicè, nego ma: & diſtinguo minorem: inter partes componentes debet dari diſtinctio, vel Phyſica, vel Logica, concedo

cedo minorem: Phyſica, nego minorem, & diſtinguo conſequens, ergo inter genus, & differentiam datur diſtinctio Phyſica, nego conſequentiam, datur diſtinctio Logica concedo conſequentiam: genus, quod eſt formaliter genus, non datur niſi per intellectum, qui abſtrahit vnam rationem ab alia, ideò compoſitio, & conſequenter diſtinctio ex genere, & differentia non datur, niſi per intellectum, ſed iſta diſtinctio eſt diſtinctio rationis, igitur inter genus, & differentiam datur ſolum diſtinctio rationis, adeoque argumentum retorquetur. Ad confirmationem dico ſummam ſimplicitatem, quam habet Deus præ cæteris rebus in eo præcisè conſiſtere, quòd excludit omnem compoſitionem tam ſubſtantialem ex materia, & forma, quam accidentalem ex ſubſtantia, & accidente propter identitatem, quam Deus habet cum omnibus ſuis perfectionibus: hanc compoſitionem nulla creatura excludit, quia ſubſtantiæ materiales conſtant ex materia, & formā & ſubſtantiæ immateriales habent plura accidentia, ergo licet prædicata eſſentialia hominis careant diſtinctione intrinſeca, eſt magnum diſcrimen inter naturam hominis, & naturam Dei, qui eſt ens ſimpliciſſimum.

31. Obijc. vltimò. Intellectus cognoſcit eſſentiam rerum materialium, vt compoſitam ex genere, & differentia, ergo huiuſmodi eſſentia componitur Phyſicè ex genere, & differentia. Conſequentia probatur, quia intellectus cogno-

gnoſcit eſſentiam rerum materialium, vt eſt in ſe extra intellectum, ſed ſi eſſentia rerum materialium non eſſet in ſe extra intellectum compoſita ex genere, & differentia, intellectus eam non cognoſceret, vt vere inde eſt, eo modo, quo oculus, cui album apparet viride non videt rem vt verè eſt in ſe ipſa, ergo &c.

32. Reſp Concedo antecedens, & nego conſequentiam: non repugnat, vt vna ratio, quæ identificatur cum alia realiter, & poſitiuè, diſtinguatur ab eadem formaliter, & præciſiuè, ſicuti non repugnat, vt color, qui eſt realiter coniunctus cū ſapore in pomo non ſit coniunctus cum eodem in oculo, qui videt colorem pomi, & non videt eiuſdem ſaporem. Ad probationem conſequentiæ diſt. maiorem. intellectus cognoſcit eſſentiam rerum materialium, vt eſt in ſe ly vt reduplicante rem cognitam concedo ma: reduplicante modum cognoſcendi nego ma: & diſtinguo eodem pacto minorem non cognoſceret rem, vt eſt in ſe: ly vt reduplicante rem cognitam nego minorem: reduplicante modum cognoſcendi: concedo minorem, & nego conſequentiam: hæc propoſitio reduplicatiua *intellectus cognoſcit eſſentiam rerum, vt eſt in ſe* habet duplicem ſenſum; nimirum *intellectus cognoſcit, & affirmat eſſentiam rerum eſſe in ſe, ſicuti verè eſt*: in hoc ſenſu propoſitio eſt vera, & particula reduplicatiua reduplicat rem cognitam. Alter ſenſus, quem facit prædicta propoſitio eſt huiuſmodi;

modus

modus, quo intellectus cognoſcit eſſentiam rei eſt modus, quo res eſt in ſe ipſa. In hoc ſenſu propoſitio eſt falſa, & particula reduplicatiua reduplicat modum cognoſcendi. Ratio cur ſit falſa, patet tum à poſteriori, quia albedo non eſt in pariete eo modo, quo eſt in oculo, tum à priori, quia potentia intentionalis non poteſt alia via percipere ſuum obiectum, niſi idem obiectum diuerſimodè ſit in potentia, ac in ſe ipſo.

QVAESTIO III.

Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio virtualis intrinſeca.

1 REiecta diſtinctione formali ex natura rei, quam Scotus inuenit inter gradus metaphyſicos ſe mutuò excludentes à ſuo conceptu formali debemus in præſenti quæſt. inquirere, vtrum prædicata eſſentialia nimirum animalitas, & rationalitas, quæ conſtituunt naturam hominis, intrinſecè diſtinguantur aliqua diſtinctione non actuali, ſiue formali ex natura rei; ſed tantum virtuali, quæ ab aliquibus vocatur diſtinctio realis diminuta, ab alijs eminentialis, ab Aureolo diſtinctio repetitionis intrinſeca, eamque nos hoc nomine ſemper appellabimus, & definitur eſſe identitas realis coniuncta cum diſcrepantia intrinſeca rerum, quæ iden-

identificantur in aliquo prædicato : diſtinctionem virtualem intrinſecam omnes ferè Theologi recognoſcunt inter eſſentiam diuinam, & ſingulas perſonas ad componendam vnitatem naturæ cum Trinitate perſonarum, quia natura diuina realiter communicatur filio, & Paternitas non communicatur filio, cum Pater æternus communicet ſuo filio eſſe Deum, & non communicet eſſe Patrem; Inde eſt, quod eſſentia, & Paternitas, quæ conſtituunt Deum Patrem, habent identitatem cum diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicato; ſed inter ea, quæ habent identitatem cum diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicato datur diſtinctio virtualis intrinſeca, ergo inter naturam diuinam, & Paternitatem datur diſtinctio virtualis intrinſeca.

2 Hinc colliges beneficio diſtinctionis virtualis intrinſecæ verificari ſine contradictione prædicata contradictoria de natura diuina, & Paternitate, quia licet opponantur contradictione hæc prædicata *realiter cōmunicari, & realiter non communicari* non opponuntur cōtradictoriè huiuſmodi propoſitiones *eſſentia communicatur realiter filio : Paternitas non communicatur filio realiter.* Ratio eſt, quia vt docuimus in Sūmulis part. 2. Cap 4. ex doctrina Philoſophi, propoſitiones non ſunt contradictoriæ, niſi affirmetur, & negetur idem de eodem, quod eſt omnibus modis idem, ſed dum affirmatur de eſſentia communicari filio, & idem negatur de Paternitate; affirmatur de eodem, & negatur idem,

idem, quod non eſt omnibus modis idem, quia eſſentia, & Paternitas habent diſtinctionem virtualem intrinſecam, ergo &c.

3 Ratio à priori eſt, quia diſtinctio virtualis eſt quædam æquiualentia diſtinctionis realis, ſed diſtinctio realis eſt cauſa, cur ſine contradictione verificentur prædicata contradictoria de rebus realiter identificatis, hoc eſt de eſſentia, & Paternitate, quæ in Deo non diſtinguuntur, ergo &c.

4. Hanc diſtinctionem à myſterio àrcaniſſimo Sanctiſſimæ Trinitatis, quod nobis Deus reuelauit, traduxere nonnulli Philoſophi, & præſertim Thomiſtæ ad Creaturas, non leuiter hac de cauſa redarguendi, quod de rebus creatis, & finitis volunt philoſophari eodem modo, quo docet fides philoſophandum de Deo, qui eſt ens increatum, & infinitum.

5. Quæſtio igitur in re præſenti eſt, vtrum gradus metaphyſici, ſiue prædicata eſſentialia, quæ ſunt animalitas, & rationalitas in homine habeant diſcrepantiam intrinſecam in aliquo prædicàto, ita vt de vno poſſit affirmari intrinſecè vnum prædicatum, quod intrinſecè negatur de alio, quod eſt idem formaliſſimè ac quærere vtrum inter gradus Metaphyſicos, ſiue formalitates creatas inueniatur diſtinctio virtualis intrinſeca.

6. Noſtra ſententia ſit: non datur, nec dari poteſt diſtinctio virtualis intrinſeca inter gradus metaphyſicos, ſiuè inter formalitates crea-

tas,Hæc ſententia eſt communis aduerſus Scholam Thomiſticam.

7. Probatur primo identitas duarum formalitatum cum intrinſeca diſcrepantia in aliquo prædicato eſt formaliſſimè diſtinſtio virtualis intrinſeca, ſed inter formalitates creatas repugnat huiuſmodi identitas cum intrinſeca diſcrepantia in aliquo prædicato, ergo &c.Minor probatur, quia repugnat formalitates creatas habere communicationem ſummam in omnibus perfectionibus, & ſimul non habere cõmunicationem ſummam, ſed identitas coniuncta cum diſcrepantia intrinſeca inuoluit in ſuo formali conceptu communicationem ſummam in omnibus perfectionibus, & ſimul negationem communicationis ſummæ, ergo &c:Minor probatur, qnia ex vna parte includit communicationem ſummam, excludit enim diſtinctionem formalem ex natura rei,quæ datur inter ea quæ ſunt idem, & ſibi non communicant omnem perfectionem, ex alia parte negat communicationem ſummam, quia illud prædicatum, quo intrinſecè differunt neceſſario inuoluit perfectionem, vel imperfectionem, ergo vna formalitas, de qua affirmatur prædicatum inuoluens perfectionem, vel imperfectionem non eſt æque perfecta, ac alia formalitas, de qua negatur idem prædicatum. Conſequentia probatur, quia animalitas, & rationalitas ſunt duæ formalitates, de quarum vna, nimirùm de rationalitate prædicatur ſimilitudo cum Angelis,

lis, quod prædicatum inuoluit perfectionem, de altera videlicet de animalitate, hoc idem prædicatum negatur, ergo animalitas, & rationalitas non habent perfectionem æqualem, ergo duæ formalitates,de quarum vna affirmatur prædicatum intrinſecum, quod negatur de alia, non communicant ſibi omnem perfectionem, ſed ea, quæ diſtinguuntur hoc genere diſtinctionis debent ſibi communicare, omnem perfectionem, ergo repugnat hoc genus diſtinctionis inter formalitates creatas.

8. Probatur ſecundò argumento ad hominem, quod eſt diligenter conſiderandum, quia æquè probat repugnantiam diſtinctionis virtualis intrinſecæ, ac repugnantiam diſtinctionis formalis ex natura rei. Gradus methaphyſici,vel non diſtinguuntur virtualiterintrinſece, vel diſtinguuntur realiter:ſed realiter non diſtinguuntur, vt Thomiſtæ concedunt, ergo neque virtualiter:maior probatur ſumendo claritatis gratia animalitatem Petri, & eiuſdem rationalitatem, quas ità demonſtro eſſe duas res diſtinctas realiter,ſi diſtinguuntur virtualiter.

9. Si animalitas & rationalitas Petri diſtinguuntur virtualiter,verificantur de illis prædicata contradictoria,ſed ea,de quibus verificantur prædicata contradictoria diſtinguntur realiter, ergo animalitas, & rationalitas Petri diſtinguuntur realiter,ſi diſtinguuntur virtualiter. Minor,probatur,quæ controuertitur. Præ-

dicata contradictorie oppoſita non poſſunt eſſe vna entitas realis, ergo ea de quibus verificantur prædicata contradictorie oppoſita, diſtinguuntur realiter. Prima conſequentia probatur: ea, quæ ſunt omnino idem cum prædictis realiter diſtinctis, ſunt realiter diſtincta, repugnat enim vt *A.*& *B*. ſint idem omnibus modis inter ſe, & tamen A non diſtinguatur realiter à C, à quo diſtinguitur realiter B. ſed animalitas, & rationalitas, de quibus verificantur prædicata contradictoria ſunt idem omnibus modis cum prædicatis realiter diſtinctis, quia ſimilitudo cum Angelis, & negatio eiuſdem ſimilitudinis ſunt prædicata realiter diſtincta, quorum vnum prædicatur de rationalitate cũ qua eſt omnino idem, aliud prædicatur de animalitate, cum quà eſt omnino idem, aliter deberent ab hoc prædicato diſtingui per aliud prædicatum, de quo eadem redibit quæſtio, niſi procedatur in infinitum, quod repugnat, ergo animalitas, & rationalitas de quibus verificantur prædicata contradictoria realiter diſtinguuntur, adeoque non ſunt vna, & eadem res, ergo ex diſtinctione virtuali intrinſeca ſequitur diſtinctio realis, quod erat oſtendendum.

10. Totus hic diſcurſus eſt demonſtratiuus, ſi verum eſt illud antecedens, quod tamquam verum fuit aſſumptum: prædicata contradictoriè oppoſita diſtinguuntur realiter: veritatem huius antecedentis ſatis manifeſtam oſtenſiuè demon-

demonſtro primo, quia notum eſt lumine naturæ repugnare vt idem ſimul ſit, & non ſit, ergo eſſe, & non eſſe non eſt realiter idem, ergo eſſe, & non eſſe realiter diſtinguuntur, ſi enim hæc duo realiter non diſtinguuntur ingenuè fateor me ignorare, quæ nam realiter diſtinguantur: ſed omnia prædicata contradictoriè oppoſita eatenus opponuntur quatenùs inuoluunt eſſe, & non eſſe, vt patet tum ex Ariſtotele, qui diſtinguendo varia oppoſitionum genera oſtendit oppoſitionem contradictoriã fundari in illa oppoſitione, qua opponuntur eſſe, & non eſſe, tum quia prædicata contradictoriè oppoſita ideò habent inter ſe talem oppoſitionem, vt de quocumque poſſibili ea prædicantur vnum debeat eſſe verum, aliud falſum, quia de quocumque poſſibili, vel impoſſibili verum eſt eſſe, vel non eſſe, vt ibidem demonſtrat acutiſſime Ariſtoteles. ergo &c.

11. Secundò eſt manifeſtum, qui dicit Petrum non currere contradicere dicenti Petrum currere, ſed eſt notum naturæ lumine non idem realiter dicere eos, qui ſibi contradicunt. ergo eſt notum lumine naturæ prædicata contradictoria realiter diſtingui: niſi velit aliquis pertinaciter ſuſtinere idē realiter dici ab illis, qui dicunt res inuicem repugnantes. Tertiò, quæ non ſunt inuicem affirmabilia ſed ſunt negabilia procul dubio realiter diſtinguuntur: ſed prædicata contradictoria non ſunt inuicem negabilia, quis enim adeò delirat vt dicere au-

deat, quod currere, & non currere ſint inuicem affirmabilia ergo &c.

12. Quartò prædicata, quæ opponuntur relatiue cuiuſmodi ſunt producere, & produci diſtinguuntur realiter, ergo etiam prædicata, quæ opponuntur contradictoriè: conſequentia eſt euidens, tum quia oppoſitio contradictoria eſt maior oppoſitione relatiua, tum quia oppoſitio relatiua eatenus includit diſtinctionem realem quatenùs infert oppoſitionem contradictoriam:antecedens eſt certum non ſolùm lumine naturæ,quo conſtat non poſſe idem producere ſe ipſum ſed etiam lumine fidei, quo docemur Perſonas diuinas realiter diſtingui, quia relatiuè opponuntur.

13. Hoc argumentum, quod eſt robuſtiſſimum conantur Thomiſtæ infirmare exemplo deſumpto ex ineffabili myſterio diuinæ Trinitatis, vbi ſine vmbra repugnantiæ verificantur prædicata contradictoriè oppoſita de formalitatibus realiter indiſtinctis, nimirū de eſſentia, quæ communicatur filio, & de Paternitate,quæ non communicatur filio, vt dictum eſt in principio quæſtionis, ergo ex prædicatis contradictorijs non infertur diſtinctio tantum realis, ſolum infertur diſtinctio realis vel virtualis: hoc exemplum quòd nobis opponunt Thomiſtæ (pace eorum dixerim) vim argumenti potius auget quam eludit, vt breuiſſimè oſtendo.

14. Non eſt animus hic diſputare vtrum diſtinctio virtualis intrinſeca locum habeat inter

ter Naturam Diuinam, & diuinas perſonas id enim eſſet (vt vulgo dicitur) extra chorum ſaltare, & falcem immittere in meſſem alienam; ſcio tamen ab aliquibus Theologis magni nominis inter quos recenſetur Gregorius Ariminenſis negari mordicus inter Naturam Diuinam & Perſonas id genus diſtinctionis.

15. Quid hac ſuper re opinandum ſit, nec debeo, nec volo nunc definire: viderint Theologi, ad quos ſpectat: iam diù tamen eſt quòd mihi perſuaſum habui à diſtinctione virtuali, quam fere omnes Theologi ponunt in Deo confirmari potius quàm infirmari argumentum propoſitum. Ratio eſt ſatis manifeſta, quià ſi datur in Deo huiuſmodi diſtinctio, ea de cauſa datur, vt diſtinctio realis perſonarum poſſit facile componi cum identitate naturæ, ſed ſi ea de cauſa datur, prædicata contradictoria non inueniuntur ſiuè reali diſtinctione, ergo ex prædicatis contradictorijs benè arguitur realis diſtinctio. Minor probatur: ideò verificâtur de Natura Diuina communicari filio & idem non verificatur de paternitate identificata cum natura, quia natura diuina habet identitatem cum perſonis realiter diſtinctis, nimirum cum Patre & filio, quos eſſe duas perſonas, & vnum Deum docet indubitater veritas inconcuſſa noſtræ fidei, ergo Natura Diuina, & Paternitas, de quibus verificantur prædicata contradictoria, videlicet communicari, & ſimul non communicari, licet careant diſtinctione reali

immediata in ſe ipſis non carent diſtinctione reali mediata in aliquo tertio, nimirū in filio, à quo realiter diſtinguitur Pater, adeoque remanet integrum argumentum, & prorſus inſuperabile, quòd in hoc principio fundatur: prædicata contradictoria ſunt principium diſtinctionis realis, qua veritate nihil certius: nihil euidentius, quia reſoluitur in hoc principium omnibus notiſſimum, *non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

16. Colliges primo, quòd hæc diſtinctio, quam neceſſariò inferunt prædicata contradictoria, ſi eſt immediata vt contingit in rebus creatis, & perfectionis limitatæ, ponit ſolam diſtinctionem realem; Si verò eſt mediata, & in aliquo tertio, præter diſtinctionem realem ponit etiam diſtinctionem virtualem intrinſecam, vt in ſolo Deo accidit, qui propter infinitam ſui perfectionem habet identitatem hoc eſt vnitatem ſummam cum Perſonis realiter diſtinctis.

17. Colliges ſecundò, iure optimo redargui de petitione principij noſtros aduerſarios, qui eo circulo, quem vitioſum appellant turpiſſimè implicantur, cum rogati cur ſine contradictione verificentur de duabus formalitatibus identificatis prædicata contradictoria ſtatim reſpondent, quia non ſunt omninò idem ſiuè, (quòd eodem reuoluitur) habet virtualem diſtinctionem, hoc eſt capacitatem verificandi ſine contradictione prædicata contradictoria, quod

quòd eſt idem ac dicere verificantur ſine contradictione, quia poſſunt verificari, quæ eſt manifeſta petitio principij: eſt enim controuerſum an verificari poſſint: huiuſmodi circulo non ſe inuoluunt qui ponunt virtualem diſtinctionem in Deo quia poſita veritate Myſterij, quòd fides docet, ratio non probat, ſine petitione principij reſpondent dari capacitatem verificandi ſine contradictione prædicata contradictoria in illo ſummo ente, quòd ratione perfectionis infinitæ habet identitatem realem cum perſonis realiter diſtinctis.

18. Obijc. primò: ea, de quibus verificantur realiter prædicata contradictoria & habent identitatem realem, diſtinguuntur virtualiter intrinſecè: ſed huiuſmodi prædicata verificantur de animalitate, & rationalitate hominis, ergo inter animalitatem, & rationalitatem eiuſdem hominis datur diſtinctio virtualis intrinſeca. Minor probatur, quia animalitas realiter eſt ſimilis equo, rationalitas non eſt ſimilis eidem equo, ſed eſſe ſimilem, & non eſſe ſimilem ſunt prædicata contradictoria, ergo de animalitate, & rationalitate verificantur prædicata contradictoria. Idem argumentum poteſt fieri de ſimilitudine, quam habet rationalitas hominis cum Angelo & non habet animalitas.

19. Reſp. concedo maiorem & nego minorem: ad eius probationem diſtinguo maiorem: animalitas Petri eſt ſimilis equo ſimilitu-

dine

dine ſumma. & rationalitas eſt diſſimilis di
militudine ſumma, nego maiorem: eſt ſimi
ſimilitudine non ſumma, & diſſimilis diſſin
litudine non ſumma; concedo maiorem, &
ſtinguo mi: eſſe ſimilem ſimilitudine ſum
& eſſe diſſimiem diſſimilitudine ſumma, ſ
contradictoria concedo minorem: eſſe ſimil
ſimilitudine non ſumma, & diſſimilem di
militudine non ſumma ſunt contradictoria,
go minorem, & conſequentiam.

20. Ad euidentiam huius diſtinctio
quæ ſoluit euidenter hoc argumentum, & a
id genus, ſciendum eſt omnes denominatio
quantum ſpectat ad præſentem controue
ſiam, eſſe diuiſas in duas claſſes; Aliæ ſun
quæ conſiſtunt in indiuiſibili, aliæ verò ſu
quæ ſuſcipiunt magis & minus, adeoque ſu
capaces exceſſus, & defectus. Ad primam
claſſem ſpectant identitas, æqualitas, & ſim
les denominationes, in quibus non poteſt rep
riri magis, & minus, quia non poteſt da
vna identitas, quæ ſit maior identitas, neq
vna æqualitas, quæ ſit maior æqualitas. Hi
duæ quantitates viciſſim collatæ, vel nullam
habent æqualitatem, vel habent omnem æqu
litatem: duo prædicata, vel nullam habe
identitatem, vel habent omnem, quia eſſe ide
& eſſe æquale conſiſtit in indiuiſibili. Ad ſecu
dam claſſem pertinent ferè omnes illæ den
minationes, quæ oriuntur ex formis accide
talibus, quæ ſunt capaces intenſionis, & remi
ſio-

ſionis. Huiuſmodi ſunt denominationes albi, calidi, frigidi, & luminoſi prouenientes ab albedine, calore frigore, & luce quæ ſunt formæ capaces incrementi. Ad hoc genus refertur denominatio ſimilis prouenienſ à ſimilitudine, quæ poteſt eſſe maior, & minor, vt omnibus conſtat; inde eſt non valere hanc conſequentiam: aliqua duo habent ſimilitudinem, ergo habent ſummam ſimilitudinem; ſicuti non valet: hoc cubiculum eſt luminoſum, ergo eſt ſummè luminoſum; Hæc manus eſt calida, ergo eſt ſummè calida.

21. Vt igitur veniamus ad rem noſtram, animalitas hominis habet quidem ſimilitudinem cum animalitate equi, ſed non habet ſummam, & adæquatam ſimilitudinem; ratio eſt tum quia non arguitur ſimilitudo ſumma, & adæquata ex conceptu ſimilitudinis, tum quia animalitas hominis habet minorem ſimilitudinem cum animalitate equi, quam cum animalitate alterius hominis, ſed illa ſimilitudo qua maior inueniri poteſt, non eſt ſumma, & adæquata ſimilitudo, ergo &c. Idem militat pro diſſimilitudine, quam habet rationalitas hominis cum animalitate equi; tumquia in genere diſſimilitudinis datur maior & minor diſſimilitudo, tum quia animalitas equi eſt minus diſſimilis rationalitati hominis quam rationalitati Angelicæ, ergo diſſimilitudo inter rationalitatem hominis, & animalitatem equi non eſt ſumma, & adæquata diſſimilitudo.

do. Nomine rationalitatis ſignificatur in præſenti principium intelligendi quòd habet homo commune cum Angelis.

22. Ex hac doctrina perſpicuè conſtat non opponi contradictoriè ſimilitudinem non ſummam, & carentiam ſummæ ſimilitudinis, ſicuti non opponuntur contradictoriè aliqua claritas, & carentia ſummæ claritatis, quia horis matutinis aer habet aliquam lucem, & ſimul non habet ſummam lucem, non enim habet tantum lucis quantum habet horis meridianis; Indè eſt ſine repugnantia verificari de animalitate ſimilitudinem cum equo, quæ negatur de rationalitate: quia ſimilitudo, quæ negatur de rationalitate eſt ſumma, & adæquata ſimilitudo, illa vero quæ affirmatur de animalitate eſt aliqua, & imperfecta ſimilitudo. Adde, quòd illa eadem ſimilitudo quæ affirmatur de animalitate, affirmatur etiam in ſenſu reali de rationalitate, & illa ſimilitudo quæ negatur de rationalitate, negatur etiam de animalitate in ſenſu reali, adeoque ſine contradictione de vtraque formalitate affirmatur ſimilitudo, & ſimul negatur ſimilitudo cum equo: ratio fundamentalis eſt, quia affirmare de animalitate ſimilitudinem aliquam, quam voco ſimilitudinem vt duo & negare de eadem animalitate ſimilitudinem ſummam, quam voco ſimilitudinem vt octo, non eſt affirmare, & negare idem de eodem, ſed negare de rationalitate ſimilitudinem cum equo eſt negare ſimilitudinem

ſum-

ſummam, hoc eſt, ſimilitudinem vt octo, & affirmare de animalitate ſimilitudinem eſt affirmare ſimilitudinem vt duo, ergo &c.

23. Illam igitur ſimilitudinem, quam habet animalitas habet etiam rationalitas, & illam, quam non habet rationalitas neque habet animalitas, quia animalitas, & rationalitas ſunt vna & eadem res: quòd ſi velis concedere animalitatem ſimilem, & negare rationalitatem ſimilem, id poteris iure facere, dummodo intelligas ſimilitudinem quam negas de rationalitate,non êſſe illam eamdem quam aſſirmas de animalitate, alioquin tibi euidenter contradices cum dicis, vtramque formalitatem eſſe vnam & eamdem rem. Hanc doctrinam qui probè nouerit facile eludet omnia Thomiſtarum argumenta.

24. Obijc. ſecundò: affirmare aliquam ſimilitudinem & negare omnem ſimilitudinem ſunt prædicata contradictoria:ſed aliqua ſimilitudo affirmatur de animalitate, nulla aſſirmatur de rationalitate, ergo de animalitate & rationalitate affirmantur prædicata contradictoria. Minor probatur primò: ideò eſſentia hominis differt ab eſſentia equi, quia rationalitas conſtituit hominem, non conſtituit equum, ergo rationalitas eſt vnica ratio, propter quam homo & equus habent eſſentiam diſſimilem,ergo rationalitas hominis nullam habet ſimilitudinem cum animalitate equi. Secundò ideò inter animalitatem hominis, & animalitatem

equi

equi inuenitur ſimilitudo, quia vterque poſſunt confundi ab intellectu in ratione animalis, ſed non poſſunt confundi in ratione rationalis, ergo animalitas equi, & rationalitas hominis nullam habent ſimilitudinem.

25. Reſpondeo concedo ma:& nego minorem. Ad primum argumentum, quo probatur minor negata, concedo antecedens, & diſt. conſequens: ergo rationalitas eſt vnica ratio, per quam homo, & equus habent eſſentiam perfectè diſſimilem, nego conſequentiam, imperfectè diſſimilem concedo conſequentiam: deindè diſtinguo aliud conſequens, ergo rationalitas hominis in ſenſu reali nullam habet ſimilitudinem cum animalitate equi, nego conſequentiam, in ſenſu formali, & præciſiuo, concedo conſequentiam. Rationalitas hominis poteſt in duplici ſtatu conſiderari, in ſtatu reali, prout realiter eſt in homine, & in ſtatu formali, prout eſt in intellectu, præciſa, ſiue abſtracta ab animalitate; rationalitas conſiderata in ſtatu reali nihil eſt aliud, quam tota hominis eſſentia, ideò habet ſimilitudinem licet imperfectam, & inadæquatam cum equo. Conſiderata in ſtatu formali, quem acquirit in intellectu, non eſt tota eſſentia hominis, adeoque nullam habet ſimilitudinem cum equo. Non propterea infertur prædicari prædicata contradictoria de animalitate, & rationalitate in ſenſu reali, quod contendit arguens, ſed ſolum in ſenſu formali, qui non eſt ad rem, nulla enim eſt

con-

contradictio propter diſtinctionem rationis, quam omnes recognoſcunt inter gradus metaphyſicos.

26. Hinc patet, quid dicendum ſit ad ſecundum argumentum in forma, concedo ma:& diſtinguo mi: non poſſunt confundi in ratione rationalitatis conſideratæ in ſenſu reali, nego mi: conſideratæ in ſenſu formali concedo mi:& diſtinguo conſequenſ, ergo rationalitas hominis in ſenſu formali nullam habet ſimilitudinē cum animalitate equi, concedo conſequentiam, in ſenſu reali, nego conſequentiam: æquiuocatio conſiſtit in hoc termino *in ratione rationalitatis*, qui terminus poteſt habere ſenſum ambiguum, ideò opus eſt diſtinctione inter rationalitatem acceptam in ſenſu formali, quæ nullam habet ſimilitudinem cum equo, & inter rationalitatem acceptam in ſenſu reali, quæ habet aliquam ſimilitudinem cum equo propter identitatem cum animalitate.

27. Obijc. tertio, ergo animalitas equi habet ſimilitudinem cum Angelo. Probo conſequentiam: quæ habent ſimilitudinem cum vno tertio habent ſimilitudinem inter ſe, ſed animalitas equi, & rationalitas Angeli habent ſimilitudinem cum rationalitate hominis, ergo habent ſimilitudinem inter ſe. Minor conſtat ex dictis, maior etiam patet, quia, quæ habent identitatem cum vno tertio, habent identitatem inter ſe, ergo, quę habent ſimilitudinem cum vno tertio, habent ſimilitudinem inter ſe, er-

ergo animalitas equi habet ſimilitudinem cum Angelo, quod eſt euidenter falſum.

28. Reſp. nego conſequentiā. Ad eius probationem, nego ma: cuius falſitatem demonſtro euideuter hoc exemplo, calor intenſus, vt octo, & frigus intenſum vt quatuor inter ſe nullam habent ſimilitudinem, quia non conueueniunt neque in quantitate, neque in qualitate, vt eſt manifeſtum, & tamen habent ſimilitudinem cum vno tertio nimirum cum calore intenſo vt quatuor, cui eſt ſimile in quantitate frigus intenſum vt quatuor, & eſt ſimilis in qualitate calor intenſus vt octo. Ratio à priori cur vniuerſaliter ſit falſum habere ſimilitudinem inter ſe, quæcumque habent ſimilitudinem cum vno tertio eſt euidens ex doctrina tradita de ſimilitudine, quam docuimus non conſiſtere in indiuiſibili. Hinc duo extrema poſſunt hàbere ſimilitudinem cum vno tertio ſimilitudine diuerſa, in quo caſu nihil concluditur, vt contingit in re præſenti, vbi ſimilitudo, quam habet homo cum Angelo, non eſt illa eadem, quam habet homo cum equo, ideò ex ſimilitudine rationalitatis, quæ eſt in homine cum rationalitate, quæ eſt in Angelo, & cum animalitate, quæ eſt in equo non infertur ſimiltudo equi cum Angelo. Hinc patet diſparitas inter identitatem, quam habent inter ſe quæcunque ſunt eadem vni tertio, & ſimilitudinem, quam non habent inter ſe ea, quæ habent ſimiiitudinem cum vno tertio, quia

iden-

identitas conſiſtit in indiuiſibili, ſimilitudo verò non conſiſtit in indiuiſibili; maioris claritatis gratia, diſt: ma: quæ habent ſimilitudinem cum vno tertio eodem genere ſimilitudinis habent ſimilitudinem inter ſe, omitto ma: diuerſo genere ſimilitudinis, nego ma: & diſtincta minori, nego conſequentiam.

29. Obijc. vltimo identitas, quæ datur in animalitate,& rationalitate non eſt tanta, quantas eſt illa, quæ datur inter enſem, & gladium, ergo datur aliqua diſtinctio intrinſeca: non realis, neque formalis ex natura rei, ergo *virtualis*, antecedens probatur, quia enſis non poteſt diſtingui à gladio, neque diſtinctione rationis, quam vocant ratiocinatam, ſicuti poteſt diſtingui animalitas à rationalitate.

30. Confirmatur idem argumentum, quia in rebus creatis, quæ habent perfectionem miſtam cum imperfectione datur identitas inter perfectionem, & imperfectionem, ſed multa prædicantur de perfectione, quæ prædicari non poſſunt de imperfectione: illa enim eſt ens, iſta non ens; illa eſt bòna; hæc mala, illa imitatur; iſta non imitatur diuinam perfectionem, ergo &c.

31. Reſp. diſtinguo antecedens identitas, quæ datur inter animalitatem, & rationalitatem non eſt tanta in ſenſu reali, nego antecedens in ſenſu formali, concedo antecedens, & negò conſequentiam. Animalitas Petri cum rationalitate habet tantam identitatem in ſenſu

reali, vt maior dari non poſſit. Inde eſt identitatem inter enſem, & gladium ſine inter Petrum, & Petrum non eſſe maiorem identitate inter animalitatem, & rationalitatem. Cæterum animalitas Petri conſiderata in ſenſu formali, prout ſubſtat cognitioni, quæ præſcindit genus à differentijs non habet eam identitatem cum rationalitate, quam habet enſis, & gladius, quia inter enſem, & gladium non datur diſtinctio formalis, quæ datur inter animal, & rationale. Hinc patet ad probationem antecedentis negati, quia poſſe diſtingui diſtinctione rationis animal à rationali, & non poſſe diſtingui enſem à gladio non arguit diſtinctionem aliquam intrinſecam in rebus, quæ poſſunt diſtingui, ſed ſolum extrinſecam, de qua non eſt controuerſum, præterea non valere conſequentiam à genere ad ſpeciem, quæ valet de ſpecie ad genus non probat aliam diſtinctionem præter formalem, quæ eſt diſtinctio rationis.

32. Ad confirmationem argumenti concedo ma: & diſtinguo minorem: multa prædicantur de perfectione, quæ non poſſunt prædicari in ſenſu reali de imperfectione nego mi: in ſenſu formali concedo mi: & nego conſequentiam quidquid prædicatur de perfectione creata prædicatur in ſenſu reali de imperfectione, ratio eſt, quia ſicuti nulla perfectio creata eſt pura perfectio, ita nulla imperfectio eſt pura imperfectio, adeoque ſicuti perfectio realis eſt ens,

ità

ita imperfectio identificata cum perfectione reali eſt ens. Cæterum de perfectione abſtracta ab imperfectione multa prędicantur, quæ non poſſunt prædicari de imperfectione.

QVAESTIO IV.

Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio rationis præſcindentis obiectiuè.

1 CElebris eſt controuerſia inter Thomiſtas, & Nominales de præciſione obiectiua, quam aggredimur explicare, ea enim opportune in hunc locum cadit, vbi reiecta inter gradus metaphyſicos quacumque diſtinctione intrinſeca, euidēti conſequtione infertur nullam aliam inueniri inter eoſdem gradus diſtinctionem præter extrinſecam, quæ vocatur diſtinctio rationis, vt in prima quæſtione docui.

2. Non leuis difficultas eſt quomodo intellectus diſtinguat extrinſecè ea, quæ ſunt intrinſecè indiſtincta, ſiuè præſcindat vnam formalitatem ab alia, nimirum animalitatem à rationalitate.

3. Docent Thomiſtæ, ab intellectu præſcindi obiectiuè animal à rationali, quia hæc duo prædicata, licet nullo intellectu cogitante nullam habeant diſtinctionem, vel formalem, vel

virtualem, poſſunt ab intellectu cognoſci perinde, ac ſi eſſent diſtincta, quia verò non repugnat ex duobus obiectis diſtinctis cognoſci vnũ & aliud non cognoſci, vt ipſa experientia demonſtrat, ideò neque repugnat duo prædicata realiter indiſtincta ita cognoſci, vt vnum realiter cognoſcatur, aliud realiter non cognoſcatur.

4. Hanc præciſionẽ meritò appellat obiectiuam, ſiue diſtinctionem rationis præſcindentis obiectiuè, quia iuxta hanc ſententiam non minus intellectus non attingit rationale, quando cognoſcit animal; quam non attingat lapidem, quando cognoſcit hominem, ſed intellectus attingens lapidem cognoſcit aliquod obiectum diſtinctum ab eo, quod cognoſcit dum attingit hominem, ergo intellectus cognoſcendo animal attingit aliquid obiectum, quod non attingit cognoſcendo rationale, ergo dum diſtinguit animal à rationali præſcindit obiectiuè: id genus præciſionis recognoſcit hæc opinio in omni cognitione abſtractiua, quæ videlicet cognoſcit obiectum imperfectè, & per ſpecies alienas, non verò in intuitiua, quæ cognoſcit obiectum, ſicuti eſt in ſe per ſpecies proprias, quod diligenter eſt notandum, quia nobis locum faciet eludendi omnia argumenta, quæ in nos intorquent Aduerſarij, eaque contra ipſos retorquendi.

5. Negãt intellectum præſcindere obiectiuè Nominales cum S. Thoma, à quo longè recedit

ſcho-

ſchola Thomiſtica, vt videre eſt apud Vrtadum diſputatione 6. Metaphyſicæ.

6. Noſta ſententia ſit: non datur, nec dari poteſt inter gradus metaphyſicos diſtinctio rationis præſcindentis obiectiuè, ſiuè quod eodem reuoluitur, repugnat in terminis præciſio obiectiua inter formalitates indiſtinctas.

7. Probatur primo argumento ad hominẽ: non poteſt intellectus ita præſcindere vnam formalitatem ab alia, vt ante præciſionem detur aliqua diſtinctio intrinſeca. Sed ſi præſcindit obiectiuè ita præſcindit, ergo non poteſt obiectiuè præſcindere maior conſtat ex ipſa aduerſariorum ſententia: minor probatur. Intellectum præſcindere obiectiuè eſt diuidere vnam formalitatem cognitam obiectiuè ab alia non cognita obiectiuè, ſed hoc modo diuidere vnam formalitatem ab alia eſt idem formaliſſimè, ac ſupponere aliquam diſtinctionem intrinſecam antequam intellectus præſcindat, ergo &c. mi: probatur. Quicumque dicit cognoſci ex parte obiecti vnam formalitatem, & aliam non cognoſci Conſequenter dicit poſſe ab intellectu cognoſci vnam formalitatem, alia obiectiuè non cognita, hæc propoſitio eſt euidens, tum quia valet argumentari ab actu ad potentiam, tum quia eſt optima hæc conſequentia: cognoſco hominem eſſe animal, ergo in priori ad meam cognitionem erat verum poſſe cognoſci, ſed ſi verum eſt, quod in priori ad cognitionem poteſt cognoſci vna formalitas alia obiectiuè

non cognita datur ante præciſionem aliqua diſtinctio intrinſeca in obiecto, ergo &c.

8. Hæc etiam propoſitio eſt indubitata, tum quia poſſe cognoſci eſt prædicatum intrinſecum, tum quia iſtæ formalitates, quarum vna cognoſcitur, & alia obiectiuè non cognoſcitur diſcrepant in hoc prædicato ſibi intrinſeco poſſe cognoſci, quod affirmatur de vna, & negatur de alia, ergo diuidere vnam formalitatem ab alia obiectiuè eſt ſupponere diſtinctionem intrinſecam inter duas formalitates, quod erat demonſtrandum.

9. Hinc eſt, quod ſententia, quæ ait intellectum obiectiuè præſcindere incidit in ſententiam vel Scoti docentis diſtinctionem mediam, vel Thomiſtarum docentium diſtinctionem virtualem intrinſecam.

10. Probatur ſecundo. repugnat idem cognoſci ſimul, & non cognoſci, ſed ſi datur inter gradus metaphyſicos præciſio obiectiua; idem cognoſcitut ſimul, & non cognoſcitur, ergo repugnat iſta præciſio. mi: eſt certa, quia præſcindere obiectiuè animal à rationali nihil aliud formaliſſimè eſt, quàm cognoſcere realiter animal, & non cognoſcere realiter rationale, ſed animal, & rationale ſunt idem realiter. ergo præſcindere obiectiuè animal à rationali eſt idem cognoſcere, & ſimul non cognoſcere. Maior probatur: non minùs repugnat cognoſci, ſimul & non cognoſci, quàm produci, & non produci, eſſe, & non eſſe, ſed eſt

cui-

euidentiſſimum non poſſe idem eſſe ſimul, & non eſſe, produci ſimul, & non produci, ergo &c. ma: patet ideo non poteſt idem eſſe ſimul, & non eſſe, quia eſſe, & non eſſe ſunt prædicata contradictoria, ſed etiam cognoſci, & non cognoſci ſunt prædicata contradictoria, ergo non minus repugnat idem cognoſci, & non cognoſci, quàm eſſe, & non eſſe.

11. Obijcies primo intellectus, qui præſcindit animal à rationali, cognoſcit animal, & non cognoſcit rationale, ergo pręſcindit òbiectiuè. Antecedens probatur illa experientia valdè trita, & toiies decantata de homine, qui dum videtur à longè, cognoſcitur eſſe animal, quià, ex progreſſiuo motu, & alijs accidentibus diſcernitur ab omni eo, quod non eſt animal, non cognoſcitur eſſe rationalis, quia non poteſt diſtingui à cæteris animantibus, ergo cognoſcitur animal, & non cognoſcitur rationale. Idem argumentum poteſt etiam fieri de Petro, qui dum videtur à longe, cognoſcitur eſſe homo, non cognoſcitur eſſe Petrus, vnde argui poteſt præciſio obiectiua hominis à Petro.

12, Reſpondetur hoc argumentum manifeſtè retorqueri contra aduerſarios, qui docent cognitionem intuitiuam non præſcindere obiectiuè, quando enim videtur à longe animal, vtique videtur cognitione intuitiua, quia ſenſus externi non ſunt capaces cognitionis abſtractiuæ. Inde eſt poſſe præſcindi ani-

mal à rationali, ſine neceſſitate cognoſcendi vnum prędicatum alio non cognito realiter, ſiue obiectiuè.

13. In forma diſtinguo antecedens: intellectus præſcindens cognoſcit animal, & non cognoſcit realiter, ſiue obiectiuè rationale: nego antecedens: non cognoſcit formaliter, ſiue præciſiuè rationale: Concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad illam experientiam, quæ affertur de homine à longè viſo, & alias innumerabiles, quæ afferri poſſunt in re præſenti, dico in ſenſu reali, ſiue obiectiuè cognoſci non ſolum animal, ſed etiam rationale, quià in ſenſu reali illud cognoſcitur, quod eſt terminus cognitionis, ſed terminus cognitionis eſt non ſolum animal, ſed etiam rationale, propter identitatem animalis, quod eſt in homine, cum rationali, ergo in ſenſu reali, & obiectiuè cognoſcitur tum Animal, tum rationale: in ſenſu formali, ſiue præciſiuè non cognoscitur rationale, ſed ſolum animal: ratio cur in ſenſu formali ſiue præciſiue cognoſcatur animal, eſt quia cognoſcere in ſenſu formali animal eſt cognoſcere obiectum ea cognitione, quæ illud diſtinguat ab omni eo, quod non eſt animal, ſed in tali hypotheſi cognoſcitur homo cognitione diſtinguente hominem ab omni eo, quod non eſt animal, ergo cognoſcitur Animal in ſenſu formali: ratio cur in ſenſu formali, ſiue præciſiuè non cognoſcatur rationale, eſt quia cognoſcere in

ſenſu

ſenſu formali rationale eſt diſtinguere hominem ab omni eo, quod non eſt homo, ſed in tali hypotheſi non diſtinguitur homo ab omni eo, quod non eſt homo, ergo nòn cognoſcitur in ſenſu formali rationale, cognoſci autem formaliter animal, & non cognoſci formaliter rationale non repugnat, ſicuti repugnat cognoſci realiter animal, & non cognoſci realiter rationale, quia quando affirmatur cognoſci formaliter animal & negatur cognoſci formaliter rationale, non affirmatur & negatur idem de eodem, ſed affirmatur & negatur diuerſus conceptus de vna, & eadem re.

14. Obijcies ſecundò: non minus repugnat cognoſci realiter animal, & non cognoſci realiter rationale, quam cognoſci clarè animal, & non cognoſci clarè rationale; ſed poteſt cognoſci clarè animal, & non cognoſci clarè rationale, ergo non repugnat cognoſci realiter animal, & non cognoſci realiter rationale. Minor probatur, quia intellectus dum præſcindit animal à rationali cognoſcit clarè animal, & confusè rationale, ſed idem formaliſſimè eſt cognoſcere confusè, & non cognoſcere clarè, ergo poteſt cognoſci clarè animal, & non cognoſci clarè rationale.

15. Reſp. conc: ma: & nego min: loquendo ſemper in ſenſu reali, quia ſi eſt ſermo in ſenſu formali, non poteſt eſſe dubium, an cognoſcatur formaliter animal, quin cognoſcatur formaliter rationale ſine vlla repugnantia, vt de-

demonſtratum eſt, & vlterius demonſtro hoc ſyllogiſmo; Animal formaliter eſt homo cognitus vna cognitione, quam voco cognitionem *A.* & rationale formaliter eſt idem homo cognitus alia cognitione, quam voco cognitionem *B.* ſed non repugnat eumdem hominem cognoſci cognitione *A,* & ſimul non cognoſci cognitione *B.* ergo non repugnat cognoſci formaliter animal, & non cognoſci formaliter rationale.

16. Ad probationem minoris diſtinguo ma; cognoſcit rationale confusè, confuſione ſummà, & adæquatà: nego ma: cognoſcit rationale confuſè, confuſione non ſummà, & inadæquatà: concedo ma: deinde conceſſa mi, nego conſequentiam. Pro huius argumenti ſolutione recolenda ſunt, quæ in quæſtione præteritâ docuimus de illo genere denominationum, quænon conſiſtunt in indiuiſibili, ad quod genus ſine dubio pertinet claritas, ſiue obſcuritas, de qua ſermo eſt in argumento. Inde eſt poſſe dari maiorem, et minorem claritatem, adeoque de vno, et eodem obiecto affirmari vnam, et negarì aliam: vt eſt perſpicuum in aere, qui ſub occaſum ſolis illuminatur aliquà luce exiguà, et ſimul non illuminatur luce ſummà, quæ eſt lux meridiana; hinc colliges nullam eſſe contrarietatem in animalitate cognita clarè vno genere claritatis, et eadem animalitate non cognità clarè alio genere claritatis: vnde ſequitur intellectum

præ-

præſcindentem animal à rationali nihil affirmare de animali, quod non affirmet in ſenſu reali de rationali, quià eà claritate, quà cognoſcit animal, cognoſcit etiam rationale, et eà confuſione, ſiue obſcuritate, quà cognoſcit rationale, cognoſcit etiam animal.

17. Qnod autem ego qui video à lōgè hominem.eumque iudico eſſe animal et non iudico eſſe rationale, cognoſcam in ſenſu reali animalitatem confusè, et obſcurè, oſtendo manifeſtè etiam in ſententia contraria, quid enim aliud eſt cognoſci confusè obiectum, quàm non poſſe diſcerni ab omni eo, quod non eſt ipſum? Atqui non poſſum diſcernere animal, quod video à longè ab omni eo, quod non eſt ipſum, quià animal, quod video, eſt realiter rationale, ergo cognoſco confusè animal, quod propterea non cognoſco quantum debet cognoſci: eodem modo demonſtro cognoſci clarè in ſenſu reali rationalitatem, ſicuti cognoſcitur clare animalitas, quia cognoſcere clarè aliquà claritate eſt diſcernere obiectum ab aliquibus rebus, quæ non ſunt ipſum obiectum, ſed diſcerno rationalitatem ab omnibus rebus, quæ non habent ſenſum, neque vitam, ergo cognoſco clarè rationalitatem aliquo genere claritatis.

18. Obijcies tertiò: rationale non cognoſcitur illà eadem claritate, quà cognitur animal, ergo de animali, et rationali verificantur contradictoria. Antecedens probatur, quia ſi co-

cognoſcitur eadem claritate, poteſt ab intellectu reddi ratio de vtraque formalitate, ſed non poteſt, vt experientia demonſtrat, quià dum video animal à longè, dico me videre animal, non dico me videre animal rationale, ergo etc:

19. Reſp. nego antec: ad eius probationem diſtinguo maiorem: poteſt ab intellectu reddi omnis, et perfecta ratio de vtraque formalitate: nego ma: aliqua, et imperfecta ratio: concedo ma: et diſtincta minori: nego conſequentiam reddere rationem de obiecto, et cognoſcere clarè obiectum ſunt termini conuertibiles, ſed poteſt obiectum cognoſci magis, et minus clarè, quia claritas non conſiſtit in indiuiſibili, ergo de eodem obiecto poteſt reddi maior, et minor ratio. Ex hoc diſcurſu ſequitur aliquam rationem reddi de animalitate, quam cognoſcit, qui videt hominem à longe venientem, cumque iudicat eſſe animal, ſed non reddi omnem rationem, quia ſi redderet omnem rationem, poſſet verè dicere: illud, quod nunc video eſt animal rationale, ſed hoc non poteſt dicere, vt conſtat experientia, ergo etc.

20. Vrgebis: non poteſt reddere eam rationem de rationali, quam reddit de animali; ergo ſemper argumentum recurrit. Antecedens probatur, quià non determinatur ad dicendum eſſe rationale: ſicuti determinatur ad dicendum eſſe animal.

21. Reſp.

21. Reſp: nego antec: cuius falſitatem demonſtrat illa eadem ratio, quà probat arguens eius veritatem, ſi enim determinaretur ad dicendum eſſe rationale, illud, quod à longe videt eſſe animal, non poſſet de rationali reddere illam rationem, quam reddit de animali; et ratio huius eſt, quià ratio quam nunc reddit, non eſt omnis, et perfecta ratio, vt demonſtratum eſt; ſed ratio quam redderet eſſet omnis, et perfecta ratio, ergo etc. At cur intellectus dicit video animal, non dicit, video rationale? quià nimirum videt imperfectè animal. Vt autem oſtenſiuè demonſtrem, cur poſſit intellectus, ſine præciſione obiectiua denominare animal illud, quod cognoſcit, & non poſſit denominare rationale, licet æquè certus ſit in ſenſu reali de animalitate, ac de rationalitate, neceſſe habeo tradere doctrinam, quã ex Philoſopho in libris Perihermenias accepit S. Thomas. Sciendum igitur in noſtro intellectu eſſe impreſſos aliquos conceptus vniuerſaler abſtractos à ſingularibus, videlicet conceptum hominis quatenus ſentientis, per quem intellectus non diſtinguit hominem à brutis, eo quòd in hoc conceptu non apparet operatio, per quam homo diſcernitur à brutis, & conceptum eiuſdem hominis quatenùs ſentientis, & diſcurrentis, per quem diſtingui poteſt homo à brutis, ſed diſtingui non poteſt vnus homo ab alio nimirum Petrus à Paulo; hinc eſt totum hominem cognoſci per duos

con-

conceptus vniuerſales realiter diſtinctos, licet enim obiectum, quod cognoſcitur conceptu animalis, nob ſit diſtinctum ab eo, quod cognoſcitur conceptu hominis, tamen homo quatenus ſubſtat vni cognitioni, eſt diſtinctus à ſeipſo, quatenus ſubſtat alteri cognitioni, quià in re nulla eſt diſtinctio in obiecto, quod cognoſcitur, ſed tantum in cognitionibus, quibus obiectum cognoſcitur, ſicuti ex eo, quod lac quatenus album diſtinguatur ab eodem lacte quatenus eſt dulce, non infertur diſtinctio lactis à lacte, ſed infertur diſtinctio albedinis à dulcedine, quià verò, vt inquit Philoſophus in primo perihermenias, nomina ſignificant eas res, quæ ſunt in anima, ideò nomina ſunt inſtituta ad ſignificandas res, prout ſubſtant conceptibus noſtris, hinc eſt, quod hoc nomen *Animal* eſt impoſitum ad ſignificandum hominem cognitum cognitione confuſà, & præſcindente ab omni eo, per quod homo à cæteris animalibus diſtinguitur præterea hoc nomen *rationale* eſt impoſitum ad ſignificandum eumdem hominem cognitũ alio conceptu: hæc eſt ratio à priori, propter quam quicumque videt hominem à longè venientem, adeoque prçſcindit à rationali, ait ſe videre animal, & non ait ſe videre rationale, quià cognoſcit hominem ſub illo conceptu, ſub quo homo cognitus vocatur animal, ſiue principium ſentiendi, & non vocatur animal rationale, ſiue principium diſcurrendi.

22. Obij-

22. Obijcies quartò: Ideo intellectus determinatur ad dicendum eſſe animal hominem à longè venientem, quià cognoſcit actum ſentiendi, & non cognoſcit actum diſcurrendi, ſed actus diſcurrendi prouenit ab animalitate, & actus ſentiendi à rationalitate, ergo non eſt cur ſe determinet ad vocandum animal potius quam rationale.

27. Reſp: conc: ma: & diſt: mi: actus ſentiendi prouenit à rationali in ſenſu reali: conmin: in ſenſu formali, nego min: & conſequentiam: actus ſentiendi, qui eſt effectus animalis tam in ſenſu reali, quam in ſenſu formali, reſpectu rationalitatis, eſt effectus ſolum in ſenſu reali, adeoque vocatur obliquum reale, & formale animalitatis, & vocatur obliquum reale, non verò formale rationalitatis: ratio eſt, quià animal in ſenſu formali, ſiue cognitum inadęquate, & præciſiue definitur principium ſentiendi, ergo ſenſatio, ſiue actus ſentiendi eſt obliquum animalitatis in ſenſu reali, & in ſenſu formali, è contrario rationale in ſenſu formali non eſt principium ſentiendi, definitur enim principium diſcurrendi:ergo ſenſatio,quæ eſt obliquum rationalis in ſenſu reali propter identitatem cum animali,non eſt obliquum rationalis in ſenſu formali.

24. Non eſt igitur mirum, quod intellectus, qui comparat hominem à longè venientem cum illo conceptu vniuerſali, & præciſiuo quem ſibi fabricauit in mente, & inuenit habere

bere cum ipſo omnimodam ſimilitudinem eum appellet animal; & non appellet rationale, quia format hunc diſcurſum. Quicumque mouetur motu progreſſiuo eſt animal, ſed illa res, quam video venientem à longè, in hunc modum mouetur, ergò eſt animal. Hæc doctrina, quæ diſtinguit ſenſum realem à ſenſu formali, eſt diligenter notanda, quià ſoluit omnia ſophiſmata, quæ in hàc materià poſſunt acutè formari.

25. Obijcies quintò: voluntas poteſt obiectiuè præſcindere, ergo etiam intellectus. antecedens probatur primo, eadem medicica, quæ eſt amara, & ſana, amatur, quia ſana, non amatur, quia amara: Secundò illicita commeſtio carnium amatur, quià iucunda, non amatur quià inhoneſta, ſiue contraria Diuinæ legi. Tertiò, quælibet res creata, quæ, eſt perfecta ſimuler imperfecta amatur, quatenus perfecta, odio habetur quatenùs imperfecta: quià per eumdem actum charitatis amatur creatura, propter Deum & magis amatur Deus, quam creatura, ſed maior amor, & minor amor non poſſunt eſſe idem realiter, ergo voluntas præſcindit obiectiuè.

26. Reſp: nego antec: ratio eſt, quià ſicuti intellectus præſcindit vnam formalitatem ab alia, non quia vnam realiter cognoſcat, & aliam realite non cognoſcat, ſed quià vtramque cognoſcit cognitione inadæquata, adeoque vnam formaliter cognoſcit, aliam formaliter

liter non cognoſcit, vt dictum eſt, & clarius dicemus in quæſtione ſequenti: Ità voluntas præſcindit per amorem, vel odium vnam formalitatem ab alia: amando vtramque amore inadæquato, qui non eſt purus amor, ſed eſt amor mixtus cum odio, eo modo quo docui cognitionem præciſiuam, & inadæquatam tendere in obiectum claritate non omnimoda, ſed aliquantum obſcura.

27. Ex hac doctrina patet ſolutio ad omnia argumenta, quæ arguens producit ad probandum antecedens: medicina amatur in ſenſu reali, ſecundum virtutem cauſatiuam ſanitatis, & ſecundum virtutem cauſatiuam amaritiei: vtraq;enim virtus realiter eſt indiſtincta: non proinde ſequitur amari amaritiem, ſicuti amatur ſanitas, quià amarities, & ſanitas ſunt duo effectus realiter diſtincti, qui proueniunt ab eodem principio, nimirum à medicina, quæ producit ſanitatem, & ſimul amaritiem: quià verò poteſt amari vna & eadem virtus ſine neceſſitate amandi vtrumque effectum, ideò poteſt amari medicina, quæ producit vtrumque effectum, amando ſanitatem, & non amando amaritiem. Ratio à priori eſt, quià ægrotus amat medicinam amore,qui non excludit omne odium, amat enim efficaciter medicinam ſanam, & amaram, quià vult efficaciter illam ſumere ad ſanitatem conſequendã;eamq; proſequitur odio inefficaci, quia ægrotus nollet medicinam eſſe amaram, eam-

que libentius ſumeret, ſi eſſet dulcis: eo pacto quo Ariſtoteles demonſtrat eum, qui imminente periculo naufragii proijcit merces in mare, ſimpliciter velle, & efficaciter amare iacturam mercium, eamque ſecundum quid nolle, & odio inefficaci habere, quià triſtatur duram ſibi neceſſitatem ſubeundam eſſe, vitam, vel merces amittendi.

28. Vrgebis: eſt vera hæc propoſitio: ægrotus vult medicinam, quià ſanam: non vult quià amaram: ergo idem vult, & non vult, quod repugnat.

29. Reſp: conc: antec: vel claritatis gratia illud diſtinguo: non vult, quià amaram in ſenſu reali: nego antecedens: in ſenſu formali; concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo idem realiter vult, & non vult, nego conſequentiam: idem vult, & formaliter non vult ſub diuerſo conceptu: concedo conſequentiam. Particulà cauſalis in rigore ſcholaſtico ſemper facit ſenſum formalem, adeoque propoſitio, in qua eſt huiuſmodi particula, facit ſenſum formalem: cæterum iuuat eam aliquando diſtinguere, ne ſit locus æquiuocationi.

30. Eodem modo ſoluitur argumentum deſumptum ex illicita comeſtione carnium, quæ amatur ab eo qui comedit carnes prohibitas, amore amante obiectum realiter delectabile, & inhoneſtum, quatenus hæc voluntas amat formaliter obiectum, quatenùs delectabi-

le,

le, non amat formaliter quatenùs inhoneſtum; neque hoc debet videri mirùm, quia voluntas amando huiuſmodi obiectum, quod verè nollet eſſe contrarium legi Diuinæ, præſcindit bonum delectabile ab inhoneſto: idem dico de amore, quo amatur res creata eſſentialiter defectuoſa, quià nullum bonum creatum poteſt amari amore ſummo, qui non habeat mixturam alicuius odij.

31. Ad vltimum argumentum, quod patitur maiorem difficultatem, diſtinguo maiorem: per actum charitatis magis amatur Deus, quam creatura, hoc eſt, maiori amore Deus amatur; nego ſuppoſitum maioris; Deus denominatur magis amatus; concedo maiorem: & minorem: & nego conſequentiam. Iſta propoſitio *Deus magis amatur per actum charitatis quam creatura*; poteſt habere duplicem ſenſum, videlicet *amor, quo Deus amatur, eſt maior amore, quo amatur creatura*. In hoc ſenſu proppoſitio eſt falſa, & de ſubiecto non ſupponente, vbi enim non datur amor, & amor, neque datur maior, & minor amor; ſed in eodem indiuiſibili actu amante creaturam propter Deum non datur realiter amor, & amor quia iſtę formalitates non ſunt realiter diſtinctæ, ergo neque datur maior & minor. Alius ſenſus quem poteſt facere, & verè facit, eadem propoſitio, eſt huiuſmodi: *per actum charitatis magis amatur Deus quam creatura amore denominante Deum magis amatum, quam crea-*

luram. In hoc ſenſu propoſitio eſt vera, quià vnus, & idem actus formaliter indiuiſibilis, & æquiualenter diuiſibilis poteſt tribuere duplici termino denominationes oppoſitas: Ita actus contritionis denominat peccatum odio habitum, & Deum amatum.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum inter gradus metaphyſicos detur diſtinctio rationis præſcindentis formaliter.

1. IMpugnatis varijs erroribus, in quos incidere Philoſophi non pauci circà diſtinctionẽ inter gradus metaphyſicos, noſtram debemus aliquando mentem aperire circà modum quo intellectus diſtinguit prædicata realiter indiſtincta, & vnum præſcindit ab alio; huius veritatis modò exponẽdæ nonnulla fundamenta iacta ſunt in quæſtionibus præteritis, fieri enim non poteſt, vt aliquis veritatis ſplendor non appareat oppugnantibus falſum.

2. Notandum igitur primò, diſtinctionem rationis vſurpari dupliciter, nimirum pro diſtinctione rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis; diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt illa, quà intellectus diſtinguit rem indiſtinctam in duos conceptus diſſimiles, & diuerſos; hoc genere diſtinctionis, quam vocant

cant diſtinctionem cum aliquo fundamento, ea diſtinguuntur,quorum vnum præſcindit ab alio nimirum animal, & rationale; diſtinctio rationis ratiocinantis vocatur illa, quà diſtinguũtur ab intellectu res indiſtinctæ in duos cõceptus omnino ſimiles; hoc genere diſtinctionis, quam appellant ſine vllo fundamento, diſtinguitur Petrus à Petro, & enſis à gladio, dum intellectus cognoſcendo Petrum duplici cognitione æqualiter clarà format propoſitionem identicam, quæ vtpotè inutilis à Philoſophis non attenditur, dicendo *Petrus eſt Petrus*.

3. Notandum ſecundò; res omnes creatas, in quibus diſtingui poſſunt plures formalitates diſtinctione rationis ratiocinatæ, non poſſe perfectè cognoſci, niſi aliquid cognoſcatur ab ipſis diſtinctum realiter, eaſque intrinſecè perficiens. Ratio à priori eſt quià non poteſt cognoſci perfectè principium alicuius operationis, niſi cognoſcatur operatio realiter diſtincta à principio, vnde procedit, ſed omnes res creatæ eſſentialiter ſunt principium alicuius operationis, ergo non poſſunt perfectè cognoſci niſi cognoſcatur aliquid realiter diſtinctum,eaſque perficiens,maior eſt certa apud omnes, quià non poteſt perfectè cognoſci principium ſentiendi, niſi cognoſcatur actus ſentiendi, qui realiter diſtinguitur à principio, vnde procedit. Minor probatur, eſſe eſt propter operari,vt non ſemel docet Philoſophus,er-

go omnis res, vel eſt ipſa operatio, vel eſt principium operationis:ſed nulla res creata(nomine rei intelligitur ſubſtantia, quæ antonomaſtice eſt res) poteſt eſſe ipſa operatio, id enim conuenit ſoli Deo, qui eſt eſſentialiter cognitio ſui, & rerum omnium, ergo quæcumque res creata eſt principium alicuius operationis, ità natura Angelica eſt principium intelligendi, & natura humana eſt principium ſentiendi, & diſcurrendi.

4. Notandum tertiò: gradus metaphyſicos diſtingui diſtinctione rationis præſcindentis formaliter, de qua in præſenti eſt ſermo; nihil aliud eſſe, quam prædicata realiter indiſtincta cognoſci pluribus cognitionibus inadæquatis, hoc eſt magis vel minus confusè attingentibus obiectum indiuiſibile: huiuſmodi diſtinctio vocatur præciſio formalis, & diſtinguitur à præciſione obiectiua, per hoc præcisè quod vnam formalitatem præſcindi obiectiuè ab alia eſt vnam cognoſci realiter,ſiue ex parte obiecti, aliâ non cognita realiter, ſiue ex parte obiecti, eo modo, quo duæ res obiectiuè diſtinctæ poſſunt ità cognoſci, vt vna cognoſcatur aliâ incognitâ; vnam verò formalitatem præſcindi formaliter ab aliâ eſt vtramque realiter cognoſci, ſed vnam formaliter cognoſci, aliâ formaliter non cognita, quià vtraque cognoſcitur cognitione inadæquata.

5. Notandum quarto, inde ſequi, non eſſe tantam oppoſitionem inter præciſionem obie-

cti-

ctiuam, quam nos repugnantem credimus, & præciſionem formalem, vt inter ſe aliquo modo non conueniant. Ratio eſt, quià vtraque ſententia promiſcuè docet cognitionem præciſiuam eſſe cognitionem inadæquatam, quis enim dubitare poteſt an ego cognoſcendo hominem eſſe animal, eumque confundendo cum omnibus animalibus non diſtinguam hominem ab omni non homine? diſcrepant verò iſtæ duæ ſententiæ, eo quod præciſio obiectiua cognoſcit inadæquatè, inadæquatione obiecti, quià obiectum partitur in duas formalitates, quarum vnam cognoſcit, aliam realiter non cognoſcit, præciſio verò formalis, cognoſcit inadæquatè inadæquatione cognitionis, totum enim obiectum per eamdem cognitionem cognoſcitur; ſed quià non cognoſcitur tantum quantum poteſt, & debet cognoſci, ideò inadæquatè cognoſcitur inadæquatione cognitionis, non inadæquatione obiecti. His prænotatis.

6. Dico primo: non repugnat, vt aliqua cognitio totum obiectum cognoſcat, & inadæquatè cognoſcat. Hæc ſententia eſt communis, tam negantibus, quam affirmantibus præciſionem obiectiuam.

7. Probatur primo: poteſt dari aliqua cognitio, quæ præſcindit formaliter, & non obiectiuè; ſed huiuſmodi cognitio cognoſcit inadæquate totum obiectum: ergo non repugnat cognitio, quæ cognoſcat inadæquate to-

tum obiectum. Maior eſt certa: quià nulla cognitio intuitiua præſcindit obiectiuè, vt nobis concedunt ipſi aduerſarij, sed multæ dantur cognitiones intuitiuæ, quæ ſunt præciſiuæ, vt patet in omnibus cognitionibus ſenſuum, ergo &c. Minor etiam patet, quià hoc diſcrimen inuenitur inter præciſionem formalem, & obiectiuam, quòd illa cognoſcit totum, iſta non cognoſcit totum obiectum, licet vtraque cognoſcat inadæquatè:

8. Secundò: poteſt aliquod obiectum cognoſci totum duplici cognitione magis, & minus clara, ergo poteſt obiectum cognoſci inadæquatè, & totum cognoſci. Conſequentia patet, quià totum inadæquatè cognoſci, eſt tòtum cognoſci, non quantum eſt cognoſcibile: ſed obiectum, quod cognoſcitur duplici cognitione, vnà magis, aliâ minus clarâ, non cognoſcitur vtràque cognitione quantum poteſt cognoſci: ergo &c. Antecedens eſt certum; tum quià totum obiectum videri poteſt viſione magis, & minus perfectâ, tum quià cognitio, quæ cognoſcit animal rationale procul dubio eſt clarior cognitione, quæ cognoſcit hominem, &, tamen vtraque cognitio totum hominem cognoſcit.

9. Tertiò: Deus videtur totus à ſingulis Beatis in Cælo, & tamen non videtur totaliter: quià nullus Beatus videt Deum tantum, quantum videri poteſt: aliter viderent Deum, ſicuti Deus videt ſe ipſum, & non daretur inæqua-

qualitas in Beatitudine, quæ formaliſſimè conſiſtit in viſione Dei, ergo non repugnat obiectum cognoſci totum, & non totaliter.

4. Quartò:nõ eſt idem amari obiectum totum, & amari totaliter, ergo non eſt idem cognoſci totum, & cognoſci totaliter: ergo non repugnat cognitio,quę cognoſcit totum,& non cognoſcit totaliter. Antecedens probatur tum à priori; quia bonum amari totum, eſt ità amari, vt nihil in illo ſit, quod non ametur; amari totaliter eſt tantùm amari, quantum eſt amabile; tum etiam à poſteriori: Deus amatur totus, ſed non totaliter, quià nulla creatura poteſt amare Deum, quantùm eſt amabilis, id enim conuenit ſoli Deo, qui amat ſe infinitè, hoc eſt amore adæquante infinitam ſui amabilitatem:

11. Vltimo. Idem effectus poteſt totus pendere ab vna cauſa, quin totaliter pendeat, vt patet in duobus equis trahentibus currum, totus enim trahitur à ſingulis, non verò totaliter; quià vnus ità trahit, vt etiam alius trahat. Totam perfectionem Diuinam, quæ eſt indiuiſibilis, participant homo, & equus, ſed non participant totaliter, quià magis participat homo, qui eſt perfectior: prætereà eadem veritas Mathematica (quo exemplo vtitur in rem noſtram S. Thomas) tota cognoſcitur à ruſtico ignorante demonſtrationem, & à mathematico eam demonſtrante, & tamen imperfectius cognoſcitur à ruſtico, quàm à ma-

the-

thematico: ergo à pari totum obiectum poteſt cognoſci, licet totaliter, & adæquatè non cognoſcatur, quod erat demonſtrandum.

11. Dico ſecundo. Intellectus præſcindens vnum gradum metaphyſicum ab alio non poteſt præſcindere niſi formaliter, hoc eſt cognitione cognoſcente totum obiectum inadæquate, inadæquatione cognitionis: ſiue inter gradus metaphyſicos non datur alia diſtinctio, præter diſtinctionē rationis præſcindentis formaliter. Hæc ſententia eſt S. Thomæ, & omnium Nominalium contra Thomiſtas, & Scotiſtas.

12. Probatur facilè ex dictis, primo argumēto negatiuo, quià demonſtratum eſt q.3.n.7. non poſſe intellectum præſcindere obiectiuè hoc eſt, cognitione inadæquata inadæquatione obiecti ergo non poteſt præſcindere niſi formaliter.

17. Secundò: poteſt intellectus præſcindere formaliter, ergo dum præſcindit, debet præſcindere formaliter; ergo inter gradus metaphyſicos non datur alia diſtinctio, præter præciſionem formalem. Antecedens patet ex prima concluſione nu.7. vbi oſtenſū eſt poſſe cognoſci totum obiectum cognitione non attingente totaliter, & adæquate obiectum, ſed huiuſmodi cognitio eſt præciſio formalis, ergo &c. Prima conſequentia eſt manifeſta, quià quoties cognitio præſcindit, cognoſcit inadæquate obiectum indiuiſibile; ſed non poteſt cognoſcere inadæquatè inadæquatione obiecti, aliter idem cognoſceretur, & ſimul non cognoſce-

ſceretur per eamdem cognitionem ; ergo debet cognoſcere inadæquate inadæquatione cognitionis , vbi nulla eſt contradictio , quia idem cognoſcitur vnà cognitione, & ſimul non cognoſcitur aliâ cognitione.

18. Hinc colliges modum, quo intellectus præſcindit in eodem indiuiſibili obiecto vnam formalitatem ab alia videlicet in eodem homine animalitatem à rationalitate,quæ vt dictum eſt ſupra, habent inter ſe identitatem . Cognoſcit intellectus totum hominem duplici cognitione inadæquata , quarum vna repræſentat hominem in ordine ad actus ſentiendi, eumque vocat animal , alia eumdem repræſentat in ordine ad actus intelligendi, eumque vocat rationale. Vtraque cognitio eſt inadæquata , quia totum hominem cognoſcit, ſed non cognoſcit totaliter , quia homo , vt cognoſcatur totaliter , debet cognoſci in ordine ad omnes effectus, quos idẽ homo poteſt producere, nimirũ in ordine ad actus ſentiẽdi ,& intelligendi.Cognitio,quæ attingit hominẽ in ordine ad actus ſentiẽdi,eſt cognitio,quę cognoſcit formaliter animal,& cognitio, quæ attingit eũdẽ hominẽ in ordine ad actus intelligẽdi,eſt cognitio,quæ cognoſcit formaliter rationale , illa enim confundit hominem cum brutis,iſta diſtinguit hominem à brutis . Inde eſt , quod homo denominatur cognitus cognitione cognoſcente formaliter animal,& cognitione cognoſcente formaliter rationale , quia verò homo quatenus

co-

cognitus cognitione cognoſcente formaliter animal, non eſt homo quatenùs cognitus cognitione cognoſcente formaliter rationale, ideò inter hominem cognitum vna cognitione, & eumdem hominem cognitum alia cognitione datur aliqua diſtinctio, quæ cum non ſit intrinſeca, & realis, quia eſſe cognitum non eſt prædicatum reale, & intrinſecum, ſed intentionale & extrinſecum, eſt neceſſario diſtinctio extrinſeca, & rationis: ſed formalitas animalitatis nihil eſt aliud, quàm homo cognitus cognitione cognoſcente formaliter animal, & formalitas rationalitatis nihil eſt aliud, quàm homo cognitus cognitione cognoſcente formaliter rationale, ergo inter animalitatem, & rationalitatem, quæ ſunt formalitates creatæ, non datur alia diſtinctio præter diſtinctionem rationis præſcindentis formaliter, quæ diſtinctio nullam inuoluit contradictionem, quia dum iudico animal formaliter non eſſe formaliter rationale, non affirmo & nego idem de eodem, ſed affirmo, & nego diuerſa, nimirum cognitiones diuerſas, vt ſæpius dictum eſt.

19. Dico tertiò: huiuſmodi præciſio eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſiue cum fundamento in re.

20. Probatur, quia intellectus, dum cognoſcit totum hominem cognitione inadæquata, & præſcindit formaliter animal à rationali, habet fundamentum ita cognoſcendi, eò quod illi effectus, qui proueniunt ab anima-

lita-

litate, & rationalitate ſunt realiter diſtincti, ergo licet principium ſentiendi ſit realiter idē cum principio diſcurrendi, datur in homine ſufficiens fundamentum diſtinguendi vnum ab alio, propter diſtinctionem realem inter ſenſationem, & diſcurſum, quæ ſunt duo obliqua, in ordine ad quæ poteſt referri, & cognoſci idem principium, quod ſignificatur in recto, dum animal præſcinditur à rationali.

21. Obijc. primò: qui præſcindit genus à differentia, videlicet colorem ab albedine, animal à rationali cognoſcit & iudicat hominem eſſe animal, non cognoſcit neque iudicat eſſe rationale, prætereà iudicat illud quod oculis cernit eſſe colorem, nõ iudicat eſſe albedinem; ergo aliquid cognoſcit, & aliquid non cognoſcit ex parte obiecti, ergo præſcindit obiectiue, non formaliter.

22. Reſp. conc: antec: & nego conſequentiam, quæ eſt apertè falſa, ſicuti eſt falſa hæc alia conſequentia. Ruſticus iudicat, & cognoſcit Petrum eſſe hominem, non iudicat, neque cognoſcit eſſe animal rationale, ergo aliquid cognoſcit, & aliquid non cognoſcit ex parte obiecti: conſequentia eſt falſa, vt omnes concedunt: ratio cur vtraque ſit falſa, eſt, quia circa idem indiuiſibile obiectum poſſunt formari duo iudicia diſtincta, quorum vnum clare, aliud obſcurè repræſentet idem obiectũ, vt patet in exemplo adducto, & alijs ſimilibus.

23. Obijc. ſecundò: qui cognoſcit homi-

nem

nem eſſe animal, nihil plùs cognoſcit, quàm ille, qui cognoſcit hominem eſſe animal rationale, ſed qui cognoſcit animal rationale, non præſcindit animal à rationali, ergo neque præſcindit, qui cognoſcit animal, ergo non poteſt præſcindere, niſi cognoſcat ex parte obiecti animal, & non cognoſcat ex parte obiecti rationale, maior eſt certa, quia totus homo cognoſcitur.

24. Reſp.diſtinguo mai:nihil plus cognoſcit obiectiue conc: ma: nihil plus formaliter: nego ma: & conceſſa minori nego conſequentiam. Obiectiue nihil plus cognoſcit vnus, quàm alius, quia vterque totum hominem cognoſcit: formaliter plus cognoſcit, qui cognoſcit eſſe animal rationale, quàm qui cognoſcit eſſe animal, quia melius, & clarius cognoſcit hominem, qui cognoſcit animal rationale, quàm qui cognoſcit animal, qui enim cognoſcit animal, totum hominem cognoſcit, ſed non totaliter: qui verò cognoſcit animal rationale, cognoſcit totum hominem, & totaliter, adeoque eſt diſpar ratio inter modum cognoſcendi, quo vterque cognoſcit, licet non ſit diſpar ratio inter rem cognitam.

25. Obijc.vltimò: non poteſt explicari, quid ſit cognitio clarior, quæ melius cognoſcit obiectū, niſi cognoſcat plura prædicata in obiecto, ergo ſi cognoſcitur per vtramque cognitionem, quidquid eſt in obiecto, vna cognitio non eſt clarior alia, adeoque vna non

cogno-

cognoſcit melius, quàm alia: antecedens probatur, quia explicari non poteſt cognitio clarior relate ad plures effectus, ſiuè ad plura obliqua, cum aliquando intellectus præſcindat vnam formalitatem ab alia, nullo reſpectu habito ad obliqua diuerſa, vt conſtat in eo caſu, in quo præſcindit formalitatem coloris à formalitate albedinis.

26. Reſp. nego antecedens, cuius falſitas conſtat hoc diſcurſu, quem formo ad explicandã maiorẽ,& minorẽ claritatẽ cognitionis. Menſura cognitionis magis, & minus claræ eſt cognitio comprehenſiua, vtpotè ſuprema in genere cognitionis, propter ſummam claritatem, quam habet: primum autem, & ſupremum in quocumque genere, vt docet Ariſtoteles, debet eſſe menſura cæterorum ſpectantium ad idem genus, inde eſt explicandam eſſe cognitionem comprehenſiuam, vt poſſit explicari cognitio magis, & minus clara.

27. S. Thomas in prima parte agendo de cognitione, quà Deus cognoſcit ſe ipſum, ait cognitionem comprehenſiuam eſſe illam, quæ tantum cognoſcit obiectum, quantum poteſt, & petit cognoſci, ſiue quantum eſt cognoſcibile, ex qua doctrina infert ibidem S. Doctor, Deum non poſſe ab intellectu creato comprehendi, quia nullus intellectus creatus poteſt habere cognitionem infinite perfectam, hoc eſt reſpondentem infinitæ perfectioni, quæ in Deo inue-

inuenitur. Ex hac definitione aperte conſtat, cognitionem eſſe magis, vel minus claram, quæ melius, vel deterius repræſentat ſuum obiectum, ſiue magis, vel minùs accedit ad meritum obiecti. Hinc poſſunt colligi plurima ſigna, ex quibus à poſteriori arguitur cognitio magis, vel minus clara. Primo, quando habetur maior æſtimatio, vel minor proſequutio obiecti: inde eſt, quod bonum increatum, quo melius cognoſcitur, magis amatur, quia magis æſtimatur: bonum verò creatum, quo melius cognoſcitur, minus amatur, quia minus æſtimatur. Secundò quando intellectus poteſt obiectum diſtinguere à pluribus, vel paucioribus rebus: tunc enim cognoſcit clariſſimè, quando poteſt diſtinguere obiectum cognitum à rebus omnibus, ſicuti omnes experimur aliquam rem clarius videri, quæ magis diſtinguitur, & diſcernitur: quia verò cognitio, quæ magis diſtinguit, eſt magis comparatiua, & cognitio, quæ eſt magis comparatiua, diſponit intellectum ad plures cognitiones de obiecto formandas, ideò cognoſcere clariùs eſt poſſe formare plura iudicia, quæ formare non poteſt, qui minus clarè cognoſcit: tertiò ea cognitio eſt clarior, quæ magis delectat, & perſicit cognoſcentem, adeoque magis ſatiat deſiderium ſciendi, quo ardet intellectus ſciendi cupidiſſimus.

28. Hinc euidenter ſequitur cognitionē, quæ cognoſcit hominē eſſe animal rationale eſſe clario-

riorem cognitione,quæ cognoſcit animal,tum quiá homo habetur in maiori æſtimatione dũ cognoſcitur, eſſe animal rationale, quàm dum cognoſcitur eſſe animal: tum quia idem poteſt diſtingui à pluribus rebus, & conſequenter poſſunt plura iudicia formari de homine per cognitionem primam,quã per ſecundam:prætereà magis ſatiatur deſiderium intellectus cupientis ſcire naturam hominis per cognitionem animalis rationalis,quàm per cognitionem animalis. Idem patet, quando intellectus ſine vllo reſpectu ad obliqua diuerſa præſcindit colorem ab albedine, & cognoſcit formalitatem coloris non cognoſcendo formalitatem albedinis, hoc eſt, non cognoſcit albedinem ea cognitione, qua poſſit formare hoc iudicium *video albedinem*.

29. Aſſignata cauſa formali cognitionis magis, vel minus claræ videndum ſupereſt,quęnam ſit cauſa efficiens, vndè oriatur cognitio magis, vel minus clara:triplicem cauſam agnoſco cum S. Thoma in 2. diſt. 14. art.2. videlicet efficaciam virtutis cognoſcitiuæ, perfectionem luminis, ſiue ſpeciei, per quam obiectum cognoſcitur; & maiorem attentionem facultatis cognoſcentis, quæ pluribus intenta minor eſt ad ſingula; quia verò obiectum duplici modo cognoſci poteſt, nimirum abſolutè, & relatiuè per compararionem cum alio, quod in obliquo cognoſcitur; ideò obiectum abſolutè cognitum, clarius cognoſcitur; quando facul-

tas eſt magis diſpoſita ad cognoſcendum, & obiectum eſt magis applicatum facultati, obiectum reſpectiuè cognitum clarius cognoſcitur, quando comparatur cum pluribus terminis in obliquo repræſentatis: vndè patet nullam eſſe neceſſitatem cognoſcendi obliqua realia diuerſa, quando præſcinditur formalitas coloris à formalitate albedinis.

30. Non debeo hic præterire pro complemento huius tractatus difficultatem minimè contemnendam, quæ peti poteſt ex illa diſtinctione formali, quæ non eſt præciſio, ad demonſtrandam præciſionem obiectiuam in hunc modum. Vel nullum eſt diſcrimen inter diſtinctionem rationis, & præciſionem, vel præciſio vnius formalitatis ab alia eſt præciſio obiectiua: ſed inter diſtinctionem, & præciſionem multum intereſt, quia omnis præciſio eſt diſtinctio, non omnis diſtinctio eſt præciſio, vt ſatis conſtat in illa diſtinctione, qua homo diſtinguitur ab animali rationali, ergo præciſio formalitatis à formalitate eſt obiectiua præciſio. Maior probatur, quia huiuſmodi præciſio ſi non eſt obiectiua, conſiſtit formaliſſimè in diuerſis conceptibus magis, vel minus claris; ſed diſtinctio rationis eſt formaliſſimè diuerſitas conceptuum vnam, & eamdem rem magis, vel minus clarè repræſentantium, ergo nihil intereſt inter diſtinctionem, & præciſionem; ſi præciſio non eſt obiectiua. Adde præciſionem eſſe diſtinctionem maiorem ſola diſtinctione ratio-

tionis, maior enim eſt diſtinctio inter animal, & rationale, quam inter hominem, & animal rationale, ergo aliquid plus cognoſcit, qui diſtinguit non præſcindendo, quàm qui præſcindit, ergo qui præſcindit, obiectiuè præſcindit.

31. Vt hanc difficultatem omninò exhaurias, ſcire debes diſtinctionem formalem aliam eſſe præciſiuam, aliam non præciſiuam; diſtinctio præciſiua diſtinguit ſimul, & ſeparat vnum conceptum ab alio, vt contingit in illo diſtinctionis genere, quo animal diſtinguitur à rationali: Conceptus enim animalis non ſolum diſtinguitur; ſed etiam ſeparatur à conceptu rationalis, quia animal formaliter non eſt formaliter rationale: diſtinctio nō præciſiua diſtinguit tantum vnum conceptum ab alio, quia conceptus hominis eſt quidem diſtinctus à conceptu animalis rationalis, ſed vnus conceptus non eſt ſeparatus ab alio; homo enim formaliter eſt formaliter animal rationale. Vtraque diſtinctio conſtituitur per conceptus magis, vel minus claros, vt patet ex doctrina ſuperiùs tradita; non eſt propterea cur vna confundatur cum alia, quia illa claritas inæqualis, quæ ſatis eſt ad diſtinctionem non præciſiuam, non eſt ſatis ad diſtinctionem præciſiuam. Quænam igitur eſt illa, quæ conſtituit diſtinctionem præciſiuam? dico eam eſſe talis naturæ, vt rem diſtinguat in duos conceptus ita diſſimiles, vt ſe non inferant, vel mutuò, ſi præciſio eſt mu-

tua, vel non mutuò, ſi præciſio non eſt mutua: Illud enim intereſt inter diſtinctionem præciſiuam, & non præciſiuam; quod iſta conſiſtit in conceptibus diuerſis, qui ſe mutuò non inferunt; ſecùs illa.

32. At, inquies, quomodo poteſt homo diſtingui formaliter ab animali rationali, ſi homo formaliter eſt animal rationale? quià nimirum conceptus hominis nō eſt conceptus adeò expreſſus, ſicuti conceptus animalis rationalis: hinc iſti duo conceptus inter ſe ita comparantur, vt vnus alium declaret, & explicet, adeoque conceptus explicatus, qui eſt conceptus hominis, eſt formaliter conceptus explicans, nimirum conceptus animalis rationalis, formaliter, inquam, in actu exercito, quia non poteſt affirmari homo, niſi affirmetur exercitè quidquid explicat hunc conceptum; non formaliter in actu ſignato, quia non affirmat expreſsè animal rationale, qui affirmat hominem; quod ſatis eſt ad formalem diſtinctionem inter duos conceptus.

33. Ex hac doctrina habes in promptu, quomodo occurras difficultati propoſitæ: in forma nego ma: ad eius probationem diſtinguo ma. præciſio conſiſtit in diuerſis conceptibus ſe mutuò inferentibus: nego ma: non ſe mutuò inferentibus: concedo ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam. Tota æquiuocatio poſita eſt in diuerſitate conceptuum, illa enim diuerſitas, quæ requiritur ad præciſionem, vt conſtituat

ſtituat duos conceptus, quorum vnus non infert alium, non requiritur ad diſtinctionem non præciſiuam; cum ad diſtinctionem non præciſiuam ſatis ſit ea diuerſitas, quæ inter conceptus ſe mutuò inferentes inuenitur. Quo fit animal magis diſtingui à rationali(ſermo eſt in ſenſu formali) quàm hominem ab animali rationali. Non propterea diſtinguitur diſtinctione maiori omni diſtinctione rationis; ſed tantùm aliqua, illa nimirum, quæ eſt diſtinctio non præciſiua. Neque hoc debet videri mirum, quia diſtinctio rationis, quæ eſt diſtinctio ſecundum quid, non excludit maiorem, & minorem diſtinctionem; conſiſtit enim in diuerſitate conceptuum, quæ ſine dubio poteſt eſſe maior, & minor; quid ergo plus cognoſcit, qui diſtinguit hominem ab animali rationali, quàm qui diſtinguit animal à rationali? cognoſcit plus formaliter, non plus obiectiuè: qui enim cognoſcit hominem, cognoſcit formaliter in actu exercito rationale, quod formaliter non cognoſcit, neque exercitè, neque ſignatè, qui cognoſcit animal.

DISPVTATIO QVARTA.

De Vniuerſalibus in communi.

ANTEQVAM aggrediamur explicationem eorum, quæ continentur in introductione, quam ſcripſit Porphirius Philoſophus Peripateticus, ante Ariſtotelis prædicaméta, debemus præmittere tractatum de vniuerſalibus in communi, qui magis pertinet ad metaphyſicam, quam ad Logicam. Non eſt tamen immittere falcem in meſſem omninò alienam, hic in Logica agere de vniuerſalibus, quia, vt benè obſeruat Toletus, ſine perfecta cognitione vniuerſalium non poſſunt explicari prædicabilia, & prædicamenta, quæ ſine controuerſia ſpectant ad Logicam. Quare nos etiam ſequentes veſtigia omnium Philoſophorum, vnà cum Boetio, & Alberto breuiter ſimul, & dilucidè omnes quæſtiones expilcabimus, quæ ſpectant ad vniuerſalia in communi.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quid ſit & quotuplex ſit vniuerſale.

1. REcolenda ſunt ea, quæ docuimus in Summulis de termino communi, ſiuè vniuerſali, part. prima cap. 5. num. 1. & 2: qui plura ſignificat, de quibus ſingillatim prædicari poteſt, quæ enim fuerunt à nobis ibi leuiſſimè delibata, debent in præſenti vberius, & pro dignitate explicari.

2. Vt autem rem iſtam altiùs repetamus; ſciendum vniuerſale poſſe accipi complexè, & incomplexè: vniuerſale complexum eſt propoſitio vniuerſalis, cuius veritas pendet à veritate omnium ſingularium; de hoc vniuerſali agit Ariſtoteles in primo poſteriorum cap. 2. & in primo Metaphyſicæ cap. 1. vbi ait vniuerſale eſſe principium ſcientiæ: propoſitio enim vniuerſalis eſt propoſitio ſcientifica, vt ibidem demonſtratur: vniuerſale incomplexum eſt aliquòd ſimplex, quòd habet ordinem ad plura.

3. Hoc vniuerſale incomplexum eſt multiplex; quià multiplex eſt ordo alicuius ſimplicis ad plura: aliquandò poteſt eſſe ordo cauſæ ad effectum: in hoc ordine fundatur vniuerſale in cauſando; ità ſol eſt vniuerſalis in cauſando, quia ſol eſt vnus, & habet ordinem ad plures effectus, quos poteſt producere: Deus etiam eſt vniuerſalis in cauſando, quia cum-

ſit vnus, poteſt omnia producere: aliquandò poteſt eſſe ordo imaginis ad rem repręſentatam in hoc ordine fundatur vniuerſale in repræſentando: Ita Idea, quæ eſt in mente artificis, eſt vniuerſalis in repræſentando, quià repræſentat omnia, quæ poſſunt fieri ad imitationem ſui: etiam intellectus eſt vniuerſalis in repræſentando, quià eſt vniuerſalis in cognoſcendo, cum poſſit cognoſcere omnia; aliquando poteſt eſſe ordo vocis ſignificantis ad rem ſignificatam: hic ordo conſtituit vniuerſale in ſignificando. Ità termini Vniuoci, Æquiuoci, & Analogi ſunt vniuerſales in ſignificando: præterea poteſt eſſe ordo vnius rei ad multa, in quibus res illa ſit per identitatem, & de quibus prædicatur. Hic ordo conſtituit vniuerſale in eſſendo ſiue metaphyſicum, & vniuerſale in prædicando, ſiue Logicum: hic terminus *homo* eſt vniuerſale Metaphyſicum, quià ratio ſignificata per hoc nomen *homo* eſt eadem in Petro, Paulo, & cæteris hominibus. Idem terminus eſt vniuerſale Logicum, quià poteſt prædicari de omnibus hominibus.

4. Quæ cum ità ſint, præſentis controuerſiæ ſtatus eſt de natura vtriuſque vniuerſalis, tam Metaphyſici, quàm Logici, & de diſcrimine vnius ab alio: cætera enim ad rem noſtram minimè pertinent.

5. Aſſertio prima: vniuerſale Metaphyſicum eſt vnum in multis, Logicum verò vnum prædicabile de multis.

6. Ad

6. Ad veritatem huius ſententiæ, quàm docet Ariſtoteles in 10. Metaphyſicæ cap. 1. ſatis eſt vtriuſque vniuerſalis naturam exponere, quam nobis repræſentant definitiones traditæ; vniuerſale Metaphyſicum, quòd alij vocant vniuerſale in eſſendo dicitur vnum in multis, ſiuè vnum aptum eſſe in multis; quià ad conceptum formalem vniuerſalis ſpectat multitudo actualis, vel potentialis coniuncta cum vnitate. Hinc homo eſt vniuerſalis, quià ſignificat naturam humanam, quæ eſt vna, & ſimul multiplicatur in omnibus hominibus: vniuerſale Logicum, quòd vocant vniuerſale in prædicando, eſt vnum prædicabile de multis; quia ſpectat ad hoc vniuerſale poſſe de multis prædicari. Conueniunt igitur vniuerſale Metaphyſicum, & vniuerſale Logicum, quià vtrumque eſt vnum; differunt verò, quià Metaphyſicum eſt vnum in multis, & Logicum eſt vnum de multis prædicabile.

7. Aſſertio ſecunda: diſtinctio, quæ datur inter vniuerſale Metaphyſicum, & vniuerſale Logicum, eſt diſtinctio formalis, non diſtinctio realis.

8. Ratio identitatis realis inter vtrumque vniuerſale eſt, quià idem realíter eſt vnum eſſe in multis, & vnum poſſe prædicari de multis; quid quid enim prædicatur verè de aliquo, debet eſſe realiter in eo, de quo prædicatur: ideò in ſummulis docuimus part. 2. cap. 4. num. 7. ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ requiri iden-

identitatem realem inter ſubiectum & prædicatum.

9. Ratio diſtinctionis formalis inter vtrumque vniuerſale, eſt: quià conceptus vniuerſalis Metaphyſici eſt, formaliter diuerſus à conceptu vniuerſalis Logici: ſicuti conceptus riſibilis eſt formaliter diuerſus à conceptu rationalis: formalis autem diuerſitas vtriuſque conceptus ſatis eſt ad diſtinctionem formalem inter vtrumque vniuerſale.

10. Aſſertio tertia prædicabilitas eſt eſſentia vniuerſalis Logici, & proprietas vniuerſalis Metaphyſici.

11. Ratio primæ partis eſt, quià illud eſt eſſentia vniuerſalis Logici, quo formaliter intellecto formaliter intelligitur vniuerſale Logicum; ſed intellecta formaliter prædicabilitate vnius de pluribus intelligitur formaliter vniuerſale Logicum; ergo prædicabilitas eſt eſſentia vniuerſalis Logici: propterea iſti duo conceptus, nimirum conceptus vniuerſalis Logici, vnius & conceptus prædicabilis de pluribus ſunt conceptus ſe mutuò inferentes formaliter, ſicuti conceptus hominis, & conceptus animalis rationalis; ſed conceptus animalis rationalis eſt conceptus eſſentialis hominis, ergo conceptus prædicabilitatis eſt conceptus eſſentialis vniuerſalis Logici.

11. Ratio ſecundæ pastis eſt quià ille conceptus, qui non eſt conceptus primarius alicuius rei, ſed tantum ſecundariùs; eſt conceptus,

qui

qui ſpectat ad proprietatem, non ad eſſentiam rei; ſed huiuſmodi eſt conceptus prædicabilitatis in vniuerſali Metaphyſico; ergo prædicabilitas eſt proprietas, non eſſentia vniuerſalis Metaphyſici. Minor eſt certa, quià conceptus primarius vniuerſalis Metaphyſici eſt vnum in multis; vndè naſcitur poſſe de multis prædicari: priùs eſt enim prioritate Logica vnum in multis, quàm vnum prædicabile de multis; ſicuti priùs eſt prioritate Logica hominem eſſe rationalem, quàm hominem eſſe riſibilem; quemadmodum ergo riſibilitas eſt proprietas hominis, ità prædicabilitas eſt proprietas vniuerſalis Metaphyſici.

12. Aſſertio vltima. Formale conſtitutiuum vniuerſalis eſt vnitas, & multitudo. Hæc ſententia euidenter ſequitur ex præcedentibus. Ratio eſt, quià præciſa vnitate non intelligitur vnum; præciſa multitudine non intelligitur multiplex: ſed vniuerſale eſt vnum, & multiplex, quià eſt vnum in multis, ergo præciſa vnitate, & multitudine non intelligitur vniuerſale, ergo ad intelligendum vniuerſale neceſſe eſt intelligere vnitatem, & multitudinem; ergo vniuerſale conuertitur cum vnitate, & multitudine.

13. Quid ſit multitudo ſatis conſtat omnibus, quià nihil eſt magis notum ipſo numero, qui multitudinem adeoque diſtinctionem inuoluit, omnibus exploratam. Hinc poteſt explicari vnitas, quæ non eſt adeò nota, vt

mul-

multitudo; ſicuti enim identitas, quæ conuertitur cum vnitate, explicatur per carentiam diſtinctionis; ità vnitas debet explicari per carentiam multitudinis. Quià verò multitudo, vt plurimùm infert diuiſionem vnius ab alio ſaltem potentialem, id circò vnitas ab Ariſtotele in Metaphyſica exponitur per carentiam diuiſionis, quo fit, vt negatio diuiſionis ſine qua non poteſt intelligi vnitas, pertineat ad conceptum formalem vnitatis.

14. Vnum igitur in concreto eſt illud, quòd poteſt diuidi in plura eiuſdem rationis. Ità lignum palmare licet diuidi poſſit in duas partes, eſt vnum, quià non poteſt diuidi in duos palmos; vnitas in abſtracto eſt illa ratio formalis, quà diuidi non poteſt in plura eiuſdem rationis. Huiuſmodi vnitas inuenitur in omnibus rebus diuiſibilibus, perindè ac indiuiſibilibus: nihil eſt enim, quòd poſſit diuidi in plura, quæ ſingillatim adæquent diuiſum, cũ repugnet æqualitas partis cum toto: inde eſt nihil eſſe in rerum natura, quòd vnum non ſit, cùm hoc tamen diſcrimine, vt aliquid ſit vnum indiuiſibiliter, vt contingit in rebus immaterialibus, nimirũ in Deo, Angelis, & humana anima, quæ carent partibus: quià carent materia: aliquid verò ſit vnum diuiſibiliter, vt contingit in rebus materialibus, quæ ſunt partibiles in plura.

16. Vnitas illa, quæ conſtituit vniuerſale vnum in multis, eſt vnitas generica, vel ſpecifica, nulla enim alia vnitas eſt, vniuer-

ſalis

ſalis; cum cæteræ ſint vnitates ſingulares. Huiuſmodi vnitas conſiſtit in negatione diuiſionis, quià quòd eſt vnum ſpecie, non poteſt diuidi in plures ſpecies, ſicuti quòd eſt vnum genere non poteſt diuidi in plura genera; quamuis vna ſpecies ſit partibilis in plura indiuidua, & vnum genus in plures ſpecies, quòd non repugnat vnitati, vt oſtenſum eſt. In hoc ſenſu homo, & animal ſunt vniuerſale, quià vtrumque eſt vnum, & multiplex, homo verò eſt vnum ſpecie, & animal vnum genere.

16. Multitudinem requiſitam ad vniuerſale eſſe realem actu vel potentia, apud omnes eſt certum, non enim eſt neceſſe, vt multa, de quibus vniuerſale eſt prædicabile, ſint actu in rerum natura, cum ſatis ſit poſſe eſſe; vnitas verò ad vniuerſale requiſita an ſit realis, & intrinſeca, vel tantum formalis, ſiue extrinſeca, eſt controuerſum, quià non omnes conſentiunt in explicando illo modo, quo omnes homines in vnam ſpeciem, & omnia animalia in vnum genus coaleſcunt. Id quià eſt indaginis altioris, in quæſtiones ſequentes reijcimus, licet ex ijs, quæ docuimus de diſtinctione inter gradus Metaphyſicos Diſp. 3. quæſt. vltima num. 6. ſatis conſtet hanc vnitatem eſſe formalem, & extrinſecam eo enim modò, quo res indiſtinctæ diſtinguuntur formaliter, ea, quæ ſunt realiter multa, fiunt formaliter vnum.

17. Nihil eſt, quòd habeat ſpeciem veritatis, & poſſit opponi huic doctrinæ: nihilominus

minus non erit inutile duo argumenta proponere, quæ doctrinam hanc dum oppugnant, magis illuſtrant.

18. Primum argumentum deſumitur ex ipſa natura vniuerſalis, in hunc modum. Definitio vniuerſalis conuenit Deo, animæ rationali, & Chriſto exiſtenti in hoſtia conſecrata, ſed Deus, anima rationalis, & Chriſtus non ſunt vniuerſales, ergo definitio tradita non explicat naturam vniuerſalis. Maior probatur, quia vniuerſale eſt vnum in multis, ſed Deus eſt vnus in multis, nimirum in tribus perſonis Diuinis: anima eſt vna, & ſimul eſt tota in ſingulis partibus corporis, nimirum in manu, pede, & capite. Idem dico de Chriſto, qui in Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento eſt totus in qualibet parte hoſtiæ conſecratæ.

19. Reſpondetur: nego ma: ad eius probationem diſtinguo ma: vniuerſale eſt vnum in multis, in quibus multiplicatur: concedo ma: in quibus non multiplicatur: nego ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam. De eſſentia vniuerſalis eſt vnitas, & multitudo, vt demonſtratum eſt num. 14., ergo aliqua natura, vt ſit vninerſalis, debet eſſe vna, & ſimul multiplex, adeoque debet multiplicari, ergo non ſufficit, vt natura vniuerſalis ſit quomodocumque in multis, debet enim in multis multiplicari; ita vt verè ſint plures naturæ; ſed Deus, qui eſt eſſentialiter vnus, non poteſt multiplicari, quia neque ſunt, neque poſſunt eſſe plu-

res

res Dij in mundo; ergo Deus, qui eſt in tribus Perſonis, non eſt vniuerſalis, quià in tribus Perſonis non multiplicatur; licet ſit vniuerſalis in cauſando, in cognoſcendo, & in perfectione: quià omnia operatur, omnia cognoſcit, & omnes habet perfectiones. Anima rationalis, vt potè immaterialis, eſt tota in toto corpore, & tota in ſingulis partibus corporis, ſed non eſt multiplicata, quià in eodem homine non ſunt tot animæ, quot ſunt partes corporis. Idem dico de Chriſto, qui replicatur in Sacramento, non multiplicatur.

20. Eodem modo ſoluitur argumentum, quòd in hac materia ſolet fieri ex vna albedine, quæ diuinitus poteſt poni in pluribus ſubſtantijs, ea enim non eſſet multiplicata, licet eſſet in pluribus ſubiectis adeoque non eſſet vna, & multiplex, quòd requiritur ad vniuerſale.

21. Dices: vna albedo ſi poneretur in pluribus ſubiectis faceret plura concreta, nimirum plura alba, ergo eſſet multiplicata, ergo eſſet vna & multiplex, adeoque vniuerſalis.

22. Reſpondetur: Concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio eſt quia concretum, vt docui in Summulis, part. prim. cap. 6. num. 3. duo ſignificat, hoc eſt ſubiectum, & formam, ſed pro vno tantùm ſupponit, nimirum, pro ſubiecto, quòd ſignificatur in rectò; vt autem aliquid multiplicetur, ſatis eſt multiplicari id, pro quo ſupponit, licet non

mul-

multiplicetur omne id, quòd ſignificat: ideò ad multiplicanda alba, ſatis eſt multiplicari ſubiectum, pro quo ſupponit album; licet non multiplicetur albedo; ergo vna, & eadem albedo non multiplicata poteſt conſtituere plura alba.

23. Alterum argumentum in hunc modum formatur; ex hac doctrina ſequitur vniuerſale eſſe multiplex in ea ratione, in qua eſt vnum, ſed conſequens falſum: ergo & antecedens. Minor probatur, quià vniuerſale eſſet chimæra inuoluens in ſuo conceptu duo contradictoria, & ratio eſt, quia vnum, & non vnum ſunt contradictoria, ſed vnum & multiplex opponuntur contradictorie; ergo vniuerſe, quòd eſt vnum, & multiplex, inuoluit prædicata contradictoria.

24. Reſpondeo concedo ma: & nego mi: Ad eius probationem falſum eſt vniuerſale eſſe chimæram, & inuoluere prædicata contradictoria; in forma ad argumentum diſtin. maior: vnum realiter, & non vnum realiter ſunt contradictoria: concedo ma: vnum formaliter, & non vnum realiter ſunt contradictoria: nego ma. & conceſſa mi. diſt. conſequens, ergo vnum realiter, & multiplex realiter opponuntur contradictoriè: concedo conſequentiam, vnum formaliter, & multiplex realiter opponuntur contradictoriè: nego conſequentiam: hoc argumentum oſtenſiuè demonſtrat, non poſſe dari vniuerſale à parte rei, vt dicemus in-

fra

ſrà, repugnat enim aliquam naturam eſſe realiter vnam, & non eſſe realiter vnam; ſed non probat eſſe chimæram illud vniuerſale, quod eſt formaliter, & non realiter vnum: illud nimirum vniuerſale, quod habet multitudinem realem, & vnitatem formalem. Quòd autem non ſint contradictoriæ iſtæ duæ propoſitiones, *Natura humana eſt vnà formaliter: natura humana non eſt vna realiter*: euidenter patet, tum quià vt docui in ſummulis Part. 2. cap. 4, num. 7. propoſitio negatiua, vt ſit contradictoria propoſitionis affirmatiuæ debet negare illud idem, quod affirmat propoſitio affirmatiua: ſed hæc propoſitio *natura humana non eſt realiter vna* non negat illud idem, quod affirmat iſta: *natura humana eſt formaliter vna*; ergo non eſt eius contradictoria, adeoque vtraque poteſt eſſe vera: tum quià non repugnat, vt intellectus non cognoſcat multiplicatam naturam illam, quæ verè eſt multiplicata, ſed natura formaliter vna eſt formaliſſimè natura, quæ non cognoſcitur multiplicata, licet verè ſit multiplicata, ergo non repugnat aliquam naturam eſſe formaliter vnam, & non eſſe realiter vnam, ſicuti non repugnat eſſe formaliter diſtincta, quæ ſunt realiter indiſtincta.

QVAESTIO II.

Vtrum vniuerſale ſit obiectum ſcientiæ.

1. Nihil eſt in re præſenti apud Philoſophos magis tritum, quàm res vniuerſales, non ſingulares, eſſe illas, quæ cadunt ſub humanam ſcientiam: vnde originem habuit illud vulgare proloquium *ſcientiæ ſunt vniuerſalium*, & illud, quod ex Philoſophi doctrina eſt vſitatum apud S. Thomam; nimirum, *intellectum eſse vniuerſalium, ſenſum verò ſingularium*. Id quià non caret omni difficultate, materiam præbet ſatis opportunam huic quæſtioni, pro cuius intelligentia.

2. Sciendum primò ex Philoſopho in lib. de anima intellectum humanum accipere cognitionem à ſenſibus, vnde originem habuit aliud vulgare proloquium *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuit in ſenſu*: hinc eſt, quod de rebus materialibus, à quibus intellectus aſcendit ad cognoſcenda immaterialia, duplex datur cognitio: alia rerum ſingularium, alia rerum vniuerſalium, vt cognitio hominis, cognitio animalis, & ſimiles, quæ repræſentant naturam abſtractam à differentijs indiuidualibus. Diſcrimen inter cognitionem rerum ſingularium, & cognitionem rerum vniuerſa-

lium

lium in eo conſiſtit; quòd per cognitionem rerum ſingularium diſcernit intellectus vnum indiuiduum ab alio, nimirum Petrum à Paulo, per cognitionem rerum vniuerſalium confundit intellectus omnia indiuidua, quæ ſpectant ad aliquam ſpeciem, nimirum omnes homines, ità vt vnum non poſſit ab alio diſcernere. Ratio à priori eſt, quià Petrus diſtinguitur à Paulo non quatenus homo, ſed quatenus talis homo, ergo cognitio, quæ cognoſcit hominem vniuerſalem præciſum à Petro, & Paulo, confundit Petrum cum Paulo, neque poteſt vnum ab alio diſtinguere.

3. Sciendum ſecundò, differentias indiuiduales, quas intellectus humanus cognoſcit, dum cognoſcit res ſingulares, eſſe illa accidentia ſenſibilia, per quæ vnum indiuiduum diſtinguitur ab alio, nimirum Petrus à Paulo: huiuſmodi accidentia vocantur circumſtantiæ materiales indiuiduales, quià per iſtas diſcernimus vnum hominem al alio, ſi enim quæras à me, qui cognoſco Petrum, cumque diſtinguo à Paulo, cur non confundam Petrum cum Paulo, ſtatim reſpondeo cauſam, cur ego non confundam, eſſe quià cognoſco in Petro ea vultus lineamenta, quæ in Paulo non ſunt.

4. Sciendum tertiò, eſſe valde imperfectam cognitionem, quam format intellectus humanus de rebus ſingularibus, ratio eſt, quià intellectus ad formandam cognitionem rerum

ſingularium opus habet cognitione ſenſuum; non poteſt enim cognoſcere Petrum, eumque à Paulo ſecernere, niſi adhibeat ſenſus ad eundem diſcernendum. Secundò, quià per cognitionem rerum ſingularium intellectus cognoſcit prædicata accidentalia, cognoſcit enim Petrum habere talem figuram, eſſe in tali loco, & tempore, eſſe filium huius patris, quæ omnia ſunt prædicata accidētalia hominis. Tertiò, quia conſtat experientià, intellectum non ſiſtere in cognitione ſingularium, nimirum in cognitione Petri: à cognitione enim rerum ſingularium, quam format ſenſibus, ſtatim progreditur ad cognoſcenda prædicata vniuerſalia abſtracta à differentijs indiuidualibus, quæ ſunt prædicata hominis, & alia id genus.

5. His ità conſtitutis controuerſum eſt, an ſcientia, ità ſit de rebus vniuerſalibus, vt non poſſit eſſe de rebus ſingularibus, quæ cadunt ſub experientiam ſenſuum, adeoque an obiectum ſcientiæ ſit tantum vniuerſale.

6. Noſtra ſententia ſit: ſcientia humana eſt de vniuerſalibus; & nullo pacto de ſingularibus: ideò vniuerſale eſt obiectum ſcientiarum. Hæc ſententia expreſsè traditur ab Ariſtotele in primo metaphyſicæ cap. 13. & S. Thoma in tractatu primo, & ſecundo de vniuerſalibus; eoſque ſequuntur fere omnes aliquibus exceptis Philoſophis, quos euidenter redarguit Ariſtoteles in ſua metaphyſica,

7. Probatur primò: nulla ſcientia eſt de

ſingularibus, ergo omnis ſcientia eſt de vniuerſalibus. Antecedens probatur: nulla cognitio, quæ cognoſcit rem ſecundùm eſſe accidentale, eſt ſcientia, ſed omnis cognitio de ſingularibus cognoſcit rem ſecundùm eſſe accidentale, ergo nulla cognitio de ſingularibus eſt ſcientia. Hic ſyllogiſmus eſt optimus, quià concludit in celarent. Maior patet, quià, vt dicit Ariſtoteles, ſcientia eſt cognitio rei per cauſam, propter quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere, ideò cognitio, quæ cognoſcit eſſe accidentale, non eſt certa, & euidens. Minor etiam conſtat ex dictis, quià intellectus humanus, dum cognoſcit præcisè ſingulare, nihil aliud cognoſcit, quàm eſſe accidentale rerum ſingularium. Ratio à priori eſt, quià qui cognoſcit Petrum, adeoque diſtinguit Petrum à cæteris hominibus non format conceptum repræſentantem quid ſit per ſe Petrus; hoc eſt, non cognoſcit quidditatem Petri; ſuppono enim tanquam certum, & indubitatum ab humano intellectu, qui ſpeculatur phantaſmata, non cognoſci illam intrinſecam, & metaphyſicam differentiam, per quam Petrus conſtituitur in ratione Petri; ſed ſolum cognoſci Petrum eſſe in tali loco, & tali tempore, eſſe filium talis Patris, quæ omnia ſunt Petro accidentalia.

8. Hinc colliges modum, quo intellectus progreditur à cognitione ſingularium ad cognitionem vniuerſalium; hoc eſt à negatio-

ne ſcientiæ ad ſcientiam. Intellectus, qui propter ſuam immaterialitatem eſt cupidiſſimus ſciendi, hoc eſt cognoſcendi naturam, & eſſentiam rerum, non quieſcit in illa cognitione imperfecta, quà cognoſcit Petrum eſſe in hoc loco, & tempore, veſtitum accidentibus, per quæ diſtinguitur à cæteris hominibus, ſed ab iſtis omnibus accidentibus abſtrahit naturam humanam, de quà in hunc modum abſtracta quærit, quid eſſentialiter ſit, inueſtigando prædicata eſſentialia naturæ humanæ, adeoque peruenit ad habendam ſcientiam de homine, quem cognoſcit eſſe animal rationale. Non poteſt eſſe dubium, quin natura humana, ſiue homo abſtractus à ſingularibus ſit verè vniuerſalis, habet enim vnitatem cum multitudine requiſitam ad vniuerſale; ideò ſcientia humana tota eſt in ſpeculandis prædicatis vniuerſalibus. Quamobrem docet S. Thomas ex doctrina Philoſophi obiectum proprium intellectus humani eſſe eſſentiam rerum materialium, quæ eſt vniuerſalis, cum ſit natura per intellectum abſtracta ab omnibus indiuiduis.

9. Probatur ſecundò. Obiectum ſcientiæ debet eſſe æternum, inuariabile, incorruptibile; & neceſſarium; vt Ariſtoteles demonſtrat in primò poſteriorum; ſed ſolum vniuerſale eſt huiuſmodi, ergo ſolum vniuerſale eſt obiectum ſcientiæ: Minor probatur, quià totum id, quod cognoſcitur ab intellectu humano

cognoſcente ſingularia, videlicet hunc hominem, eſt contingens, temporale, & mutabile, quià omnia ſenſibilia, & materialia ſunt in perpetuo motu, atque mutatione, ergo ſingularia nō ſunt æterna, & incorruptibilia. Hinc eſt, quod Heraclitus, & alij Philoſophi, quos refert Ariſtoteles in quarto metaphyſicæ, negabant omnem ſcientiam, aſſerendo de rebus omnibus Intellectum dubitare, quià omnia corpora ſemper mutantur, & nunquam retinent eumdem ſtatum, adeoque ab eodem Ariſtotele dicitur Heraclitus comparaſſe cognitionem rerum ſenſibilium cum aqua fluminis, ſicuti enim iſta, quià ſemper mouetur, & fluit non poteſt ſemel, atque iterum tangi: ità corpora, quià ſemper mutantur, non poſſunt ab intellectu ſemel atque iterum eodem modo cognoſci, adeoque non poſſunt mouere intellectum ad cognitionem inuariabilem, qualis debet eſſe cognitio certa, & euidens.

10. Quod autem vniuerſale ſit æternum, inuariabile, & neceſſarium; oſtenditur manifeſtè, quià propoſitiones, quæ dicuntur æternæ veritatis, quales ſunt omnes propoſitiones in materia neceſſaria, vt *homo eſt animal* debent habere obiectum æternum, inuariabile, & neceſſarium, ſed obiectum huiuſmodi propoſitionum eſt vniuerſale: ergo vniuerſale eſt æternum inuariabile, & neceſſarium Maior patet, quià propoſitio dicitur vera, vel falſa, ab eo, quod res eſt, vel nō eſt vt dicit Philoſophus

in primo Perihermenias, cap. vltimo, ergo propoſitio æternæ veritatis non poteſt eſſe vera, niſi obiectum, quod affirmat, ſemper, & neceſſario ſit, eo modo, quo affirmatur eſſe. Minor etiã eſt certa, tùm quià propoſitio indefinita in materia neceſſaria æquiualet vniuerſali, tum quià homo, qui eſt obiectum huius propoſitionis *homo eſt animal* eſt terminus vniuerſalis, adeoque ſignificat naturam hominis ab omnibus ſingularibus abſtractum. Præterea vniuerſalia in tantum dicuntur generari, & mutari, in quantum mutantur, & generantur ſingularia, cum quibus habent identitatem: ideò Ariſtoteles in prædicamentis cap. de ſubſtantià docet ſecundas ſubſtantias, quæ ſunt ſubſtantiæ vniuerſales, deſtrui primis, hoc eſt ſingularibus, deſtructis: ideò enim deſtruitur homo, animal, & cæteri gradus metaphyſici qui ſunt prædicata vniuerſalia, & vocantur ſecundæ ſubſtantiæ, quià moritur Petrus qui eſt prima ſubſtantia: ergo vniuerſalia à ſingularibus abſtracta, quæ ſunt obiectum ſcientiæ, ſunt æterna.

11. Probatur tertiò, à priori ex natura intellectus. Scientiæ debent eſſe de illis rebus quæ ſunt obiectum proprium intellectus; ergo ſcientiæ ſunt de vniuerſalibus. Maior eſt certa: tum quià intellectus aſſequitur perfectionem, quam poteſt naturaliter habere per ſcientiam: ideò Philoſophus in primo metaphyſicæ dicit, quod omnis homo naturaliter

ſci-

ſcire cupit, quià vnaquæque res naturaliter appetit bonum ſuum: tum quià ſcientia eſt ſolum in intellectu. Minor probatur inueſtigando naturam intellectus, qui, vt rectè ait Anaxagoras citatus ab Ariſtotele in tertiò de Anima, eſt forma immixta corpori, hoc eſt, ſpiritualis, & independens à corpore, vt nos cum eodem Ariſtotele demonſtrabimus in libris de anima; hoc principio ſuppoſito ſic argumentor. Modus operandi ſequitur modum eſſendi, quod principium ità debet intelligi, vt omnia operentur an modo, quò ſunt, ergo facultates cognoſcentes, quæ operantur cognoſcendo, & cognoſcunt operando, debent cognoſcere eo modo, quo ſunt, ſed intellectus, qui longè diſtat à ſenſu, habet modum eſſendi ſpirituale, ergo debet habere modum operandi, ſiue modum cognoſcendi ſpirituale, ergo debent cognoſci materialia ſpiritualiter, & ſenſibilia intelligibiliter, ſed materialia cognoſcũtur ſpiritualiter per hoc quod natura rerum materialium ſeparatur præciſione ab omnibus differentijs indiuidualibus, quod eſt idem formaliſſime ac facere naturam vniuerſalem, ergo obiectum proprium intellectus eſt vniuerſale: quod erat demonſtrandum.

12. Explico vlterius, & clarius hanc doctrinam, quæ eſt fundamentum huius tractatus. Intellectus humanus, de quo in præſenti ſermo eſt, nihil aliud eſt, quam ſubſtantia ſpiritualis, quæ in genere cauſæ formalis facit

to-

totum materiale, nimirum hominem, quia eſt forma phyſica corporis humani: idem intellectus quatenus ſpiritualis, debet ratione immaterialitatis, quam habet cum Angelis communem, cognoſcere omnia, & intelligendo fieri quodammodo omnia: qua in re diſcrepat à ſenſu, qui vt Ariſtoteles ibidem demonſtrat, non poteſt fieri niſi omnia ſenſibilia, quia verò idem intellectus in genere cauſæ formalis facit totum materiale, & eſt forma corporis, habet pro obiecto primario, & formali ſolam ſubſtantiam materialem, eò modo, quo ſenſus; qui eſt inferior intellectu, non poteſt cognoſcere, niſi accidentia ſenſibilia, quæ ſunt color, ſapor, & alia id genus. Intellectus verò Angelicus, qui eſt ſuperior intellectu humano, habet pro obiecto motiuo, & formali ſubſtantiam ſpiritualem creatam, & intellectus diuinus, qui eſt actus intelligendi ſimpliciſſimus, adeoq; ſuperior quocumq; intellectu, mouetur, vel quaſi mouetur ad ſe intelligendum, & omnia à ſe diſtincta à ſua Diuina eſſentia, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis increata.

13. Subſtantia materialis, ſiue eſſentia rerum materialium quia cognoſcitur ab intellectu ſine differentijs indiuidualibus, quæ ſunt conditiones materiales, & vocantur ab Ariſtotele, & S. Thoma materia ſignata, dicitur quodammodo ſpiritualizari, quia natura ità abſtracta, quæ eſt formaliſſimè natura vniuerſalis, videtur habere quamdam ſimilitudinem

cum

cum ſubſtantijs ſpiritualibus, quæ ſunt realiter ſeparatæ à quacumque materia: vnde patet, quomodo in natura intellectus qui eſt facultas immaterialis, fundetur, quod proprium eius obiectum ſit vniuerſale.

14. Ex hac doctrina infertur primò intellectum, qui eſt immaterialis, eſſe facultatem ſecundùm quid infinitam, quatenus eius virtus extenditur ad cognoſcendum omne ens, ſiuè omne id quod intelligi poteſt: quiá verò natura intellectus ea eſt, vt intelligendo perficiatur intrinſecè ab eo, quod intelligit, ideò poteſt ſemper magis, & magis perfici cognoſcendo, & intelligendo: quà in re imitatur quantum poteſt, infinitam Dei perfectionem, ſicuti enim Deus continet in ſe omnes perfectiones, adeoque ſe poteſt magis, & magis communicare rebus creatis: itá intellectus poteſt intentionaliter accipere perfectiones omnium rerum. Id totum naſcitur ex eo, quòd obiectum proprium intellectus eſt ſolum vniuerſale, quiá vt egregiè docet S. Thomas, continentur in vniuerſali infinita ſingularia, ſicuti continentur in principiis concluſiones: itá in natura humana, ſiuè in homine vniuerſali continentur infiniti homines, quos intellectus cognoſcit, dum cognoſcit hominem vniuerſalem: inde eſt per cognitionem rerum vniuerſalium expleri cupiditatem illam infinitam, quam habet intellectus ad omnia cognoſcenda, infinita enim ſingularia non poſſunt ab intellectu huiuſmodi

alia

alia via cognoſci, niſi cognoſcantur in prædicatis vniuerſalibus.

15. Infertur ſecundò intellectum humanum, eò quòd habet pro obiecto vniuerſale de quo habet ſcientiam, poſſe, & debere naturaliter cognoſcere cognitione abſtractiua Deum, adeoque poſſe per gratiam eleuari ad cognoſcendum Deum cognitione intuitiua, hoc eſt ad videndum Deum. Ratio eſt, quià intellectus, eo quòd cognoſcit vniuerſale, poteſt cognoſcere omnia, ſed ſi poteſt cognoſcere omne, poteſt cognoſcere Deum, ergo &c. Addo quòd intellectus, cognoſcendo vniuerſale, cognoſcit prædicata eſſentialia, & neceſſaria rerum omnium, ergo cognoſcit neceſſitatem, quæ datur, vt iſta prædicata ſint neceſſaria, & inuariabilia, ſed huiuſmodi neceſſitas eſt Deus: quià nihil exiſtit neceſſariò præter Deum, qui eſt ens à ſe increatum, & perfectiſſimum, ergo &c.

16. Obijc: primò. Vniuerſale non eſt aliquod reale, ſed obiectum ſcientiæ debet eſſe aliquod reale, ergo vniuerſale non eſt obiectum ſcientiæ: ma. patet, quia vniuerſale exiſtens extra intellectum eſt chimæra.

17. Reſpondeo diſtinguo ma: Vniuerſale fundamentaliter, non eſt aliquid reale: nego ma: vniuerſale formaliter: concedo ma: & diſtincta minori, nego conſequentiam. Obiectum ſcientiæ non exiſtit à parte rei formaliter, ſiuè ſecundùm eſſe formale, vt inferius demonſtrabo:

bo: quià vnitas formalis quæ requiritur ad vniuerſale formale, non eſt, niſi per intellectum; exiſtit verò fundamentaliter, quatenus extra intellectum datur fundamentum vnitatis formalis, adeoque vniuerſale, quòd eſt obiectum ſcientiæ, eſt fundamentaliter extra intellectum: hoc fundamentum vnitatis formalis requiſitæ ad vniuerſale conſiſtit in ſingularibus habentibus eſſentiam ſimilem, quæ præbet fundamentum intellectui, cognoſcendi eadem ſingularia ſub vna ratione abſtracta prædicabili de ſingulis: quià verò realiter exiſtunt multi homines, qui habent naturam ſimilem, & habent maiorem ſimilitudinem inter ſe, quàm habeat homo cum equo, naſcitur, vt intellectus, qui cognoſcit homines ſinè vlla indiuiduatione, & accidentali diſſimilitudine vnius ab alio, eoſdem inter ſe confundat, eiſque tribuat extrinſecè vnitatem formalem, in qua conſiſtit ratio hominis formaliter vna: vt igitur intellectus habeat ſcientiam de homine vniuerſali, ſatis eſt hominem eſſe realiter vniuerſalem fundamentaliter, quod nihil eſt aliud, quàm eſſe plures homines ſimiles in natura humana.

18. Huic argumento poteſt adhiberi alia ſolutio, quæ re ipſa non differt à primà, ſed eſt formalior: & deſumitur ex doctrina de termino concreto, quæ cum ſit vtiliſſima ad ſoluendas plures difficultates, non debet hìc prætermitti: diſtinguo igitur ma: vniuerſale, non eſt reale, ſecundum id pro quo ſupponit; nego

nego ma: ſecundùm omne id, quòd ſignificat: concedo mai; & diſtinctà eodem pacto minori, nego conſequentiam. Terminus concretus, vt docui in Summulis part. prim. cap,6. nu.3. duo ſignificat, videlicet ſubiectum, & formam,ſed tantum ſupponit pro vno, videlicet pro ſubiecto, quòd in recto ſignificat. Terminus vniuerſalis eſt terminus concretus ex natura quæ denominatur vniuerſalis, hoc eſt vna extrinſecè vnitate vniuerſali, & forma à qua denominatur vna, quæ forma eſt cognitio abſtrahens rationem hominis à Petro, & Paulo. Inde eſt, quòd vtrumque ſignificat, ſed ſupponit ſolùm pro natura, quæ exiſtit realiter,& formaliſſimè conſiſtit in pluribus indiuiduis ſimilibus: quià verò vniuerſale, & obiectum ſcientiæ, ſunt termini conuertibiles, ideò ſicuti vniuerſale exiſtit realiter ſecundùm id, pro quò ſupponit, non verò ſecundùm id, quòd tantum ſignificat, ità obiectum ſcientiæ debet eſſe realiter, ſecundùm id pro ſupponit; non verò ſecundùm id, quòd tantùm ſignificat.

19. Obijc. ſecundò, Vniuerſale fundamentale ſiuè ſecundùm id, pro quo ſupponit, nihil aliud eſt quàm ſingularia, quæ realiter exiſtunt, ſed ſingularia non ſunt obiectum ſcientiæ, ergo obiectum ſcientiæ non eſt aliquid reale, eo quòd vniuerſale fundamentale ſit aliquid reale.

20. Reſp. diſtinguo ma: vniuerſale fundamentale nihil aliud eſt, quàm ſigularia ſimilia

in

in eſſentia: concedo ma: quàm ſingularia diſſimilia in prædicatis accidentalibus: nego ma: & diſtinguo mi: ſingularia non ſunt obiectum ſcientiæ, quatenus diſſimilia in prædicatis accidentalibus: concedo mi: quatenus ſimilia in prædicatis eſſentialibus: nego minorem & conſequentiam.

21. Ad huius diſtinctionis euidentiam ſciendum eſt, Petrum non ſolum diſtingui realiter à Paulo per accidentia indiuidualia, ſed etiam eſſe hominem, animal, & ſubſtantiam viuentem, vnde fit eum habere cum omnibus ſubſtantijs aliquam imperfectam ſimilitudinē, maiorem habere cum viuentibus, longè maiorem cum animalibus, multò adhuc maiorem cum hominibus. Prædicatum hominis, quòd eſt in Petro, dicitur prædicatum vniuerſale fundamentaliter, quià Petrus ratione naturæ humanæ habet cum cæteris hominibus maiorem ſimilitudinem, quàm cum alijs rebus: eodem modo diſcurrendum eſt de prædicato animalis, quòd eſt in Petro ſimile cum cæteris animalibus: huiuſmodi prædicata, quæ ſunt in Petro, & cæteris hominibus, cum quibus habent identitatem, vocantur vniuerſale fundamentaliter, quià ex eo quòd Petrus verè ſit homo, & Paulus verè ſit homo, adeoque Petrus & Paulus habeant inter ſe illam ſimilitudinem, quàm non habent Petrus, & equus; intellectus habet fundamentum, non diſtinguendi vnum ab alio, adeoque abſtrahendi a præ-

dica-

dicatis indiuidualibus naturam humanam, quæ ità abſtracta eſt verè vna formaliter, ſiuè præciſiuè, & eſt ipſum vniuerſale formale. Hinc eſt, quòd obiectum ſcientiæ, non ſunt res ſingulares, ſed ſunt res vniuerſales, identificatæ realiter, & diſtinctæ formaliter à ſingularibus.

22. Objcies vltimò: intellectus humanus cognoſcit prædicata non ſolum vniuerſalia, ſed etiam ſingularia, quià diſtinguit Petrum à Paulo non minus, quàm hominem ab equo, ergo datur ſcientia de ſingularibus, quià ſingularia poſſunt magis ſciri, quàm vniuerſalia, hæc enim per illa cognoſcuntur, vt docet Ariſtoteles in primo, & ſecundo poſteriorum.

25. Reſp. diſt. antecedens: intellectus humanus cognoſcit directè prædicata ſingularia: nego antecedens; cognoſcit indirectè: concedo antecedens: & nego conſequentiam. Singularia materialia directè cognoſcuntur à ſenſibus, quià facultates ſentientes non poſſunt cognoſcere, niſi illa exteriora accidentia, quæ inueniuntur in rebus materialibus, neque perueniunt ad penetrandam intimam earum naturam. Inde eſt, ſingularia, licet cognoſcantur ab intellectu, non eſſe obiectum proprium intellectus; tùm quià ſunt obiectum proprium ſenſuum, à quibus directè cognoſcuntur, tùm quià intellectus, qui eſt potentia ſublimior ſenſibus, reflectendo ſupra actus ſentiendi, & ſupra eorum obiecta, cognoſcit Petrum veſtitum illis accidentibus, per quæ à cæteris hominibus

bus diſtinguitur. obiectum proprium, in quo intellectus quieſcit, eſt ſolum vniuerſale, quia de natura Petri abſtracta ab omnibus accidentibus indiuidualibus cognoſcit prædicata eſſentialia.

24. Ad confirmationem: nego ſingulare eſſe magis cognoſcibile, quàm vniuerſale: oppoſitum enim Ariſtoteles docet in primò poſteriorum cap. 18. vbi hæc habet *vniuerſale quidem eſt intelligibile, ſed particulare in ſenſum deſinit*. Ratio eſt manifeſta, quià ſingulare ſenſibile non eſt actu, ſed ſolum potentiâ intelligibile, quatenus intellectus, vt dicemus in lib. de anima, conuertens ſe ad phantaſmata, quæ ſunt imagines ſenſibiles rerum materialium poteſt abſtrahere à prædicatis contingentibus, de quibus non eſt ſcientia prædicata neceſſaria, de quibus eſt ſcientia, ergo vniuerſale eſt magis cognoſcibile, quàm ſingulare: huic rationi Ariſtoteles non contradicit, dum ait vniuerſale cognoſci per ſingularia, quià in tantùm hoc eſt verum, in quantum intellectus à cognitione imperfecta, quæ eſt cognitio ſingularium, aſcendit ad cognitionem perfectam, quæ eſt cognitio vniuerſalium. Prætereà iſtam conſequentiam *vniuerſale cognoſcitur per ſingularia, ergo ſingulare eſt magis cognoſcibile quàm vniuerſale*: Iſtã inquàm conſequentiam eſſe falſam euidenter patet, quià ſpiritualia cognoſcuntur per materialia, & Deus per Creaturas, & tamen creaturæ non

ſunt magis cognoſcibiles, quàm Deus: aliter creatura eſſet perfectior, quià vnaquæque res tantò eſt perfectior, quantò eſt magis cognoſcibilis.

QVAESTIO III.

Vtrum ſit perfectius cognoſcere prædicata magis vniuerſalia quàm minus vniuerſalia.

1. PRo intelligentia huius quæſt. quàm hic breuiſſimè ſuſcipimus examinandam, tùm quià eſt connexa cum quæſt. præcedenti, tùm quià multum conducit ad perfectam notitiam prædicamentorum, notandum eſt, prædicata minus vniuerſalia eſſe prædicata ſpecifica, & vniuerſalia eſſe generica; ità de Petro, qui eſt aliquid ſingulare prædicatur homo, animal, viuens, ſubſtantia & ens; hæc omnia prædicata ſunt vniuerſalia, vt patet, ſed vnum eſt minus vniuerſale, quàm aliud: prædicatum, *homo*, quòd eſt minus vniuerſale omnibus, eſt prædicatum ſpecificum, quia per iſtud ponitur Petrus in ſpecie hominis; cætera prædicata ſunt generica, quià idem Petrus per prædicatum animalis ponitur in genere animalium, per prædicatum viuentis in genere viuentium, & ſic de alijs; prædicatum entis eſt vniuerſaliſſimum, quià vagatur per omnia

rerum

rerum genera, vt dictum eſt in Summulis. par. prim. cap. 5. num. 2.

2. Status igitur quæſtionis eſt, vtrum cognitio, quæ cognoſcit prædicata magis vniuerſalia, ſit perfectior ea cognitione quæ cognoſcit minus vniuerſalia, & vtrum prius cognoſcenda ſint prædicata magis vniuerſalia, quàm minus vniuerſalia.

3. Dicò primò: cognitio, quæ attingit obiectum ſecundùm prædicata magis vniuerſalia, eſt minus perfecta cognitione attingente obiectum ſecundum prædicata minus vniuerſalia.

4. Probatur comparando duas cognitiones, quarum vna tendit in obiectum ſecundùm prædicata generica, altera tendit in idem obiectum ſecundùm prædicata ſpecifica; claritatis gratia: ponamus ab eodem intellectu formari duas cognitiones de homine, quarum vna cognoſcat hominem eſſe animal, alia cognoſcat hominem eſſe animal rationale: facta iſta ſuppoſitione ſic argumentor. Homo, qui cognoſcitur per vtramque cognitionem, perfectius cognoſcitur per ſecundam cognitionem, quam per primam, ſed homo cognitus per primam cognitionem attingitur ſecundùm prædicatum magis vniuerſale, quàm per cognitionem ſecundam, ergo cognitio, quæ cognoſcit obiectum ſecundùm prædicata magis vniuerſalia; eſt imperfectior cognitione, quæ cognoſcit obiectum ſecundùm prædicata minus vni-

uerſalia. Minor patet ex terminis. Maior eſt certa tùm à poſteriori, quià intellectus magis quieſcit cognoſcendo hominem eſſe animal rationale, quàm cognoſcendo hominem eſſe animal: tùm etiam à priori, quià cognitio, quæ magis accedit ad comprehenſionem obiecti eſt perfectior cognitione, quæ minus accedit ad eiuſdem comprehenſionem: ſed intellectus magis accedit ad cognitionem comprehenſiuam hominis per cognitionem, quæ attingit animal rationale, quàm per cognitionem, quæ attingit ſolum animal; cum intellectus per primam attingat totam eſſentiam hominis, & perfectè diſtinguat hominem à non homine, ergo &c.

5. Dico ſecundo. Intellectus, qui cognoſcit obiectum ſolum ſecundum prædicata vniuerſaliſſima, nimirum entis, & ſubſtantiæ eſt imperfectiſſimus. Hæc concluſio, quæ ſequitur euidenter ex præcedenti.

6. Probatur hoc vnico ſyllogiſmo. Cognitio, qua intellectus cognoſcit obiectum ſecundùm prædicata vniuerſaliſſima eſt, ſicuti viſio, qua oculus videt obiectum ſecundùm accidentalia communiſſima, ſed huiuſmodi viſio eſt omnium imperfectiſſima, quia non poteſt diſtinguere vnam rem ab alia, ergo etiam illa cognitio eſt imperfectiſſima, quod erat probandũ.

7. Confirmatur, quia intellectus perfectior, ſiue magis acutus in cognoſcendo non diſtinguitur ab intellectu minus perfecto, & minus

acu-

acuto per hoc, quod poſſit cognoſcere plura indiſtinctè, & in vniuerſali, cum hoc conueniat etiam intellectui ſummè imperfecto, vt poſſit omnia cognoſcere ſub ratione entis; ſed per hoc, quod poſſit per vnam ſpeciem, ſiuè cognitionem cognoſcere ſimul plura diſtinctè, & in particulari; adeoque per vnam, & indiuiſibilem cognitionem cognoſcere omnia diſtinctè, & comprehenſiuè arguit infinitam perfectionē incognoſcente, quæ non datur, niſi in Deo, vt ex Doctrina S. Dioniſij perſpicuè oſtendit Doctor Angelicus.

8. Hinc colliges eſſe imperfectionem cognitionis attingere ſingularia in aliqua ratione vniuerſali, ita vt non poſſit diſcernere vnum ſingulare ab alio. Ratio eſt euidens, quia non eſt perfectio cognitionis confuſio, ſed claritas, ſicuti viſio non eſt perfecta in ratione viſionis, quæ videt obiectum confusè, ſed quæ videt clarè diſtinguendo etiam minimas differentias, ergo pertinet ad imperfectionem cognitionis cognoſcere ſingularia in vniuerſali.

9. Dices: Cognitio ſingularium eſt minus perfecta, quàm cognitio vniuerſalium, quia ſcientia eſt de vniuerſalibus, non de ſingularibus, vt demonſtratum eſt in ſecunda quæſtione, num. 6. & tamen cognitio ſingularium non habet illam confuſionem, quam habet cognitio vniuerſalium, ergo falſum eſt, quod pertinet ad imperfectionem cognitionis attingere ſingularia in vniuerſali.

10. Reſp. conc. antecedens, & nego conſequentiam, & ratio eſt, quia cognitio ſingularium, quæ diſtinguit vnum ab alio, licet careat imperfectione confuſionis, quam habet cognitio vniuerſalium, habet tamen aliam imperfectionem multò maiorem, quàm excludit cognitio vniuerſalium, videlicet defectum cognoſcendi rem ſecundùm id, quod eſt per ſe, ſiue ſecundùm prædicata eſſentialia; & quoniam melius eſt cognoſcere obiectum ſecundùm id, quod eſt per ſe, licet indè oriatur defectus diſtinguendi vnum ſingulare ab alio, quàm diſtinguere vnum ab alio cum defectu cognoſcendi id, quod per ſe res eſt; ideo cognitio ſingularium in vniuerſali eſt longè perfectior cognitione ſingularium in particulari.

11. Negari profectò non poteſt quin ſit bona hæc conſequentia: cognitio rerum in vniuerſali inuoluit confuſionem, quam excludit cognitio diſtincta ſingularium, ergo datur aliqua cognitio rerum in particulari perfectior cognitione rerum in vniuerſali. Sed hoc non deſtruit doctrinam à nobis traditam, immò eam confirmat, quia illa cognitio ſingularium, quæ eſt perfectior cognitione vniuerſalium eſt cognitio comprehenſiua ſingularium, per quam intellectus non ſolum diſtinguit vnum ab alio, verum etiam cognoſcit rem ſecundùm id, quod eſt per ſe, qualis eſt procul dubio cognitio diuina, & fortaſſe angelica; at cognitio humana ſingularium eſt valdè imperfecta, & non cogno-

ſcit

ſcit rem ſecundùm id, quod eſt per ſe, vt dictū eſt, ideo cognitio rerum in vniuerſali eſt abſolutè perfectior.

12. Hunc totum diſcurſum, qui eſt diligenter obſeruandus, declaro perſpicuè hoc exemplo. Certum eſt hominem eſſe perfectiorem lapide: ecquis negabit hoc? præterea eſt certum, & indubitatum eſſe aliquam imperfectionem in homine, quæ non eſt in lapide, videlicet poſſe peccare: formo nunc argumentum ſophiſticū: non poſſe peccare eſt perfectius, quàm poſſe peccare, ſed lapis non poteſt peccare, & homo poteſt peccare, ergo lapis eſt perfectior homine. Hoc argumentum non concludit, quia non valet argumentari à parte ad totum. Ratio autem à priori eſt, quia eſſe impeccabile non eſt perfectiùs ex toto genere, quàm eſſe peccabile, quia non omne impeccabile eſt perfectius quocumq; peccabili; licet Deus qui eſt eſſentialiter impeccabilis, ſit perfectior omni creatura peccabili.

13 Dico tertio. Intellectus prius cognoſcit ſingularia, deindè vniuerſalia, & in cognitione vniuerſalium cognitio, quæ cognoſcit prædicata magis vniuerſalia antecedit cognitionem cognoſcentem prædicata minus vniuerſalia. Hæc concluſio deſumpta eſt ab Ariſtotele.

14. Probatur prima pars, quæ ab omnibus admittitur primo auctoritate Philoſophi in primo poſteriorum, hæc habentis. *Dico autem ad nos priora, & notiora, propinquiora*

ſenſui: ſimpliciter autem priora, & notiora, quæ ſunt longiùs; ſunt autē longinquiſſimè quidem vniuerſalia, maximè proxima ſunt ſingularia. Ex iſtis Philoſophi verbis confirmatur argumentū; quæ ſunt nobis proxima prius cognoſcuntur, quam remota, ſed ſingularia ſunt proxima, & vniuerſalia remota, ergo prius cognoſcuntur ſingularia, quàm vniuerſalia.

15. Secundò: vniuerſalia cognoſcuntur ab Intellectu per abſtractionem à ſingularibus, vt optimè probat Ariſtoteles in ſecundo poſteriorum contra Platonem, ergo prius cognoſcuntur ſingularia, quàm vniuerſalia, aliter hæc non poſſent ab illis abſtrahi.

16 Probàtur ſecunda pars eiſdem argumenti, quibus Ariſtoteles demonſtrat in primo libro Phyſicorum eſſe connaturale, vt in ſcientijs tradantur prius vniuerſalia, deinde particularia.

17 Primum argumentum eſt. Ea, quæ ſunt magis vniuerſalia, ſunt nobis magis nota, quàm ea, quæ ſunt minus vniuerſalia, ergo intellectus prius cognoſcit prædicata magis vniuerſalia, deindè minùs vniuerſalia. Antecedens probatur, quia nobis eſt magis notum corpus in genere, quàm ſingulæ ſpecies, quæ diuidunt hoc genus.

18 Secundum argumentum eſt: vniuerſale, quod continet in ſe multas, & varias ſpecies ita ſe habet in ordine ad intellectum, ſicuti totum ſenſibile, quod habet varias partes, in ordi-

ordine ad ſenſum, ſed à ſenſu prius percipitur totum ſenſibile, quàm ſingulæ illius partes, ergo ab intellectu prius cognoſcitur id, quod eſt magis vniuerſale, quam id, quod eſt minus vniuerſale. Hinc ſequitur, quod ſicuti videndo obiecta viſibilia, quæ ſunt aliquod totum ſenſibile, compoſitum ex partibus phyſicis, & ſenſibilibus, priùs videmus totum cum quadam confuſione, deindè vnam partem diſtinguimus ab alia, ita cognoſcendo obiecta intelligibilia, hoc eſt vniuerſalia, debemus prius cognoſcere totum in genere, antequam deſcendamus ad diſtinguendas ſingulas eius ſpecies.

19: Obijc. primò. Ita ſe habet cognitio, quæ cognoſcit rem magis in vniuerſali, ad cognitionem, quæ cognoſcit rem minùs in vniuerſali, ſicut cognitio rei ſingularis ad cognitionem rei vniuerſalis, ſed cognitio rei vniuerſalis eſt perfectior cognitione rei ſingularis, vt dictum eſt q. 2. n. 7. ergo cognitio rei ſecundùm prædicata magis vniuerſalia eſt perfectior cognitione rei ſecundùm prædicata minus vniuerſalia.

20 Reſp. negando maiorem: diſparitas eſt, quia duę cognitiones, quarum vna cognoſcit prædicata magis vniuerſalia, & alia cognoſcit prædicata minus vniuerſalia, ſunt in eodem genere, cum ſint in genere cognitionis cognoſcentis obiectum ſecundùm illud, quod eſt per ſe, ſiue ſecundum prædicata eſſentialia, inde eſt quod comparando vnam cognitionem cum

alia,

alia, debet eſſe perfectior cognitio magis clara, & diſtincta, quæ eſt cognitio cognoſcens obiectum ſecundùm prædicata minus vniuerſalia, quam cognitio minus diſtincta, quæ eſt cognitio cognoſcens obiectum ſecundùm prædicata magis vniuerſalia; at duæ cognitiones, quarum vna eſt cognitio rei ſingularis, & altera eſt cognitio rei vniuerſalis, ſunt in diuerſo genere, cum per illam cognoſcatur res ſecundùm prædicata accidentalia, per iſtam cognoſcatur ſecundùm prædicata eſſentialia: inde eſt, quòd comparando vnam cognitionem cum alia, non eſt perfectior, quæ eſt magis diſtincta, hoc eſt cognitio rei ſingularis, ſed quæ eſt minus diſtincta, hoc eſt cognitio rei vniuerſalis, quia iſta eſt ſcientifica, illa non eſt ſcientifica.

21. Obijc. ſecundo. Tanto perfectior eſt cognitio, quantò plura ſunt obiecta, quæ cognoſcit, ſed cognitio de obiecto magis vniuerſali cognoſcit plura, quàm cognitio de obiecto minùs vniuerſali, ergo cognitio de obiecto magis vniuerſali eſt perfectior. Minor eſt certa, quia cognitio, quæ cognoſcit animal, plura cognoſcit, quàm cognoſcat, quę cognoſcit hominem. Maior etiam patet, quia S. Thomas demonſtrat Angelos ſuperiores eſſe perfectiores in cognoſcendo Angelis inferioribus, quia habent cognitiones vniuerſaliores, hoc eſt plura repræſentantes.

22. Reſp. Diſtinguo maiorem: Tanto perfectior

ſectior eſt cognitio, quanto plura ſunt obiecta, quæ cognoſcit, ſi cætera ſint paria: concedo maiorem: ſi cætera non ſint paria: nego maiorem: & diſtincta eodem pacto minori, nego conſequentiam. Ratio cur in ſubiecta materia cætera non ſunt paria, eſt, quia cognitio, quæ cognoſcit prædicata magis vniuerſalia, licet plura cognoſcat, quàm cognitio, quæ cognoſcit prædicata minus vniuerſalia, nihilominus habet confuſionem, & indiſtinctionem, quàm non habet alia cognitio, vt dictum eſt: quod ſi dentur duæ cognitiones æqualiter claræ, & diſtinctæ, vtique eſt perfectior cognitio, quæ plura cognoſcit, quàm illa cognitio, quæ cognoſcit pauciora: hinc eſt, quòd ratio, qua S. Thomas demonſtrat Angelos ſuperiores eſſe perfectiores in cognoſcendo, quia habent ſpecies vniuerſaliores, eſt optima, quia cognitiones Angelorum vniuerſaliores plura diſtinctè, & clarè repræſentant.

23. Obijc. tertio. Cognitio, quæ magis accedit ad cognitionem perfectiſſimam, ſiue diuinam, eſt perfectior; ſed cognitio obiecti vniuerſalioris magis accedit ad cognitionem diuinam: ergo eſt perfectior. Maior patet, quia cognitio diuina eſt perfectiſſima, cùm ſit menſura omnis cognitionis. Minor probatur, quia cognitio diuina cum ſit vna, & indiuiſibilis, omnia cognoſcit, ergo cognitio, quæ eſt vna, & cognoſcit plura, eſt perfectior.

34. Reſp. Diſtinguo maiorem: cognitio, quæ

quæ magis accedit ſecundùm quid ad cognitionem perfectiſſimam, & magis recedit ſimpliciter, eſt perfectior cognitio minus accedente ſecundùm quid, & magis accedente ſimpliciter: nego maiorem; cognitio magis accedens ſimpliciter eſt perfectior cognitione minùs accedente ſimpliciter; concedo maiorem, & diſtincta eodem pacto minori, nego conſequentiam. Lapis ſecundùm impeccabilitatem magis accedit ad infinitam Dei perfectionem, quàm homo, & tamen lapis non eſt perfectior homine: quia nimirum magis accedit ſecundū quid, hoc eſt ſecundùm vnum prædicatum; homo verò magis accedit ſimpliciter, hoc eſt ſecundùm alia prædicata, eodem modo cognitio obiecti vniuerſalioris magis accedit ſecundùm quid ad cognitionem diuinam, quam cognitio obiecti minus vniuerſalis, ſed ſimpliciter magis recedit, quia habet confuſionem.

QVAESTIO IV.

Vtrum Vniuerſale conſiſtat tantum in vocibus, vel conceptibus.

1 NAturam vniuerſalem, quam ſpeculatur intellectus, eſſe vnam in multis apud omnes conſtat: vnitatem, & multitudinem quæ primo aſpectu videntur opponi, ſimul cōponere, hoc opus, hic labor eſt: hæc enim duo,

quæ

quæ viciſſim repugnant, non videntur poſſe coniungi ſine aperta implicatione terminorum.

2. Hunc nodum de concordia vnitatis cum multitudine in conceptu vniuerſali exiſtimarunt inſolubile Nominales vna cum Ochamo, qui huius ſectæ creditur princeps, adeoque nodum ne ſoluerent, obtruncarunt, dicentes nullam eſſe naturam vniuerſalem, ſed terminum vniuerſalem eſſe tantum vnam vocem communem pluribus, vel ſaltem vnam cognitionem repræſentantem plura. Ad hanc ſententiam ferendam de vniuerſali, ex duplici capite mouentur primo, quia nihil eſt in mundo, quod ſingulare non ſit, ergo vniuerſale non eſt in rebus, ergo vniuerſale conſiſtit in voce, vel ſaltem in cognitione. Secundo quia Ariſtoteles in primo de anima cap. 1. ait *vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt*.

3. Hæc ſententia eſt apertè falſa, eamque vt euidenter falſam reijciunt Ariſtoteles in quarto metaphyſicæ cap. 1. S. Thomas in opuſculis de vniuerſalibus, Scotus, Albertus Magnus, Suarez. Vaſquez: & hæc ſententia, vt optimè notat C. Tioletus quæſt. 2. de Vniuerſalibus fuit communis apud omnes Philoſophos, tam Latinos, quàm Græcos.

4 Ratio cur vniuerſale non conſiſtat in ſolis vocibus, vel cognitionibus, eſt primo, quia in hac propoſitione *homo eſt animal*, in qua affirmatur prædicatum vniuerſale, non prædica-

tur,

gur, neque vox, neque cognitio, ergo vniuerſale non conſiſtit in ſolis vocibus. Antecedens probatur, quia ſi prædicatur vox, vel cognitio: propoſitio eſt falſa: nam iſta vox *homo* non eſt hæc vox *animal*, idem dico de cognitione, qua cognoſcitur homo, & de cognitione, qua cognoſcitur *animal.* huiuſmodi enim cognitiones ſunt realiter diſtinctæ, adeoque vna non poteſt verè affirmari de alia, hinc eſt, quod omnes propoſitiones æternæ veritatis euaderent falſæ, ſi vniuerſale logicum conſiſteret in ſolis vocibus, vel conceptibus mentis.

5. Secundò vniuerſale debet eſſe in illis rebus, de quibus eſt prædicabile, ſed neque voces, neque cognitiones ſunt in illis rebus, de quibus vniuerſale eſt prædicabile, ergo vniuerſale non conſiſtit in ſolis vocibus, vel conceptibus mentis, Maior eſt certa, quià propoſitio eſt vera, vel falſa eo quòd res affirmata per propoſitionem verè eſt, vel verè non eſt. Minor patet, quià dùm dico Petrum eſſe animal, neque iſta vox *animal*, neque cognitio repræſentans animal eſt verè in Petro, vt eſt manifeſtum.

6. Hinc eſt, quòd natura vniuerſalis non poteſt conſiſtere in vocibus, vel ſolis cognitionibus, ſed debet eſſe in illis rebus, de quibus hæc ipſa natura prædicatur.

7. Argumenta partis contrariæ nullius momenti ſunt, quià prædicata vniuerſalia ſunt in rebus ſingularibus, licet non ſint ſeparata realiter

liter à ſingularibus: ſunt enim ſeparata ſolùm formaliter, & præciſiuè, quatenus intellectus præſcindit à Petro naturam hominis, eamque conſtituit logicè vnam, & prædicabilem de pluribus. Ariſtoteles tantum abeſt, vt ſit in hac ſententia, in qua ſunt Nominales, vt potiùs contrariam doceat, ait enim in primò Perihermenias, rerum quaſdam eſſe ſingulares & quaſdam vniuerſales, vnde conſtat prædicata realia, alia eſſe ſingularia, vt prædicatum Petri, alia vniuerſalia, vt prædicatum hominis. Quòd ſi Ariſtoteles ait vniuerſale, aut nihil eſſe, aut poſteriùs eſſe, loquitur de modo, quo natura vniuerſalis ſeparatur à ſingularibus, qui modus conſiſtit in ſeparatione formali & præciſiua.

QVAESTIO V.

Vtrum natura vniuerſalis ſit phyſicè vna & phyſicè ſeparata à ſingularibus.

1. Reiecta ſchola Nominalium, qui difficultatem petitam ex concordia vnitatis cum multitudine, vocibus eludunt, à quibus accepit nomen hæc ſchola: occurrunt Platonici, qui viam contrariam ineuntes in ea olim ſententia fuere vnà cum Diuino ſuo præceptore, quòd nullo intellectu cogitante natura vniuerſalis vna ſit, & multiplex, adeoque, natu-

natura hominis ſit phyſicè vna , & phyſicè multiplex , immò , quòd eſt valdè mirabile , phyſicè ſeparata à rebus ſingularibus , cum quibus habet phyſicè identitatem : ea de cauſa circà naturam vniuerſalis ſplendidè hallucinati , quòd falsò crederent , teſte Ariſtotele , res eſſe in rerum natura eo modò , quo ſunt in mente : cum enim homo exiſtat in mente vniuerſaliter à ſingularibus ſeparatus; opinati ſunt eodem modò eſſe in mundo vnum hominem , quem proindè appellant vniuerſalem , æternum , immaterialem , indefectibilem , & ideam omnium hominum . Hinc omnes homines, qui ab orbe condito fuere , & vſque ad ſupremam mundi diem procreabuntur , participant identicè hunc hominem idealem , verè de ſingulis prædicabilem : eo enim pacto , quo ſigillum impreſſum ceræ format infinitas imagines ſui ; homo ille vniuerſalis , qui ſeparatus ab omni labe materiæ viuit in ſpatijs imaginarijs , format varios homines ſimiles ſibi , eo quòd contrahitur ad varia indiuidua . In hunc modum philoſophantur de equo , leone , cæteriſque naturis vniuerſalibus , quaſi extra diuinum intellectum exiſtant intelligibiles ideæ , equi, leonis, eparatæ à ſingularibus , & de ſingularibus prædicabiles .

2. Ecce tibi ſententiam plus falſitatis, quam veri habentem , adeoque modulandam potius à Poetis inter muſas , quam à Philoſophis in lycæo recitandam . An verè in hunc ſplendidum

dum errorem inciderit Diuinus Plato, res eſt incerta, variant enim Authores; incidiſſe ait Ariſtoteles, qui eius doctrinam audiuit in Græcia: negant Seneca, & S. Auguſtinus, qui nihil aliud ſignificari volunt à diuino hoc Philoſopho per huiuſmodi naturam rerũ vniuerſalium, quàm ideas rerum omnium exiſtere in mente Diuina vt docet lumen naturæ, & lumen fidei, iuxta illud Io: primo *omnia quæ facta ſunt in ipſo vita erant*. Certum mihi eſt, vel Platonem falſum, vel Ariſtotelem impium, & mendacem fuiſſe. Hinc quià non poteſt vnus excuſari, quin alius accuſetur, cauſam relinquimus indeciſam, vtpotè nullius momenti. Ad rem igitur noſtram veniamus, iudicium ferendo de huiuſmodi natura vniuerſali, quæ vſus inualuit, vt appelletur vniuerſale Platonicum.

3. Noſtra ſententia eſt: repugnat in terminis natura vniuerſalis phyſicè vna, & phyſicè ſeparata à ſingularibus, ſiue vniuerſale Platonicum: ità Ariſtoteles, & S. Thomas cum omnibus Philoſophis.

4. Probatur primo: repugnat in terminis natura realiter vna, & realiter non vna, ſed natura vniuerſalis phyſicè ſeparata à ſingularibus eſt natura vna realiter, & non vna realiter, ergo in terminis repugnat. Minor probatur, quià huiuſmodi natura eſt realiter vna, vt Platonici concedunt, non eſt realiter vna, quià eſt multiplex, cum multiplicetur in ſingularibus, vnum enim, & multiplex eodem modo op-

ponuntur, quo eſſe, & non eſſe.

5. Confirmatur argumentum: quià eſſe diuiſum, & eſſe indiuiſum opponuntur contradictoriè, quod enim eſt diuiſum, in ea ratione, in qua eſt diuiſum, vtique non eſt indiuiſum; ſed eſſe vnum formaliſſimè eſt eſſe indiuiſum, & eſſe multiplex eſt formaliſſimè eſſe diuiſsũ; vt docet Ariſtoteles in 10.metaphyſicæ, ergo vnũ, & multiplex opponuntur cõtradictoriè, ergo natura realiter vna, & realiter multiplex eſt chimæra, ergo repugnat natura vniuerſalis phyſicè, & realiter à ſingularibus ſeparata.

6. Probatur ſecundò, arguendo ad hominem contra Platonẽ, qui cõuincitur negare naturã vniuerſalẽ realiter ſeparatãà ſingularibus, eo ipſo quòd affirmat huiuſmodi naturam, hoc argumento: natura vniuerſalis, eo ipſo, quòd eſt vniuerſalis, eſt natura æterna, incorruptibilis, neceſſaria, & ſeparata ab omni materia, ſed huiuſmodi natura, eo ipſo, quod eſt æterna, non eſt vniuerſalis, ergo ex ipſa Platonis ſententia arguitur naturam vniuerſalem à ſingularibus realiter ſeparatam eſſe vniuerſalem, & ſimul non eſſe vniuerſalem, adeoque eſſe chimæram. Maior continet ſententiam Platonis, qui vt narrat Ariſtoteles in ſua metaphyſica, exiſtimauit non poſſe verificari illud principium *cognitum eſt in ſeipſo, ſicuti eſt in cognoſcente*; niſi obiectum ſcientiæ ſit aliquid neceſſarium, & exiſtat phyſice natura vniuerſalis, æterna, & neceſſaria. Minor probatur, quia homo vni-

uer-

Digitized by Google

uerſalis non poteſt eſſe vniuerſalis, niſi exiſtat in Petro, & cæteris hominibus, per identitatem: ſed homo, qui eſt in Petro, & cæteris hominibus per identitatem, non poteſt eſſe neceſſarius, æternus, & ſeparatus ab omni materia, quia Petrus & cæteri homines ſunt ſubſtantiæ contingentes, materiales, & mortales, mortuo enim Petro moritur homo à Petro indiſtinctus ergo &c.

7. Probatur tertiò: huiuſmodi naturæ vniuerſales, quas exiſtimauit Plato realiter exiſtere, ea de cauſa, vt eſſent obiectum ſcientiæ, nihil conducunt ad ſcientias acquirendas quarum obiectum eſt vniuerſale, ergo huiuſmodi naturæ ideales non exiſtunt. Cõſequentia eſt euidens: antecedens probatur, quia ſcientia, quam intellectus habere deſiderat, debet eſſe de illis rebus, quæ cadunt ſub ſenſus, & ſunt materiales; intellectus enim per phyſicam deſiderat ſcire, quid ſit corpus naturale, cuius habet experientiam, & per mathematicam quid ſit corpus extenſum, & quantum: ad habendas huiuſmodi ſcientias nihil conducunt ideæ Platonicæ, vt patet, quia habent naturam longè diuerſam à ſingularibus.

8. Confirmatur, quia huiuſmodi naturæ, quæ, vt docent Platonici, exiſtunt realiter à ſingularibus ſeparatæ, vel ſunt factæ, vel non factæ, neutrum dici poteſt; ergo non dantur. Minor probatur: non poteſt dici, non eſſe factas à Deo, quia nihil exiſtit, quod non ſit

factum á Deo, quidquid enim in mundo exiſtit, vel eſt Deus, vel eſt factum à Deo: non poteſt dici huiuſmodi ideas eſſe factas à Deo, quiá nihil factum à Deo eſt neceſſarium, & æternum, quidquid enim creauit Deus, creauit liberè, & in tempore.

9. Obijcies primò, quidquid producitur in mundo eſt ſingulare; ergo debet eſſe aliquid vniuerſale ſeparatum à ſingularibus; quod ſit cauſa ſingularium. Conſequentia probatur, quiá omnia ſingularia, quæ producuntur in mundo, fiunt ad imitationem alicuius vniuerſalis, à quo tanquam à cauſa ideali pro ducuntur; ità videmus domum ſingularem fieri ab artifice ad imitationem domus idealis: ergo præter hominem ſingularem debet eſſe homo vniuerſalis; ad cuius imitationem fiunt omnes homines.

10. Reſpondetur hoc argumento, quo probatur à Platone per viam cauſalitatis vniuerſale ſeparatum realiter à ſingularibus, euidenter probari exiſtere formas, ſiue imagines omnium rerum, quæ ſunt in mundo, in aliqua idea; hoc eſt in mente diuina. In formà concedo antecedens, & nego conſequentiam: ad eius probationem dico inductione rerum artificialium, quæ non poſſunt fieri ſine aliqua idea euidenter demonſtrari aduerſus Atheiſtas, qui dicunt inſipienter in corde ſuo *non eſt Deus* res omnes naturales non eſſe à fortuna, vel caſu, ſed ab aliquo intellectu, in cuius mente viuunt ideæ omnium rerum producendarum. Hinc

Ari-

Ariſtoteles demonſtrat opus naturæ eſſe opus intelligentiæ; hoc eſt, vt egregiè explicat S. Thomas in prima parte quæſt. 14. art. 5. opus Diuini intellectus habentis in ſe imagines omnium rerum; cæterum non video, quomodo Plato potuerit ponere ideas rerum omnium extra diuinum intellectum exemplo rerum artificialium, quod probat oppoſitum, idea enim domus faciendæ debet eſſe tantùm in mente artificis.

11. Deinde argumentando eadem via causalitatis, demonſtratur eſſe inutiles, & vanas ideas Platonicas, quià id, quod requiritur tamquam cauſa ad effectum, vel requiritur vt cauſa vniuoca, vel vt cauſa æquiuoca, ſed huiuſmodi ideæ non requiruntur, vt cauſa vniuoca, tum quià inter cauſam vniuocam, & effectum datur ſumma ſimilitudo, quæ non datur inter naturam vniuerſalem, & ſingularem, tum quià cauſa vniuoca vnius ſingularis eſt aliud ſingulare, vt Pater Filij: nec requiruntur, vt cauſa æquiuoca, quæ eſt cauſa vniuerſalior, & eminentior effectu, ſatis enim ſunt ad res materiales producendas aliæ cauſæ æquiuocæ, videlicet in genere cauſæ ſecũdæ corpora cæleſtia, & in genere cauſæ primæ Deus, qui eſt idea, ad cuius imitationem omnia fiunt propter continentiam eminentialem omnium perfectionum.

12. Obijcies ſecundò. Si datur homo ſingularis, qui participat naturam humanam,

debet etiam dari homo vniuerſalis, qui participatur ab homine ſingulari, ſed datur homo ſingularis, qui participat naturam humanam, ergo datur etiam homo vniuerſalis qui participatur ab homine ſingulari. Maior probatur, quià eſt optima iſta conſequentia: datur aliquod ens, quod habet eſſe per participationem, ergo datur vnum ens primum, quod ab omnibus participatur, ergo ſimiliter erit optima iſta conſequentia: datur homo ſingularis, qui eſt homo per participationem: ergo datur homo vniuerſalis, qui ab omnibus participatur.

13. Reſpondetur huiuſmodi argumento, quo probat Ideas Plato via eminentiæ, demonſtrari exiſtentiam Dei ſub conceptu entis infinitè perfecti, quod in ſe continet omnes perfectiones, vt acutè probat ex Philoſopho S.Thomas in prima parte quæſt.2. artic. 3. & in primo contrà Gentes cap.13. Argumentum peccat in eo, quòd arguit à ſecundùm quid ad ſimpliciter in hunc modum: in genere entis, in quo reperiuntur ea, quæ participant eſſe; datur ens quod ab omnibus participatur, ergo in genere hominis, in quo eſt Petrus participans naturam humanam, debet eſſe homo vniuerſalis, qui ab omnibus participatur. Conſequentia eſt falſa, quià illud ens, quod participatur ab omnibus ſingularibus hominibus, cæteriſque rebus eſt Deus, qui neque eſt homo, neque Angelus, ſed aliquid infinitè perfectius homine,

ne, & Angelo. In forma ad argumentum, nego ma: ad cuius probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt euidens, quià in eo genere, quod includit perfectionem purā, valet cōſequentia ab ente, quod participat ad ens, quod participatur: ità quià exiſtit bonū finitum, exiſtit etiam bonū infinitū; quià exiſtit verū finitū, exiſtit etiam verū infinitum: quià exiſtit intellectus, qui eſt finitus in genere intellectus, debet etiam exiſtere intellectus in eodem genere infinitus ſed in eo genere quod includit perfectionē mixtā cū imperfectione nō valet cōſequentia ab ente quod participat ad ens, quod participatur, quià ens, quod participatur; eſt in genere, & ordine ſuperiori. Ratio à priori eſt, quià inter perfectionem puram præciſiuè, & perfectionem imperfectam, adeoque formaliter imperfectam illud intereſt, quod licet vtraq; poſſit prædicari de ente participato, & participāte, illa tamen perfectio, quę eſt perfectio pura pręciſiuè, inuenitur formaliter in Deo, illa è contrario, quæ eſt perfectio formaliter imperfecta, reperitur ſolum eminenter in Deo. Præterea ridendus omnino eſſet; qui ità argueret: exiſtit ens increatum, quià exiſtit ens creatum, ergo exiſtit homo increatus, quia exiſtit homo creatus: eodem modo ridendus eſt Plato, qui arguit exiſtere hominem vniuerſalem ab omnibus participatum, quià exiſtit homo ſingularis.

14. Obijcies vltimo. Intellectus definiendo

& demonſtrando hominem habet ſcientiam de homine, ſed intellectus definiendo hominem non habet pro obiecto hominem ſingularem; ergo habet pro obiecto hominem vniuerſalem ſeparatum realiter à ſingularibus. Conſequentia probatur: quià cognitum debet realiter eſſe in ſe ipſo, ſicuti eſt in cognoſcente, ſed homo qui definitur eſt in cognoſcente abſtractus ab omnibus ſingularibus, ergo debet realiter eſſe ab omnibus ſingularibus ſeparatus.

15. Reſp. hoc argumento, quo probat Plato vniuerſale realiter à ſingularibus ſeparatum per viam ſcientiæ, non probari niſi vniuerſale formaliter, & præciſiuè à ſingularibus ſeparatum; in forma cõcedo ma: & min: & diſtinguo conſequens, ergo intellectus definiens hominem habet pro obiecto hominem vniuerſalem realiter ſeparatum à ſingularibus: nego conſequentiam: ſeparatum formaliter, ſiue præciſiuè concedo conſequentiam. Ad eius probationem diſtinguo maiorem; cognitum debet eſſe realiter in ſe ipſo, ſicuti eſt in cognoſcente, hoc eſt cognitum debet ità eſſe, ſicuti affirmatur eſſe: concedo ma: debet eodem modo eſſe in ſeipſo, ſicuti eſt in cognoſcente: nego ma: & conceſſa minori, nego conſequentiam.

16. Hoc principium: *cognitum eſt in ſe ſicuti eſt in cognoſcente*: duplicem ſenſum habet, in quorum vno eſt verum, in alio falſum, vt oſtenſum eſt diſp. 2. quæſt. 2. Addo quod ex iſto prin-

principio malè intellecto duo errores contrarij originem habuerunt: vnus eorum, qui negabant omnem ſcientiam, & vocabantur Academici, alius eorum qui ponebant naturas vniuerſales realiter ſeparatas à ſingularibus, & vocabantur Platonici.

QVAESTIO VI.

Vtrum natura vniuerſalis ſit intrinſecè vna in ſtatu actuali, vel poſſibili.

1. VNitatem naturæ vniuerſalis, quam ſeparatam phyſicè à ſingularibus falsò opinantur Platonici, non poſſe componi cum multitudine huc vſque demonſtratum eſt: videndum reſtat, an Scotus, & Fonſeca modum habeant vnitatis conciliandæ cum multitudine, qui nimirum in ea ſunt opinione, quòd neceſſe non ſit confugere ad cognitionem præciſiuam, vt redigantur in concordiam vnitas, & multitudo: quæ conſtituunt naturam vniuerſalem. Vterque Doctor conuenit contra Platonem, quòd natura vniuerſalis nō ſit phyſicè ſeparata à ſingularibus: conuenit inſuper inter illos, quòd eadem natura ſit vna vnitate intrinſeca; differunt inter ſe, quià Scotus ait naturam actu exiſtentem eſſe intrinſecè vnam, adeoque naturam hominis, quæ eſt in ſingulis hominibus, eſſe intrinſecè vnam naturam: cenſet enim iſte Doctor beneficio diſtin-

ſtin-

ſtinctionis formalis ex natura rei, quam appellat mediam, vt dictum eſt diſp. 3. quæſt. 2. num. 5. componi vnitatem cum multitudine, dicendo naturam humanam eſſe vnam formaliter, ſiue vnam ſpecie, & multiplicatam realiter multiplicatione numerica. Fonſeca è contrario docet naturam vniuerſalem eſſe vnam in ſtatu poſſibilitatis, non in ſtatu exiſtentiæ. Hinc credit componi vnitatem cum multitudine, eo quòd multitudo eſt in ſtatu actualis exiſtentiæ, vnitas verò in ſtatu poſſibilitatis, vt igitur conſtet, quàm inepta ſit vtraque ſententia ad concordiam vnitatis cum multitudine, de quâ in præſenti diſputatur.

2. Dicendum primo repugnare in terminis naturam vniuerſalem intrinſecè vnam in ſtatu actualis exiſtentiæ.

3. **Probatur eodem argumento, quo in quæſtione præcedenti nu. 4. probatum eſt contra Platonem repugnāte naturam vniuerſalem realiter ſeparatam à ſingularibus. Repugnat aliquam naturam eſſe intrinſecè vnam, & non eſſe intrinſecè vnam: ſed natura vniuerſalis intrinſece vna eſt natura intrinſecè vna, & intrinſecè non vna: quià eſt intrinſecè multiplex; ergo repugnat natura vniuerſalis, quæ eſt intrinſecè vna. Huic argumento, quod eſt validiſſimum, conatur Scotus reſpondere diſtinctione illa media, quam recognoſcit inter naturam humanam Petri, & ipſum Petrum, ſed hæc diſtinctio, quam oſtendimus diſp. 3. qu. 2. num.**

num. 1. repugnare in terminis, non poteſt ſoluere prædictum argumentum.

4. Dicendum ſecundò: naturam vniuerſalem non eſſe intrinſece vnam in ſtatu poſſibilitatis, qui eſt ſtatus indifferentiæ realis, quam habet natura, vt exiſtat, vel non exiſtat.

5. Probatur argumento ad hominem. Natura humana in ſtatu actualis exiſtentiæ, in quo intelligitur contracta ad Petrum, & Paulum, non eſt vna intrinſecè vnitate vniuerſali; vt cōcedunt aduerſarij: ergo neque in ſtatu poſſibilitatis, ſiue realis indifferentiæ ad exiſtendum vel non exiſtendum, eſt vna intrinſecè vnitate vniuerſali. Conſequentia probatur; quia natura humana eſt eadem eſſentialiter in ſtatu actualis exiſtentiæ, atque in ſtatu poſſibilitatis; eſt enim idem homo qui nunc exiſtit, ac homo qui erat poſſibilis, antequam exiſteret; ergo natura humana vel eſt vna intrinſecè vnitate vniuerſali in vtroque ſtatu, vel in neutrô: non eſt intrinſecè vna in vtroque ſtatu; ergo in neutro. Antecedens patet primò, quia idem eſt eſſentialiter homo, qui actu exiſtit, ac ille qui poterat exiſtere. Secundò, quia eadem definitione definitur homo exiſtens, & homo poſſibilis; ergo totum id, quod ſpectat ad eſſentiam hominis poſſibilis, eſt etiam eſſentiale homini exiſtenti.

6. Probatur ſecundò: quidquid non poteſt actu exiſtere, non eſt poſſibile; adeoque nullus eſt ſtatus poſſibilis, in quo poſſit verè conſi-

conſiderari, ſed natura intrinſecè vna vnitate vniuerſali non poteſt actu exiſtere, ergo non eſt poſſibilis, ergo ſtatus poſſibilitatis, in quo fingitur naturam vniuerſalem eſſe intrinſecè vnam, eſt impoſſibilis. Minor continet ſententiam, in qua ſunt aduerſarij; maior eſt ità euidens, vt otioſum ſit eam vlterius demonſtrare: chimæra enim ideò eſt impoſſibilis, quià numquam poteſt eſſe aliqua hypotheſis, in qua realiter exiſtat.

7. Neque hic audiendum cenſeo Caietanum, qui vt defendat naturam vniuerſalem in aliquo ſtatu eſſe intrinſecè vnam, ait in quarto de ente, & eſſentià quæſt. 6. naturam humanam eſſe vnam ſecundùm ſe in omnibus hominibus, eſſet enim vna, ſi à ſingularibus foret ſeparata, & diſtincta, adeoque ait impediri à ſingularibus, cum quibus habet identitatem, quo minus ſit intrinſecè vna: hæc enim ſententia, quam habet ſingularem Caietanus, nullam habet ſpeciem veri; quià illud, quod eſt poſſibile in hypotheſi impoſſibili, eſt abſolutè impoſſibile; ſed natura humana iuxta hanc opinionem eſt intrinſecè vna in hypotheſi diſtinctionis, & ſeparationis realis à ſingularibus, quæ hypotheſis eſt impoſſibilis, ergo natura vniuerſalis intrinſecè vna eſt abſolutè impoſſibilis.

8. Hinc collige naturam humanam, quæ in hominibus multiplicatur (quod dico de natura humana, intellige proportionaliter de

qua-

quacumque alia natura)ſecundùm ſe acceptam in ſtatu reali, ſiue actuali, ſiue poſſibili, nihil aliud tandem eſſe, quàm naturam humanam in Petro cæteriſque hominibus verè exiſtentem; vnde ſequitur eo modo diſtingui humanam naturam Petri à natura humana Pauli, quo diſtinguitur Petrus à Paulo. Quod ſi ad alium ſenſum traducatur iſta propoſitio: *Natura humana ſecundum ſe eſt realiter vna*, eſt falſa, & neganda propter argumentum factum.

9. Obijcies primo: natura quæ eſt realiter vna, eſt intrinſece vnà, ſed natura humana eſt realiter vna vnitate ſpecifica, & natura animalis eſt vna vnitate generica, ergo natura vniuerſalis eſt intrinſece vna.

10. Minor probatur, quià nullo intellectu cogitante omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei & omnia animalia eiuſdem generis. Confirmatur, quià natura indiuiſa in ſe, & diuiſa à quocũque alio eſt natura vna, ſed natura humana eſt realiter indiuiſa in ſe, & diuiſa à quocumque alio, videlicet à natura Equi, & Leonis; ergo eſt realiter vna:

11. Reſpondeo conc: ma: & nego min: ratio eſt, quià animal rationale, quod eſt eſſentia hominis, eſt idem realiter cum Petro: quià inter gradus metaphyſicos nulla datur diſtinctio intrinſeca; Hinc eſt, quod ſicuti Petrus non eſt Paulus, ita Animal rationale, quod eſt in Petro, non eſt illud animal rationale, quod eſt in Paulo, adeoque homo, qui præ-

dica-

dicatur de Petro, non poteſt realiter eſſe ille idem homo, qui prædicatur de Paulo, ex quo fit vt inter Petrum, & Paulum nulla detur realis identitas in prædicatis eſſentialibus, & indiuidualibus; quià prædicata eſſentialia Petri ſunt realiter indiſtincta à prædicatis indiuidualibus eiuſdem Petri; adeoque ſunt realiter diſtincta à prædicatis eſſentialibus, & indiuidualibus Pauli. Ad probationem minoris diſtinguo antecedens: Petrus, & Paulus ſunt eiuſdem ſpeciei formaliter: nego antec: ſunt eiuſdem ſpeciei fundamentaliter: conc: ant: & nego conſeq: Petrus, & Paulus ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei, quià habent in ſenſu reali naturam ſimilem, quæ præbet fundamentum intellectui abſtrahendi à Petro, & Paulo naturam humanam vnam ſpecie in ſenſu formali, ſiue in ſtatu præciſiuo. Hinc eſt in ſenſu reali non dari ſpeciem niſi formaliter, vt dicemus infra.

11. Ad confirmationem cauenda eſt diligenter æquiuocatio, quæ committitur inter ſenſum formalem, & realem: natura enim humana in ſenſu reali non eſt vna, ſed multiplex; licet in ſenſu formali ſit vna: hinc eſt tot eſſe in mundo naturas humanas realiter diſtinctas, quot ſunt homines realiter diſtincti; adeoque naturam humanam quæ eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à quocumque alio, eſſe naturam Petri, & naturam Pauli: non eſſe in mundo naturam à Petro, & Paulo præciſam eſt manifeſtum, quià

non

non eſt præciſa niſi in ſenſu formali, cum præciſio non detur niſi in ſenſu formali. In forma ad argumentum conceſſa maiori diſtinguo minorem: natura humana Petri eſt indiuiſa in ſe: conc: mi: natura humana vt ſic: nego ſuppoſitum, & conſequentiam.

13. Obijcies ſecundò; Petrus, & Paulus ſi non ſunt in ſenſu reali eiuſdem ſpeciei formaliter; ſunt diuerſæ ſpeciei formaliter: conſequens eſt euidenter falſum, ergo, & antecedens: ergo Petrus, & Paulus in ſenſu reali ſunt eiuſdem ſpeciei. Maior probatur: quæ non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſunt diuerſæ ſpeciei, ſed Petrus, & Paulus non ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo ſunt diuerſæ ſpeciei.

13. Reſpondetur nego ſuppoſitum maioris, quæ aſſumit eſſe in ſenſu reali vnam ſpeciem formaliter, quod eſt apertè falſum: quià vna ſpecies formaliter eſt formaliſſimè natura abſtracta à ſingularibus; ſed repugnat in ſenſu reali natura abſtracta à ſingularibus, vt demonſtratum eſt; ergo repugnat in ſenſu reali vna ſpecies formaliter. Ad probationem maioris nego ma: quià in ſenſu reali Petrus, & Paulus neque ſunt eiuſdem, neque diuerſæ ſpeciei formaliter, quià ſpecies formaliter non datur in ſenſu reali: reſtat igitur, vt ſint eiuſdem ſpeciei fundamentaliter propter illam ſimilitudinem quam habent in prædicatis eſſentialibus.

14. Vigebis efficacius: falſum eſt Petrum in

in ſenſu reali eſſe eiuſdem ſpeciei formaliter, ergo verum eſt in ſenſu reali non eſſe eiuſdem ſpeciei formaliter: ergo verum eſt in ſenſu reali eſſe diuerſæ ſpeciei formaliter: quià eſſe diuerſæ ſpeciei formaliter, & non eſſe eiuſdem ſpeciei formaliter ſunt termini conuertibiles.

15. Reſpondetur: concedo primo enthimemate nego ſecundam conſequentiam: ſicuti enim homo, qui non exiſtit, nimirum Antichriſtus, neque vigilat, neque dormit, licet homo, qui exiſtit, vel vigilet, vel dormiat; Ità Petrus & Paulus in ſenſu reali, neque ſunt eiuſdem, neque diuerſæ ſpeciei formaliter. Ratio vtrobique eſt eadem, quià vtrobique ſuppoſitum eſt falſum; quemadmodum enim falſum eſt Antichriſtum nunc eſſe, *ità* eſt falſum eſſe in ſenſu reali ſpeciem formaliter: hinc eſt iſtas propoſitiones non eſſe conuertibiles. *Petrus & Paulus non ſunt in ſenſu reali eiuſdem ſpeciei formaliter: Petrus & Paulus ſunt in ſenſu, reali diuerſæ ſpeciei formaliter:* nō enim vtraq; propoſitio eſt vera, ſed prima eſt vera & ſecunda falſa. Hinc patet, quid ſit dicendum ad illud argumentum, quo arguitur Petrum, & Paulum eſſe diuerſæ ſpeciei in ſenſu reali, eo quòd in ſenſu reali non ſunt eiuſdem ſpeciei.

16. Obijc. tertiò: magis differunt in ſenſu reali, Petrus, & Leo, quàm Petrus & Paulus: ergo Petrus & Paulus ſunt in ſenſu reali magis vnum, quàm Petrus & Leo; ſed Petrus & Paulus

lus

lus non ſunt vnum vnitate numerica: ergo ſunt vnum vnitate ſpecifica.

17. Reſp. concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo Petrus & Paulus ſunt magis vnum vnitate ſimilitudinis, quàm Petrus & Leo: concedo conſequentiam: ſunt magis vnum vnitate identitatis: nego conſequentiam: deinde concedo antecedens ſubſumptum & diſtinguo conſequens: ergo ſunt vnum vnitate ſpecificà fundamentaliter: concedo conſequentiam: formaliter nego conſequentiam. Hoc argumentum euidenter probat maiorem ſimilitudinem inter Petrum & Paulum, quàm inter Petrum & Leonem; quod nemo eſt qui audeat negare: hinc tamen non infertur vnitas identitatis, quæ requiritur ad vniuerſale formale, quod eſt vnum in multis.

18. Obijc. quarto. Petrus & Paulus habent eamdem eſſentiam, ſed ea, quæ habent eamdem eſſentiam, habent vnitatem ſpecificam ſibi communem: ergo Petrus & Paulus habent vnitatem ſpecificam ſibi communem; ergo nullo intellectu cogitante natura humana eſt vna vnitate vniuerſali.

19. Reſpondeo diſtinguo ma: Petrus & Paulus habent eſſentiam eamdem in ſenſu reali, nego maiorem: eamdem in ſenſu formali: concedo maiorem, & eodem modo diſtinguo minorem & conſequens. Eſſentia Petri diſtinguitur realiter ab eſſentia Pauli, non minùs quàm ab eſſentia leonis; quià tàm Petrus diſtingui-

tur à Paulo, quàm à leone: eadem eſſentia Petri, quæ diſtinguitur realiter, & formaliter ab eſſentia leonis, non diſtinguitur formaliter ſiuè præciſiuè ab eſſentia Petri. Ratio eſt, quià intellectus cognoſcens eſſentiam Petri non cognitis accidentibus, per quæ diſcernitur à Paulo, confundit Petrum cum Paulo, adeoque confundit vtriuſque eſſentiam, quæ proindè vocatur eadem præciſiuè in Petro & Paulo. Hinc conſtat, quomodo illa ratio, quæ ſignificatur per terminum communem, eadem ſit in omnibus de quibus prædicatur, eſt enim eadem in ſenſu formali, non in ſenſu reali; adeoque Petrus & Paulus, qui in ſenſu reali ſunt duo homines, in ſenſu formali ſunt vnus & idem homo.

26. Obijc. quinto. Natura humana in eo ſtatu, in quo intelligitur vna, intelligitur vniuerſalis; ſed in ſtatu poſſibilitatis intelligitur vna, ergo in eodem ſtatu intelligitur vniuerſalis, ergo nullo intellectu cogitante natura humana eſt vna. Minor probatur, quià tunc intelligitur vna, quandò intelligitur indifferens, vt ſit in Petro vel Paulo: ſed in ſtatu poſſibilitatis intelligitur indifferens, nondùm enim intelligitur contracta ad Petrum, ergo &c.

21. Reſpondeo concedo ma: & nego minorem: ad eius probationem conceſſa maiori diſtinguo minorem: nondùm intelligitur contracta ad Petrum exiſtentem: concedo minorem: ad Petrum poſſibilem; nego minorem;

&

& conſequentiam. Natura humana, quæ eſt identificata cùm Petro, eumque conſtituit hominem à cæteris diſtinctum, numquam fuit indifferens in ſenſu reali, vt eſſet in Petro, potiùs quàm in Paulo, ſicuti Petrus numquam fuit indifferens, vt eſſet Petrus, autem Paulus propter intrinſecam repugnantiam, quam habet Petrus vt ſit idem realiter cum Paulo. Hinc eſt, quòd ſtatus poſſibilitatis abſtrahens à ſtatu exiſtentiæ eſt ſtatus indifferentiæ, quem habet natura Petri, vt actu exiſtat, vel actu non exiſtat; ſed nullo modo eſt ſtatus indifferentiæ, quàm habet natura humana vt ſit in Petro, potiùs, quàm in Paulo: ideò natura humana Petri in ſtatu poſſibilitatis eſt contracta ad Petrum poſſibilem, ſicuti ea in ſtatu exiſtentiæ eſt contracta ad Petrum exiſtentem: dixi de induſtriâ naturam humanam in nullo ſtatu eſſe indifferentem in ſenſu reali, vt ſit in Petro potiùs quàm in Paulo, quià ſi ſermo ſit de indifferentiâ in ſenſu formali, quæ vocatur indifferentia præciſiua, nullum eſt dubium, quin natura humana ſit indifferens hoc genere indifferentiæ, ſed iſta indifferentia arguit naturam humanam eſſe vnam præciſiuè, & in ſenſu formali; quòd à nobis ſine vlla controuerſia admittitur.

22. Obijc. ſexto. Natura humana ſecundùm ſe non eſt multiplicata, ſed natura, quæ ſecundùm ſe non multiplicatur, eſt natura ſecundùm ſe vna, ergo natura humana ſecun-

dùm ſe eſt vna in ſenſu reali. Confirmatur primò, quià natura humana ſecundùm ſe eſt apta ad exiſtendum in multis, ergo eſt vna. Secundò quià homo ſecundùm ſe non eſt particularis, ergo ſecundùm eſt vniuerſalis.

23. Reſp. diſtinguo ma: natura humana ſecundùm ſe eſt multiplicata in pluribus hominibus, qui habent eſſentiam vnam vnitate identitatis: nego ma: vnam vnitate ſimilitudinis concedo ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam: multiplicabilitas, quæ conuenit naturæ humanæ, & cæteris naturis materialibus in eo præcisè conſiſtit, quòd poſſunt eſſe plures ſubſtantiæ, quæ habent ſimilitudinem in prædicatis eſſentialibus.

24. Ad primam confirmationem diſt: antecedens: natura humana, eſt apta ad exiſtendum formaliter: nego antecedens eſt apta fundamentaliter concedo antecedens: & diſtinguo conſequens, ergo eſt vna vnitate ſimilitudinis: concedo conſequentiam: eſt vna vnitate identitatis: nego conſequentiam.

25. Ad ſecundam confirmationem concedo antecedens: & nego conſequentiam: homo ſecundùm ſe neque eſt particularis, neque vniuerſalis. Ratio eſt, quià ſi ſecundùm ſe eſſet particularis, non poſſet fieri ab intellectu vniuerſalis per cognitionem præciſiuam: eodem pacto ſi ſecundùm ſe eſſet vniuerſalis, non poſſet eſſe particularis, adeoque nullus homo foret ſingularis. Cæterum non eſſe bonam huiuſmo-

iuſmodi conſequentiam, eſt euidens, quià male arguit, qui in hunc modum argumentatur, Paries eſſentialiter non eſt albus, ergo eſſentialiter eſt niger, quià paries ſecundùm prædicata eſſentialia neque eſt albus, neque niger, immò neque albus, neque non albus.

QVAESTIO VII.

Vtrum natura vniuerſalis ſit vna vnitate ſimilitudinis.

1. EXcluſa à natura vniuerſali vnitate reali, quocumque tandem nomine ea appelletur, debemus ferre iudicium de quadam ſententia, in quam videntur inclinare aliqui ex ſchola Scoti, quòd videlicet natura vniuerſalis nullo intellectu cogitante ſit natura vna; quià vnitas ſimilitudinis, quæ indubitanter reperitur inter omnes homines, ſatis eſt, cur homo conſtituatur, & denominetur vnus vnitate vniuerſali. Hinc cenſent ad conſtituendum vniuerſale formale, non eſſe opus vnitate præciſiua, quæ conſiſtit in cognitione præciſiua: eodem modo philoſophandum eſt de cæteris rebus, quæ in vnam ſpeciem vel in vnum genus conſpirant. Ratio, quæ mouet hos Philoſophos ad hoc opinandum eſt, quià vnitas, quæ conſtituit vniuerſale formale, non debet opponi multitudini reali, ſed ſola vnitas ſimili-

litudinis non opponitur reali multitudini; quià non repugnat plures homines eſſe vnum vnitate ſimilitudinis, ergo vnitas, quæ conſtituit vniuerſale formale, eſt vnitas ſimilitudinis. Prætereà vnitas prædicabilitatis de pluribus eſt vnitas vniuerſalis formalis; ſed vnitas ſimilitudinis eſt vnitas prædicabilitatis de pluribus; ergo eſt vnitas vniuerſalis formalis.

2. Hæc ſententia mihi diſplicet, non quià vnitatem ſimilitudinis realem affirmat, id enim eſt indubitatum, ſed quià docet hanc vnitatem eſſe vnitatem vniuerſalis formalis: cum hoc apertè ſit falſum: vt demonſtro hoc ſyllogiſmo. Vnitas requiſita ad faciendum vniuerſale eſt vnitas identitatis, ſed vnitas ſimilitudinis non eſt vnitas identitatis, ergo vnitas ſimilitudinis non eſt ſufficiens ad faciendum vniuerſale formale. Minor eſt certa, quià de conceptu ſimilitudinis eſt multitudo; ſimilia enim in quantum ſimilia ſunt plura, & diſtincta; ergo vnitas ſimilitudinis non eſt vnitas identitatis. Maior etiam eſt certa, quià vnitas, quæ conſtituit naturam vniuerſalem, eſt quæ denominat naturam vnam, & eamdem in pluribus, adeoque eſt vnitas identitatis.

3. Hinc patet non dari extra intellectum genera & ſpecies formaliter, ſed ſolum fundamentaliter; ratio cur non dentur in ſenſu reali genera & ſpecies formaliter, eſt quià genus formaliter & ſpecies formaliter nihil aliud ſunt, quàm natura communis pluribus, ſed

in

in ſenſu reali non datur huiuſmodi natura; ergo in ſenſu reali non datur genus & ſpecies formaliter. Ratio cur in ſenſu reali detur genus, & ſpecies fundamentaliter eſt, quia in ſenſu reali datur vnitas ſimilitudinis inter omnes homines, quæ præbet intellectui fundamentum abſtrahendi ab omnibus hominibus naturam vnam ſpecie, ergo datur in ſenſu reali ſpecies fundamentaliter:

4. Hinc patet ad argumentum partis oppoſitę, duo enim requiruntur ad illam vnitatem, quę conſtituit naturam vnam vnitate vniuerſali: In primis debet huiuſmodi vnitas nullam habere repugnantiam cum multitudine; deinde debet eſſe vnitas identitatis; Natura enim vniuerſalis in tantum eſt vna in multis, in quantum eſt eadem in multis, ſed non poteſt eſſe eadem in multis, niſi multa habeant vnitatem identitatis; ergo vnitas identitatis requiritur ad vnitatem vniuerſalis. Vnitas igitur ſimilitudinis, licet non opponatur multitudini, non ſatis eſt ad denominandam naturam vnam vnitate vniuerſalis, quia non eſt vnitas identitatis, adeoque eſt vnitas ſecundùm quid, nimirum vnitas, quæ non eſt vnitas, eo modo, quo homo pictus eſt homo, qui non eſt homo: vnitatem autem ſimilitudinis eſſe vnitatem, quæ non eſt ſimpliciter vnitas eſt manifeſtum, quia multitudo formaliſſimè non eſt vnitas, ſed ſimilitudo formaliſſimè eſt multitudo, quia ſimilia in quantum ſimilia ſunt multa, ergo ſimilitudo formaliſſimè

mò non eſt vnitas, adeoque vnitas ſimilitudinis non eſt vera vnitas, ſicuti homo pictus non eſt verus homo; quò fit ſimilitudinem eſſe potiùs fundamentum vnitatis, quam formalem vnitatem, adeoque conſtituere naturam fundamentaliter vnam, & fundamentaliter prædicabilem de pluribus, non verò formaliter vnam, & formaliter prædicabilem de pluribus.

QAESTIO VLTIMA.

Vtrum natura vniuerſalis ſit vna extrinſecè, & Logicè vnitate præciſionis.

1 S.Thomas in ſept.metaphyſicæ,& in opuſculo de ente, & eſſentia cap 4.quem ſequitur Capreolus in 3. artic.3. diſt.5.q.3.Sotus quæſtione de vniuerſalibus, Durandus & Suarez cum pluribus alijs philoſophis, componit vnitatem vniuerſalis cum multitudine,docendo naturam vniuerſalem, quæ in ſenſu reali eſt multiplex, eſſe vnam in ſenſu formali, quatenus natura humana, quæ realiter multiplicatur in omnibus hominibus, denominatur logicè, & extrinſecè vna à cognitione, quæ præſcindit hominem à Petro, eumque itá præciſum confundit cum cæteris hominibus, quemadmodū enim ea, quæ ſunt realiter indiſtincta, formaliter diſtinguuntur diſtinctione rationis,vt oſtenſum

ſum eſt diſp.3. qu.vlt.nu.7. ità quæ ſunt realiter multa, fiunt formaliter vnum vnitate cognitionis præſcindentis formaliter. Iuxta hanc doctrinam Angelici Doctoris homo eſt vniuerſalis, quatenus intellectus cognoſcit confusè omnes homines, & vnum ab alio non diſcernit; animal ſimiliter eſt vniuerſale; quatenus intellectus cognoſcit confusè omnia animalia, abſque eo, quod diſcernat animal rationale ab irrationali.

2. Hæc ſententia eſt vera, eamque nos ſequimur, quia nulla alia ſatis eſt ad conciliandam vnitatem naturæ vniuerſalis cum ipſa multitudine.

3. Ratio eſt primò, quia vniuerſale formale eſt natura vna in multis, ſed huiuſmodi natura non poteſt eſſe intrinſecè, & phyſicè, ſiue in ſenſu reali vna, vt demonſtratum eſt qu.5.nu. 1.& 2. ergo debet eſſe vna extrinſecè, & Logicè, ſiuè in ſenſu formali, ergo natura vniuerſalis conſtituitur vna per cognitionem, quæ non diſtinguit vnum ab alio.

4. Ratio eſt ſecundò, quia vnum in multis nihil aliud eſt, quam multa realiter diſtincta, non cognoſci, vt diſtincta; ſed multa realiter diſtincta non cognoſci, vt diſtincta, eſt formaliſsimè naturam vniuerſalem eſſe vnam logicè, & extrinſecè, per cognitionem præciſiuam: ergo vnum in multis, quod eſt formaliſſimè natura vniuerſalis, conſtituitur vnum logicè, & extrinſecè per cognitionem præciſiuam. Maior pro-

probatur, quia multi homines, qui habent naturam ſimilem, per hoc præcisè, quòd cognoſcantur confusè ab intellectu non diſtinguente vnum ab alio, cognoſcuntur ſine diſtinctione, adeoque indiſtinctè; quæ verò cognoſcuntur indiſtinctè non cognoſcuntur vt plura, ſed cognoſcuntur vt vnum: ergo intellectus dùm cognoſcit confusè omnes homines, qui habent naturam ſimilem, dat extrinſece hominibus cognitis vnitatem vniuerſalem, ſicuti enim cognoſcendo obiectum denominat illud logicè, & extrinſecè cognitum: ità cognoſcendo omnes homines ità, vt non diſtinguat vnum ab alio cos cognoſcit ſub aliqua ratione vna vnitate vniuerſali. Iſta ratio vocatur ratio hominis, quæ eſt vna, quià nullam inuoluit in ſuo conceptu formali diſtinctionem & multitudinem. Prætereà eſt in multis, quià realiter multiplicatur in ſingulis hominibus, ideò huiuſmodi ratio habet vnitatem vniuerſalem prædicabilem de multis: vndè patet optimè componi in hac ſententia vnitatem cum multitudine, quià non repugnat, vt quæ ſunt realiter multa, ſint formaliter vnum vnitate præciſionis.

5. Hinc colliges primò eſſe perfectionem intellectus poſſe facere vniuerſale, & poſſe extrinſecè, & logicè dare rebus ſingularibus huiuſmodi vnitatem: ratio à priori eſt, quià perfectio intellectus eſt immaterialitas, ratione cuius eſt potentia eleuata ſupra ſenſum; ſed intellectus poteſt facere vniuerſale, quià eſt potentia

tia immaterialis eleuata ſupra ſenſum; ergò eſt perfectio intellectus poſſe facere vniuerſale: Minor probatur, quià poteſt intellectus propter ſuam immaterialitatem cognoſcere res infinitas, ſed res infinitæ non poſſunt cognoſci ab intellectu humano, niſi ſub aliquo conceptu vniuerſali, vt oſtendit S. Thomas in tractatu de vniuerſalibus; ergo intellectus poteſt propter ſuam immaterialitatem facere vniuerſale.

6. Colliges ſecundò, huiuſmodi perfectionem non eſſe puram perfectionem, quæ vocatur à Theologis perfectio ſimpliciter ſimplex; hoc eſt perfectio ſeparata ab omni imperfectione, ſed eſſe perfectionem eſſentialiter imperfectam, hoc eſt mixtam cum imperfectione. Ratio eſt, quià facere vniuerſale eſt cognoſcere infinita ſingularia confusè, & indiſtinctè, ſed cognoſcere confusè & indiſtinctè eſt cognoſcere imperfectè, cum obſcuritas, & indiſtinctio ſit defectus cognitionis, ergo &c.

7. Colliges tertiò, meritò dixiſſe Ariſtotelem in ſecundo poſteriorum, quòd intellectus venatur vniuerſalia via memoriæ & experientiæ, quià illud, quòd percipitur ſenſibus, eſt ſingulare, quòd verò cognoſcitur intellectu, eſt vniuerſale, ſed illud quòd intellectu cognoſcitur; non poteſt intelligi, niſi per abſtractionem ab eo, quòd percipitur ſenſibus, cum vniuerſale fiat per abſtractionē à ſingularibus, hoc eſt à differentijs indiuidualibus, quæ cognoſcuntur ſenſu, ergo intellectus venatur vni-

vniuerſale via memoriæ, & experientiæ.

8. Id totum egregiè expoſuit inhærendo doctrinæ Ariſtotelis Angelicus Doctor, qui in tract. prim. de vniuerſalibus hæc in rem noſtram habet: *Sciendum eſt quòd homo non dicitur vniuerſalis, niſi quià conſideratur vniuerſaliter. Hæc autem conſideratio accidit homini ſecundùm eſſe, quod homo habet in intellectu; vniuerſale enim eſt vnum & plura; in quantum eſt in pluribus, alioquin non poſset prædicari de pluribus vt homo in re eſt plura, quià de pluribus prædicatur, eſt autem vnum in cognitione, quià licet plura quatenus plura non conſtituant vnum intellectum, tamen plura quatenus ſimilia conſtituunt vnum intellectum; quià intellectus non poteſt ſimilia quatenus ſimilia diſtinguere.* Hæc S. Doctor ex quibus perſpicuè declaratur quomodo ſine vmbra repugnantiæ natura vniuerſalis ſit vna, & mulſtiplex, eſt enim vna extrinſecè per cognitionem, quæ non diſcernit vnum ſingulare ab alio & tamquam forma logica denominat naturam logicè vnam.

9. Contrà hanc ſententiam arguitur primò: cognitio, quæ cognoſcit plura vt vnum, eſt cognitio falſa, ſed cognitio, quæ denominat vnam naturam vniuerſalem, cognoſcit plura vt vnum; ergo eſt cognitio falſa: ergo natura vniuerſalis, non eſt vna logicè & extrinſecè per cognitionem præciſiuam.

10. Secundò cognitio, quæ cognoſcit hominem vniuerſalem, vel cognoſcit naturam homi-

hominis multiplicatam, vel cognoſcit naturam hominis non multiplicatam; ſi cognoſcit multiplicatam, non cognoſcit plura vt vnum, adeoque hominem quem cognoſcit, non denominat extrinſecè vnum: ſi cognoſcit naturam non multiplicatam, cognoſcit falſum; quià talis natura eſt multiplex, ergo huiuſmodi cognitio non conſtituit naturam vnam.

11. Tertiò. Natura, quæ eſt realiter multiplex, non poteſt ab intellectu fieri vna, ſed natura vniuerſalis eſt realiter multiplex, ergo non poteſt ab intellectu fieri vna. Maior probatur, tùm quià intellectus non poteſt mutare naturam rerum, tùm quià intellectus non poteſt facere, vt color albus non ſit albus, ergo ſimiliter non poteſt facere, vt natura, quæ non eſt vna ſit vna.

12. Quartò. Intellectus cognoſcit res eo modo, quo ſunt, ergo cognoſcit plura; ergo non cognoſcit plura vt vnum.

13. Quinto. Non poteſt explicari natura illius cognitionis, quæ denominat logicè, & extrinſecè naturam vniuerſalem, vnam, ergo non datur iſta cognitio, quæ denominat vnam naturam vniuerſalem.

14. Vltimo: vniuerſalia ſunt æterna, neceſſaria, & immutabilia: ſed cognitio eſt contingens, temporalis, & mutabilis, ergo vniuerſale non fit vnum per cognitionem.

15. Ad primum Reſpondetur diſtinguendo ma: cognitio quæ cognoſcit plura vt vnum

præ-

præciſiuè, eſt cognitio falſa: nego maiorem; quæ cognoſcit plura vt vnum poſitiue: concedo ma: & diſtinguo mi: cognitio quæ denominat vnam naturam vniuerſalem, cognoſcit plura, vt vnum præciſiuè: concedo minorem: poſitiuè: nego minorem & conſequentiam; vnum quod eſt poſitiuè vnum, eſt vnum quòd negat multitudinem: hinc eſt, quòd natura poſitiuè vna, & poſitiuè multiplex eſt natura chimærica, vt dictum eſt, quæſt. 5. nu.2. quià eſt vnum, quod non eſt vnum, ſicuti enim vnum poſitiuè negat multitudinem, ità multiplex poſitiuè, negat vnitatem, adeoque cognoſcere vnum poſitiuè, & multiplex poſitiuè, eſt cognoſcere chimæram: è contrariò, quod eſt præciſiuè vnum, neque affirmat, neque negat multitudinem, ſed tantum præſcindit à multitudine, quià conſtituitur vnum per cognitionem, quæ in ſenſu formali non cognoſcit multitudinem. Vnum igitur præciſiuè, & multiplex poſitiuè non opponuntur contradictoriè, adeoque cognoſcere plura, vt vnum præciſiuè, non eſt falſum cognoſcere, licet enim fallus ſit, qui ait non eſſe multa, quæ ſunt multa; non propterea eſt fallus, qui non ait eſſe multa, quæ ſunt realiter multa: qui enim dormit, vtique non ait eſſe in mundo multos homines, & tamen quis dicat dormientem errare? Cognitio igitur quæ denominat vnam naturam vniuerſalem, quia cognoſcit plura vt vnum præciſiuè, non eſt cognitio falſa, iuxta illud vulga-

re proloquium : *præſcindentium non eſt mendacium.*

15. Ad ſecundùm. Maior eſt falſa : qui enim cognoſcit hominem abſtractum à ſingularibus, neque cognoſcit hominem multiplicatum, neque hominem non multiplicatum, quià præſcindit à multitudine; licet enim non detur medium inter hominem multiplicatum, & hominem non multiplicatum, datur tamen medium inter cognitionem, quæ cognoſcit hominem multiplicatum & cognitionem, quæ cognoſcit hominem non multiplicatum. Hoc medium eſt nihil cognoſcere, adeoque præſcindere à multitudine, & non multitudine. Ex hac doctrina conſtat iſtas propoſitiones : *cognoſco naturam multiplicatam : cognoſco naturam non multiplicatam*; non eſſe contradictorias, vtraque enim eſt affirmatiua, adeoque poteſt vtraque eſſe falſa. E contrariò iſtæ propoſitiones : *cognoſco naturam multiplicatam : non cognoſco naturam multiplicatam*: ſunt contradictoriæ, vna enim negat, quod altera affirmat, adeoque vna eſt vera, & alia falſa : in ea igitur hypotheſi, in qua intellectus cognoſcit plura vt vnum, eſt vera negatiua, & falſa affirmatiua. Exemplum manifeſtum habes tùm in oculo, qui pomum, quod videt, neque ſapidum, neque inſulſum iudicat : tùm in conceptu animalis, qui neque eſt conceptus rationalis, neque conceptus irrationalis, præſcindit enim ab vtroque, adeoque animal formaliter

ter neque eſt rationale, neque irrationale:

17. At inquies; quod non eſt rationale, eſt irrationale; animal formaliter non eſt rationale, ergo animal formaliter eſt irrationale. Hoc argumentum quòd ſophiſticè ludit in ambigua ſignificatione illius particulæ *non* debes eludere diſtinguendo duplicem eiuſdem particulæ ſignificationem, vnam negatiuam, aliam præciſiuam: particula enim *non* aliquandò habet ſenſum negatiuum, aliquando præciſiuum: quandò accipitur in ſenſu negatiuo, valet conſequentia à non rationali ad irrationale: quandò verò habet ſenſum præciſiuum, non valet conſequentiam, quià ſtatus præciſionis ab vtroque præſcindit; Hinc non valet iſta conſequentia, *animal formaliter non eſt irrationale: ergo eſt irrationale*; quià particula *non* ſumitur in ſenſu præciſiuo. In forma diſtinguo maiorem: quòd non eſt rationale, eſt irrationale ly *non* faciente ſenſum negatiuum: concedo maiorem; faciente ſenſum præciſiuum, nego maiorem.

18. Ad tertium diſt. ma: natura, quæ realiter eſt multiplex, non poteſt fieri vna poſitiuè: concedo ma: vna præciſiuè, nego ma: & conceſſa minori diſtinguo conſequens: ergo natura vniuerſalis non poteſt fieri vna poſitiuè concedo conſequentiam: vna præciſiuè, nego conſequentiam: intellectus non poteſt mutare intrinſecè naturam rerum; quas cognoſcit; ideò non poteſt facere, vt natura quæ realiter,

eſt

eſt multiplex, ſit vna realiter, & poſitiuè. Inde tamen non ſequitur non poſſe ab intellectu naturam, quæ realiter eſt multiplex, fieri vnam præciſiue; quià huiuſmodi vnitas eſt quædam denominatio Logica proueniens à cognitione præciſiua, ſicuti denominatio cogniti eſt denominatio Logica. Argumentum deſumptum à colore albo non eſt ad rem, immo retorquetur; quià intellectus poteſt facere vt color albus non ſit color albus præciſiuè, præſcindendo formalitatē coloris à formalitate albedinis, ità poteſt facere vt natura multiplex non ſit multiplex præciſiuè.

20. Ad quartum intellectus, qui cognoſcit rem ſicuti eſt non debet habere in mente rem, ſicuti eſt in ſeipſa, quià cognitum non debet eſſe in cognoſcente eo modo, quo eſt in ſe ipſo hinc eſt quòd res ſingulares ſunt in ſeipſis materialiter, in intellectu immaterialiter, res diſtinctæ ſunt in intellectu indiſtinctè propter cognitionem præciſiuam.

21. Ad quintum cognitio tribuens vniuerſalitatem debet eſſe confuſa, quia non debet diſtinguere vnum ſingulare ab alio, adeoque non debet formaliter cognoſcere plura. Ratio à priori eſt, quià cognitio, quæ facit vniuerſale, denominat extrinſecè vnum ea, quæ ſunt realiter, & intrinſecè multa; ſed cognitio denominans extrinſecè vnum ea, quæ ſunt realiter multa, non debet formaliter cognoſcere plura, alioquin non cognoſceret ſub vna ratio-

tione formali ea, quæ ſunt realiter multa: ergo cognitio requiſita ad conſtituendum vniuerſale non debet formaliter cognoſcere plura; quià verò cognitio, quæ non diſtinguit vnum ſingulare ab alio, eſt cognitio præſcindens ab omnibus differentijs, tam determinatè, quam indeterminatè acceptis, ideò cognitio requiſita ad vniuerſale debet præſcindere ab omnibus differentiis indiuidualibus, ſi eſt vniuerſale ſpecificum, & ab omnibus differentijs ſpecificis, ſi eſt vniuerſale genericum. Hinc eſt; quod cognitio, quæ cognoſcit hominem vniuerſalem præſcindit ab omnibus differentijs indiuidualibus, per quas diſcernitur vnus homo ab alio, & cognitio qua cognoſcitur animal vniuerſaliter, præſcindit ab omnibus differentijs ſpecificis, per quas diſcernitur vna ſpecies animalium ab alia ſpecie. Ratio vlterior eſt, quià vniuerſale, quod ſcientijs inſeruit, vt demonſtratum eſt ſupra quæſt.2.num.4. continere debet infinita ſingularia ad modum vnius, cum ſcientiæ, quæ imitantur quantum poſſunt, naturam ſui obiecti, debeant incipere à repræſentandis omnibus indiuiduis ad modum vnius: videmus enim in quocumque ordine tàm naturali, quàm Politico multitudinem procedere ab vnitate, vt notat S. Thomas in primo contra gentes cap.42.; & Scotus in primo diſt. 2. qu.7, ait ſemper multitudinem reducendam eſſe ad vnitatem. Cognitio igitur, quæ conſtituit vniuerſale; debet perfectè præſcindere ab

ab omnibus differentijs, adeoque exercitè cognoſcit vnum, quod eſt realiter multiplex.

22. Ad vltimum:opus eſt diſtinguere cum S. Thoma in quinto metaphyſicæ, in quolibet vniuerſali, quod eſt concretum logicum, ſubiectum, ſiue naturam, quæ denominatur vniuerſalis, & formam, quæ denominat naturam vniuerſalem. Vniuerſale ſi accipiatur pro forma denominante, quam ſignificat, & pro quà non ſupponit, ſine dubio non eſt neceſſarium, neque æternum; quià huiuſmodi forma eſt cognitio; quod ſi accipiatur pro re denominatà, quam ſignificat, & pro qua ſupponit vniuerſale, opus eſt alia diſtinctione, vel enim accipitur naturà, quæ denominatur vniuerſalis cum actuali exiſtentia, ſiue ſecundum eſſe phyſicum quod in ſe habet: vel accipitur, ſine actuali exiſtentia, ſiue ſecundam eſſe logicum, hoc eſt pro eſſentia,quæ præſcindit àb exiſtentia actuali. Si accipitur primò modo,vniuerſale non eſt æternum, vt patet: ſi accipitur ſecundò modo, eſt æternum, quia ſemper eſt verum hominem eſſe animal rationale; nullo enim homine exiſtente exiſtit neceſſitas, vt homo ſit animal rationale; quidquid tandem ſit huiuſmodi neceſſitas, quod hic non definimus, quià ad rem præſentem non pertinet. In forma diſtinguo ma: vniuerſalia ſunt æterna, ſi accipiantur pro forma denominante, ſiue pro eo, quod tantum ſignificant: nego ma: ſi accipiantur pro

re denominata, ſiue pro eo, pro quo ſuppo-nunt, iterum diſtinguo: ſunt æterna phyſicè: nego ma: ſunt æterna logicè: conc: ma: & concesſa mi: nego conſeq:

23. Ex hac doctrina colliges primo vniuerſale non fieri per cognitionem, quæ cognoſcit terminum communem cum ſyncategoremate vniuerſali. vel particulari, nimirum per cognitionem dicentem *omnis homo. vel aliquis homo*. Ratio conſtat ex dictis, quià cognitio faciens vniuerſale eſt cognitio, quæ præſcindit perfectè ab omnibus differentijs, adeoque non cognoſcit formaliter differentias determinatè, vel indeterminatè, ſed neutra cognitio perfectè præſcindit; quià vtraque cognoſcit formaliter multitudinem, ergo neutra facit vniuerſale. Hinc eſt, quod cognitio dicens *omne rationale eſt riſibile*, & cognitio, quæ dicit: *nullum rationale eſt hinnibile*, conducūt ad ſcientias, quià præſupponunt alium conceptum, qui perfectè præſcindit ab omnibus differentijs; In tantum enim eſt verum omne rationale eſſe riſibile, & nullum rationale eſſe hinnibile, in quantum rationale abſtractiſſimè conſideratum eſt riſibile, & nullo modo eſt hinnibile.

24. Colliges ſecundò: hominem abſtractiſſimè conſideratum nihil aliud eſſe quam hominem cognitum cognitione præſcindente ab omnibus prædicatis indiuidualibus, quibus vnus homo ab alio diſcernitur; adeoque per con-

conceptum , qui cognoſcit hominem vniuerſalem , cognoſci omnes homines confusè , non explicando determinatè, vel indeterminatè differentiam vnius ab alio : ſimiliter animal abſtractiſſimè acceptum , quod vocatur genus, nihil aliud eſt , quam animal cognitum cognitione præſcindente ab omnibus prædicatis ſpecificis,quæ diſcernunt vnum animal ab alio.

25. Colliges tertio : hanc denominationem *vniuerſale* eſſe ſecundam intentionem, ſiue ens rationis logicum ; quià natura vniuerſalis accipit hanc denominationem ab illa cognitione , quæ cognoſcit eamdem naturam , & non cognoſcit illa ſingularia , in quibus multiplicatur. Hinc cognoſcere huiuſmodi denominationem ſpectat ad illam ſcientiam , quæ ſpeculatur ſecundas intentiones, & quià huiuſmodi ſcientia eſt logica , vt dictum eſt in diſp. 1. qu. 1. num .8. ideò ad logicam ſpectat diſputare de vniuerſalibus.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

DIS.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINTA.

De cauſis quæ conſtituunt vniuerſale.

CAVSA materialis, quæ conſtituit naturam vniuerſalem eſt multitudo ſingularium, quæ cognoſcuntur confusè: cauſa formalis eſt vnitas præciſiua, quæ conſiſtit in cognitione confundente omnia ſingularia; cauſa efficiens eſt illa facultas, quæ huiuſmodi cognitionem facit; finalis verò eſt finis, ad quem ordinatur natura vniuerſalis, qui finis conſiſtit in acquirendis ſcientijs. De cauſa finali, & materiali nihil reſtat agendum præter ea, quæ obiter diſputata ſunt, dum naturam rei vniuerſalis explanauimus. De cauſa efficiente multa in præſenti agemus, pauca de formali, quià ſatis ſunt ea, quæ huc vſque diximus.

* *
*

QVAE-

QVAESTIO I.

Vtrum vniuerſale retineat vniuerſalitatem in actuali prædicatione.

1. CErtum eſt vnitatem, quæ eſt cauſa formalis naturæ vniuerſalis, conſtitui per cognitionem præſcindentem formaliter ab omnibus ſingularibus. Certum præterea eſt prædicabilitatem de pluribus conſtitui per eamdem cognitionem: natura enim vniuerſalis in tantum eſt prædicabilis de pluribus, in quantum eſt vna in pluribus; ergo, in tantum conſtituitur prædicabilis de pluribus in quantum conſtituitur vna. Huiuſmodi prædicabilitatem habet natura vniuerſalis in priori ad prædicationem; homo enim antequam prædicatur de Petro, eſt prædicabilis de Petro. Hæc ſunt certa. Dubium eſt vtrum vniuerſale quando prædicatur de ſingularibus, retineat illam vniuerſalitatem, ſiue prædicabilitatem, quam habebat in priori ad ipſam prædicationem: nimirùm vtrùm in hac prædicatione *Petrus eſt homo*, in quà prædicatur homo de Petro, hic terminus *homo* ſit terminus vniuerſalis, & prædicetur de Petro cum illa vniuerſalitate; quam habet, quando abſtrahitur ab omnibus ſingularibus, an verò ſit terminus particularis de vno tantum prædicabilis; quod

dico de hac propoſitione *Petrus eſt homo* dicendum eſt proportionaliter de quacumque alia propoſitione, in quà terminus ſuperior prædicatur de termino inferiori, nimirum genus de ſpecie, vel ſpecies de indiuiduo. Pro ſolutione huius difficultatis, quæ in hac quæſtione agitatur, ſunt aliqua recolenda ex ijs, quæ docuimus in ſummulis, & alia ſcienda ex ijs, quæ docebimus in libris de anima.

2. Sciendum primò, Intellectum humanum affirmare, & negare vnum de alio componendo per propoſitionem affirmatiuam, & diuidendo per negatiuam, eſt enim connaturale hominem intelligere veritatem componendo, & diuidendo: vt ex doctrina Philoſophi ait S. Thomas in prima parte, quæſt.85. art,5. Ratio à priori, quam ibidem tradit S. Thomas, eſt quià intellectus humanus, licet ſit ſubſtantia ſpiritualis, adeoque careat omni compoſitione phyſica, quam habent ſubſtantiæ materiales, eſt forma corporis, & in genere cauſæ formalis conſtituit hominem ſubſtantiam videlicet materialem: ideò debet peruenire ad veritatem, quam ſcire vehementer deſiderat, componendo prædicatum cum ſubiecto, vel prædicatum à ſubiecto diuidendo: deinde per diſcurſum inferendo vnam veritatem ex alia. Hic modus cognoſcendæ veritatis, qui inuoluit aliquam imperfectionem, nullo modo conuenit intellectui Angelico, & Diuino, quia vterque intellectus ſine vlla neceſſitate compo-

po-

ponendi, & diuidendi, vnico aſpectu intelligit obiectum ſibi propoſitum.

3. Sciendum ſecundò huiuſmodi compoſitionem, & diuiſionem, quæ formaliſſimè conſiſtit in actu intellectus affirmante, vel negante vnum de alio, fieri per comparationem vnius termini cum alio, nimirum prædicati cum ſubiecto. Ratio eſt manifeſta ex ijs, quæ diximus: quia intellectus quando componit intentionaliter iſtos terminos *rationale*, & *riſibile*; affirmando riſibile, de rationali, facit aliquod totum, ſiue compoſitum Logicum ex ſubiecto, quod eſt ad inſtar materiæ, & prædicato per modum formæ ſimile compoſito phyſico ex materia, & forma; ſed compoſitum phyſicum conſtat partibus phyſicis, videlicet materià, & formà, quæ inuicem comparantur, tanquam actus, & potentia, ergo etiam compoſitum Logicum, quod fit ab intellectu componente prædicatum cum ſubiecto, debet fieri per comparationem prædicati cum ſubiecto; hoc eſt formæ cum materia reſpectu compoſiti Logici. Hinc eſt, quod intellectus non poteſt formare hoc iudicium *rationale eſt riſibile*: niſi hebeat cognitionem comparãtem rationale cum riſibili.

4. Sciendum tertio. Intellectum non poſſe componere prædicatum cum ſubiecto, niſi reflectat ſupra apprehenſiones, & earum obiecta, adeoque niſi cognoſcat totum id, quod fuit cognitum per cognitionem apprehenſiuam, ſi-

cuti

cuti non poteſt intellectus affirmare concluſionem, quæ infertur in ſyllogiſmo, niſi reflectat ſuprà præmiſſas, vt demonſtrabimus in libris Analyticorum; Ratio eſt, quià intellectus, dum prædicat vnum de alio, prædicat illud idem, quod prius apprehendit; ſed non poteſt prædicare illud idem, quod prius apprehendit, niſi cognoſcat, & reflectat ſupra apprehenſiones præcedentes, ergo non poteſt intellectus prædicare vnum de alio, niſi reflectat ſupra apprehenſiones. Confirmatur, quià intellectus per vnam apprehenſionem cognoſcit rationale, & format quamdam imaginem, ſiue ſpeciem, quæ repræſentat rationalitatem, & per aliam apprehenſionem cognoſcit riſibile, formando aliam imaginem, ſiue ſpeciem, quæ repreſentat riſibile; deinde per iudicium componit vnam ſpeciem cum alia, affirmando identitatem realem eius rei, quam cognoſcit ſub imagine rationalis, cũ ea re, quam cognoſcit ſub imagine riſibilis, ergo neceſſe eſt vt intellectus componens, vel diuidens prædicatum à ſubiecto reflectat ſupra apprehenſiones.

5. Sciendum quartò prædicationem, quę vnam rem cõponit cùm alia, aliã eſſe identicam, aliam formalem: prædicatio identica eſt illa, qua idem de eodem prædicatur, ſub eodem omnino conceptu, vt hæc propoſitio *Petrus eſt Petrus*, quæ prædicatio eſt identica, & nugatoria, licet ſit vera: prædicatio formalis eſt illa, in quà idem de eodem prædicatur ſub diuer-

uerſis conceptibus, *vt homo eſt animal rationale* hæc prædicatio eſt vera, & ſimul formalis, quià eſt vtilis ad ſcientias acquirendas, licet enim idem ſit homo, & animal rationale, nihilominus natura hominis clariùs exprimitur per conceptum animalis rationalis, quàm per conceptũ hominis. Prædicatio formalis alia eſt directa, alia indirecta; indirecta eſt prędicatio termini inferioris de termino ſuperiori, *vt animal eſt homo*; huiuſmodi prædicatio vocatur indirecta, quià prædicatum minùs latè patet, quam ſubiectum, vocatur materialis potius, quam formalis, quià vt ſit vera, debet eſſe particularis non vniuerſalis; ſicuti hæc conſequentia, vt dictum eſt in ſummulis part 3. cap. 1. num. 6. *Petrus eſt animal, ergo eſt homo*; eſt conſequentia materialis, non formalis, cum valeat ratione materiæ, non ratione formæ. Prædicatio directa eſt prædicatio termini vel ſuperioris de inferiori, vel æqualis de æquali. Exemplum prædicationis, in quà prædicatur æquale de æquali eſt propoſitio in qua ſubiectum & prædicatum ſunt termini conuertibiles, vt *homo eſt animal rationale*. Exemplum prædicationis, in quà terminus ſuperior prædicatur de inferiori, eſt illa propoſitio; in quà prædicatum magis latè patet, quàm ſubiectum hoc eſt in quà prædicatur genus de ſpecie, vt *homo eſt animal*, vel ſpecies de indiuiduo, vt *Petrus eſt homo*. Huiuſmodi prædicationes ſunt formales, , & maximè conducunt ad ſcientias

acqui-

acquirendas, quià ſcientiæ fundantur præcipuè in veritate conſequentiæ formalis, in quâ infertur prædicatum ex ſubiecto.

6. Sciendum quintò, ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ requiri identitatem realem inter prædicatum, & ſubiectum; ſiue inter id, pro quo ſupponit prædicatum & id, pro quo ſupponit ſubiectum. Ratio eſt euidens, quià propoſitio affirmatiua, quæ logicè componit prædicatum cum ſubiecto, affirmat identitatem eiuſdem prædicati cum ſubiecto: ergo prædicatio non eſt vera, ſi non datur identitas prædicati cum ſubiecto, ergo identitas requiritur ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ: dictum eſt *inter id pro quo ſupponit prædicatum, & ſubiectum*, quià non eſt neceſſe ad veritatem propoſitionis dari identitatem inter omne id, quod ſignificat prædicatum, & omne id, quod ſignificat ſubiectum; quià de aliquo ſubiecto, quod habet in ſe albedinem, & dulcedinem, verè dicitur album eſſe dulce, etiam ſi albedo non ſit dulcedo, iuxta doctrinam traditam de concretis accidentalibus.

7. Sciendum ſextò: ad veritatem propoſitionis non requiri identitatem adæquatam prædicati cum ſubiecto, ſufficit enim inadæquata; conſtat hoc euidenter in illa propoſitione; in quâ affirmatur de ſubiecto aliquod prædicatum diſiunctiuè; ad eius enim veritatem ſatis eſt identitas ſubiecti cum vna parte totius diſiuncti; vt dictum in ſummulis

eſt

eſt p. 2. c. 3. nu. 20. *hæc propoſitio quodlibet eſt, vel non eſt*, neceſſariò eſt vera, licet impoſſibile ſit prædicatum eſſe idem cum ſubiecto, ſecundùm vtramque partem diſiuncti, repugnat enim idem ſimul eſſe, & non eſſe. Prætereà quandò prædicatur terminus ſuperior de inferiori, vt contingit in prædicationibus formalibus, & directis, non datur identitas adæquata prædicati cum ſubiecto, & tamen propoſitio eſt vera, vt patet hoc exemplo: *homo eſt animal*; hæc prædicatio eſt vera, quis poteſt de hoc dubitare? eſt prædicatio formalis, quià animal magis latè patet, quàm homo; non datur tamen identitas adæquata inter hominem, & animal; quià omnis homo eſt animal, non omne animal eſt homo.

8. Sciendum vltimo, quatuor modis poſſe intellectum confuſe tendere in obiectum, ſiue cognoſcere confusè obiectum. Primò diſtributiuè, cognoſcendo terminum communem cum ſyncategoremate vniuerſali, *vt omnis homo*: ſecundo collectiuè cognoſcendo plura per modũ vnius collectionis, *vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim*; tertiò diſiunctiuè, cognoſcendo plura ſub diſiunctione, *vt aliquis diſcipulus ſtudet*, in quo caſu intellectus nullum determinatè cognoſcit, ſed omnes indeterminatè, de quibus ità cognitis affirmat diſiunctiuè ſtudium, & quià poteſt intellectus ità confusè cognoſcere obiectum, vt iſte cognoſcendi modus neque ſit diſtributiuus, neque collectiuus, neque diſiun-

ctiuus

ctiuus formaliter, ſed ſit indifferens ad ſenſum diſtributiuum, copulatiuum, & diſiunctiuum: hoc modo intellectus cognoſcit obiectum, quãdo facit vniuerſale, quià præſcindit ab omnibus differentijs, à quibus perfectè non præſcindit, dùm cognoſcit obiectum modo copulatiuo, diſtributiuo, & diſiunctiuo. Ratio eſt, quià dùm intellectus abſtrahit vnam rationem communem ab omnibus hominibus, non cognoſcendo determinatè, vel indeterminatè differentias, ità cognoſcit hominem, vt habeat cognitionem indifferentem ad faciendum ſenſum copulatiuum, diſtributiuum, & diſiunctiuum. Hinc eſt, quòd ad verificandam propoſitionem, in quà prædicatur terminus inferior de ſuperiori, ſufficit identitas inadæquata inter prædicatum, & ſubiectum. His præſuppoſitis, quæ ſunt diligenter obſeruanda noſtram, & veram ſententiam, quam defendunt Conimbricenſes quæſt. 6. art. 8. cùm pluribus recentioribus contra Scotum, & Arriagam tribus ſequentibus concluſionibus perſpicuè demonſtro.

9. Prima concluſio; vniuerſale, dùm prædicatur de inferioribus, retinet illam vniuerſalitatem, ſiuè prædicabilitatem, quàm habet ante prædicationem.

10. Probatur primò: in illa prædicatione, in quà prædicatur homo de Petro, prædicatur vniuerſale de inferioribus, videlicet ſpecies de indiuiduo, ſed in huiuſmodi propoſitione, in

quà

quà prædicatur homo de Petro, homo retinet vniuerſalitatem, ergo vniuerſale quandò prædicatur, retinet vniuerſalitatem: mi: probatur, quià antequàm prædicetur homo de Petro abſtrahitur à Petro & cæteris hominibus ratio hominis per cognitionem præciſiuam, & conſtitutiuam vniuerſalis; ſed huiuſmodi ratio abſtracta retinet eamdem vniuerſalitatem, & abſtractionem in actuali prædicatione hominis de Petro, tùm quià intellectus, qui affirmat hominem de Petro, reflectit, vt dictum eſt nu. 4. ſupra apprehenſionem præcedentem, cognoſcendo totum id, quòd fuit cognitum per apprehenſionem, adeoque cognoſcit rationem hominis præciſam ab omnibus ſingularibus, tùm quià cognoſcit, prædicando hominem de Petro, obiectum ſub duplici conceptu, quorum vnus alium non deſtruit, nimirum cognoſcit ſub conceptu Petri, & ſub conceptù hominis, ergo quandò prædicatur homo de Petro, homo retinet vniuerſalitatem, quàm habet antequam prædicetur.

11. Probatur ſecundò. Si vniuerſale non retinet in actuali prædicatione ſuam vniuerſalitatem, ideò præcisè non retinet, quia eam amittit per comparationem cum ſuis inferioribus, ſed non amittit, ergo eam retinet. Maior eſt certa, vt patet ex ſententia aduerſariorum. Minor probatur, quià comparare, & componere prædicatum ſuperius, ſiuè vniuerſale cum inferiori, non eſt reſtringere vniuer-
ſali-

ſalitatem prædicati ſuperioris, adeoque deſtruere prædicatum ſuperius. Ratio à priori, eſt, quià componere, ſiuè coniungere intentionaliter prædicatum cognitum ſub conceptu magis vniuerſali cum eodem cognito ſub conceptu minùs vniuerſali, non eſt deſtruere illam vniuerſalitatem, quæ inuenitur in re cognita ſub conceptu magis vniuerſali: cum enim idem formaliſſimè ſit reddere naturam vniuerſalem, ac reddere naturam coniungibilem cum inferioribus, implicat contradictionem, quòd illa natura, quæ cognoſcitur coniungibilis cum ſuis inferioribus, reddatur, per coniunctionem cum illis non coniungibilis, adeoque deſtruatur per comparationem termini ſuperioris, cum inferiori, ergo terminus ſuperior non ammittit ſuam vniuerſalitatem, eò quòd prædicatur de termino inferiori. Secundò, quià ſi homo amittit vniuerſalitatem per comparationem cum Petro, & animal amittit ſuam vniuerſalitatem per comparationem cum homine ſequitur, quòd vniuerſale amittit ſuam vniuerſalitatem per quamcumq; cognitionẽ comparatiuam cũ inferioribus, ſed hoc eſt euidẽter falsũ, alioquin vniuerſale conſtituitur per hoc præcisè, quòd intellectus non cognoſcat per aliã cognitionẽ illud eſſe vniuerſale, quià per hoc præcisè cognoſco me habere cognitionem termini vniuerſalis, quandò cognoſco hominem, & cognoſco me non habere cognitionem termini vniuerſalis quandò cognoſco Petrum, ſiuè cognoſco

gnoſco Deum, quià cognoſco eſſe poſſibiles plures homines, de quibus poſſum prædicare illum hominem, quem cognoſco, & cognoſco non eſſe poſſibiles plures Deos, de quibus poſſum prædicare Deum quem cognoſco, &c.

12. Secunda concluſio. In prædicatione actuali termini ſuperioris de inferiori prædicantur omnia indiuidua confusè cognita ad modum vnius: hæc concluſio, quæ ſequitur ex præcedenti, eamque declarat.

13. Probatur primò: Quandò prædicatur homo de Petro, non prædicatur vnum tantum indiuiduum determinatè, vel indeterminatè, ergo prædicantur omnia iudiuidua confusè cognita. Antecedens probatur, tùm quià prædicatur illa eadem ratio hominis, quæ prædicatur de Paulo; alioquin homo non prædicaretur vniuoce de Petro & Paulo, ſed ſi prædicatur de Petro illa eadem ratio hominis, quæ prædicatur de Paulo, prædicatur de Petro ratio hominis abſtracta à Petro & Paulo, cum Petrus & Paulus non ſint vnus, & idem homo, niſi in ſenſu formali, quæ identitas eſt identitas naturæ abſtractæ ab omnibus indiuiduis, ergo non prædicatur de Petro vnum tantum indiuiduum, ſed prædicantur omnia confusè cognita, quòd eſt formaliſſimè prædicare naturam abſtractam; tùm quià intellectus prædicat de Petro illud idem, quod cognoſcit per apprehenſionem, quæ apprehendit hominem, ſed huiuſmodi apprehenſione cognoſcit

omnia indiuidua & nullum determinatè, vel indeterminatè cognoſcit, ergo omnia confusè cognita prædicat de Petro, quandò ait Petrum eſſe hominem.

14. Probatur ſecundò. Vniuerſale logicum eſt vnum prædicabile de multis; ſed vnum prædicabile de multis, quandò actu prædicatur, eſt vniuerſale, ergo in actuali prædicatione prędicatur vniuerſale. Minor probatur, quod eſt prædicabile de multis, quandò prædicatur, non amittit eſſe prædicabile de pluribus, ſicuti homo qui eſt eſſentialiter diſcurſiuus, non amittit diſcurrendo non repugnantiam ad diſcurſum. Ratio à priori eſt, quià potentia logica, quæ formaliſſimè conſiſtit in non repugnantia, non deſtruitur per illum actum, cuius eſt potentia; valet enim conſequentia ab actu ad potentiam logicam, vt Petrus exiſtit, ergo poteſt exiſtere: Immò cuicũque repugnat actus repugnat etiam potentia logica: ideò Chimæræ, cui repugnat exiſtere, repugnat etiam habere potentiam ad exiſtendum. Hinc eſt, quòd ſi repugnat hanc propoſitionem verificari: *vniuerſale prædicatur de inferioribus*: repugnabit etiam vniuerſale poſſe prædicari de pluribus. ergo iſta propoſitio erit falſa: *vniuerſale logicum eſt vnum prædicabile de multis*, ſed iſta propoſitio non eſt falſa, eſt enim ſempiternæ veritatis, quià affirmat definitionem de definito, ergo &c. Sũmma huius diſcurſus in eo conſiſtit; quòd eſſentia vniuerſalis logici eſt prædicabi-

cabi·

cabilitas de omnibus inferioribus; eademque prædicabilitas eſt proprietas Metaphyſica vniuerſalis Metaphyſici, vt oſtenſum eſt Diſp. 4. qu. 1. n. 10. Neceſſe igitur eſt vniuerſale Metaphyſicum perinde, ac Logicum poſſe de pluribus ſingillatim ſumptis prædicari. Quòd ſi repugnat actualis prædicatio in quâ vniuerſale retinens ſuam vniuerſalitatem prædicatur de ſingularibus; vniuerſale non poſſet de pluribus ſingillatim ſumptis prædicari; atque adeo nulla eſſet neceſſitas, vt vniuerſale eſſet de pluribus prædicabile, & conſequenter propoſitio, in quâ affirmatur de vniuerſali prædicabilitas de pluribus, eſſet in materia impoſſibili; hoc autem manifeſtè repugnat; igitur repugnat, vt vniuerſale in actuali prædicatione non retineat vniuerſalitatem: quàre ſententia oppoſita huic quam defendimus, deſtruit eſſentiam ipſius vniuerſalis.

15. Probatur tertiò. Vel nullæ dantur prædicationes directæ & formales, in quibus prædicatur terminus ſuperior de termino inferiori, vel in actuali prædicatione vniuerſale prædicatur de inferioribus; ſed dantur prædicationes directæ, & formales, ergo in actuali prædicatione vniuerſale retinet ſuam vniuerſalitatem: maior probatur, quià dùm prædicatur homo de Petro, ſi de Petro non prædicantur omnes homines confusè cogniti ſed vnus tantum determinatè, vel indeterminatè cognitus, iſta prædicatio: *Petrus eſt homo* non eſt prædicatio ter-

termini ſuperioris de inferiori, quià terminus ſuperior debet magis latè patere, quàm inferior: hic autem terminus *homo* ſi reſtringitur ad ſignificandum vnum tantùm hominem, non eſt terminus magis latè patens, quàm hic terminus *Petrus*: idem dico de iſta propoſitione: *homo eſt animal*: quæ non eſt prædicatio termini ſuperioris de inferiori, ſi de homine] non prædicantur omnia animalia confusè cognita, ergo vel nulla datur prædicatio formalis termini ſuperioris de inferiori, vel in actuali prædicatione prædicantur omnia ſingularia confusè cognita.

16. Confirmatur primò, quià in omnium ſententià iſta propoſitio *homo eſt animal*, eſt propoſitio formalis, ſed non eſſet formalis, ſi hic terminus *animal* nō ſignificaret omnia animalia cōfusè cognita quià animal quòd nō confunditur cum omnibus animalibus æquè latè patet, ac *homo*: ergo idem eſt dicere *homo eſt animal*, ac *animal eſt homo*: ſicuti eſt idem dicere: *homo eſt animal rationale*: & *animal rationale eſt homo*, quià *homo*, & *animal rationale* ſunt termini conuertibiles, ergo ſicuti iſta prædicatio: *animal eſt homo*: non eſt formalis, ità non eſſet formalis iſta prædicatio: *homo eſt animal* ſi hic terminus *animal* non ſignificaret omnia animalia confusè cognita.

17. Secundò: qui prædicat animal de homine, non prædicat de homine totam eſſentiam hominis; alioquin homo definiretur eſſe

ani-

animal, ſed ſi non prædicat totam eſſentiam hominis non prædicat animal contractum ad vnam tantum ſpeciem; ſed prædicat animal abſtractum, quòd in ſuo formali conceptu inuoluit omnia animalia cognita confuſè; animal enim contractum per differentiam rationalis ad ſpeciem hominis eſt tota eſſentia hominis, ergo qui prædicat animal de homine, prædicat animal vniuerſale cum tota ſua vniuerſalitate.

18. Tertiò, qui prædicat animal de homine, non poteſt conſequentia formali inferre hominem eſſe riſibilem, ſed ſolum poteſt inferre conſequentia formali hominem eſſe ſenſitiuum, ergo qui prædicat animal de homine non prædicat formaliter animal rationale; alioquin poſſet inferre ex prædicato animalis, quod affirmat de homine, prædicatum riſibilis, ſicuti hoc prædicatum poteſt inferre ex peædicato animalis rationalis. Hinc conſtat, cur animal, quòd apprehenſione complexa apprehenditur ſimul cum rationali, reſtringatur & conſtituat terminum complexum reſtrictum, non verò reſtringatur quandò conſtituit propoſitionem, quæ affirmat hominem eſſe animal, quià animal rationale componens vnum terminum complexum cognoſcitur ſub vna ſpecie determinante intellectum ad inferendas illas conſequentias, quæ inferuntur ex tota eſſentia hominis, homo verò & animal quatenus conſtituunt vnam propoſitionem

 cogno-

cognoſcuntur ſub duplici ſpecie quarum vna repræſentat formaliter hominem, adeoque animal rationale, quod includitur in conceptu fomali hominis; altera è contrariò repræſentat formaliter ſolum animal; quià non repræſentat niſi materialiter principium diſcurrendi.

19. Tertia concluſio. Cognitio, quæ prædicat rationale de ſingularibus facit vniuerſale ex parte prædicati, non verò ex parte ſubiecti.

20. Ratio eſt, quià non repugnat, vt idem actus qui cognoſcit indiuiſibiliter vnum obiectum ſub duplici ſpecie, ſiuè ſub duplici conceptu, præſcindat ſub vno conceptu, & non præſcindat ſub alio conceptu: ſed cognitio per quàm prædicatur natura humana de Petro, cognoſcit indiuiſibiliter vnum obiectum ſub duplici ſpecie, ſiuè imagine, nimirum ſub imagine Petri, & ſub imagine hominis, ergo non repugnat, vt cognoſcendo Petrum non præſcindat à ſingularibus, & cognoſcendo hominem præſcindat à ſingularibus; ergo eadem cognitio, quæ eſt præciſiua ex parte prædicati, non eſt præciſiua ex parte ſubiecti; ergo eadem cognitio facit vniuerſale ex parte prædicati, non verò ex parte ſubiecti. Quòd autem vna & eadem cognitio poſſit repræſentare hominem ſub duplici cõceptu, patet hoc exemplo: iſta cognitio, quà aliquis cognoſcit Petrũ eſſe vnum Apoſtolum ex duodecim, qui omnes ſunt vocati à Chriſto, cognoſcit Petrum diſtin-

ſiunctiuè per ly, *vnus homo*: collectiuè per ly *duodecim*: diſtributiuè per ly, *omnes*; ergo ſimiliter vna, & eadē cognitio poteſt præſcindere ex parte prædicati & non præſcindere ex parte ſubiecti.

21. Obijcies primò: homo qui prædicatur de Petro eſt homo reſtrictus, & contractus ad vnum ſingularem hominem; ergo homo qui prædicatur de Petro non eſt homo vniuerſalis. Antecedens probatur, tùm quià homo prædicatur ſolum de Petro, tùm quià coniungitur cùm Petro adeoque idem eſt dicere *Petrus eſt homo* ac dicere *Petrus eſt hic homo*.

22. Reſpondeo: nego antecedens: ad eius probationem dico hunc terminum *homo* non reſtringi ad vnum hominem ſingularem reſtrictione tollente vniuerſalitatem, per hoc præcise, quòd prædicatur de vno homine, quià prædicatio hominis de Petro non obſtat, quominùs ille homo, qui prædicatur de Petro ſit etiam prædicabilis de Paulo; ſed ſi homo qui prædicatur de Petro eſt etiam prædicabilis de Paulo, prædicatur de Petro homo abſtractus ab omnibus ſingularibus, non verò homo contractus ad vnum tantum ſingulare, ergo prædicare hominem de Petro non eſt contrahere hominem contractione tollente vniuerſalitatem. Præterea intentionalis coniunctio hominis cum Petro non contrahit, neque reſtringit hominem vniuerſaliter cognitum: Ratio eſt, quià huiuiſmodi coniunctio eſt formaliſſimè affirmatio prædicati de ſubiecto, ſed in affir-

matione prædicati de ſubiecto non reſtringitur prædicatum à ſubiecto, ſolum enim prædicatum affirmatur de ſubiecto, ergo &c. Indè eſt non idem dicere, qui dicit Petrum eſſe hominem, ac qui dicit Petrum eſſe hunc hominem, quià in ſecunda propoſitione homo, qui coniungitur cum pronomine demonſtratiuo reſtringitur à tali pronomine ad ſignificandum determinatè vnum tantùm hominem, ideò ſicuti eſt formalis hæc propoſitio *Petrus eſt hic homo*: ità eſt formalis iſta alia propoſitio *hic homo eſt Petrus*: è contrariò huiuſmodi propoſitio: *homo eſt Petrus*: non eſt propoſitio formalis, licet ſit formalis hæc propoſitio: *Petrus eſt homo*, ergo non eſt idem Petrum eſſe hominem & Petrum eſſe hunc hominem.

23. Obijc. ſecundò: cognitio, quæ cognoſcit & iudicat Petrum eſſe hominem, diſtinguit Petrum à cæteris hominibus, ergo non confundit Petrum cum cæteris hominibus; ſed cognitio, quæ non confundit Petrum cum cæteris hominibus, non facit vniuerſale: ergo huiuſmodi cognitio non facit vniuerſale: ergo homo, qui prædicatur de Petro, non eſt homo vniuerſalis.

22: Reſp: diſt: antec· diſtinguit Petrum à cæteris hominibus ex parte ſubiecti: conc: ant. diſtinguit ex parte prædicati: nego antec: & diſt: conſequens: ergo non confundit Petrum ex parte ſubiecti: conc: conſeq: ex parte prædicati: nego conſequentiam: deinde diſtinguo

ante-

antec: ſubſumptum. Cognitio, quæ non confundit Petrum cum cæteris hominibus ex parte ſubiecti, & confundit ex parte prædicati, non facit vniuerſale ex parte ſubiecti: conc: antec: ex parte prædicati nego antec: & conſeq: Cognitio, quæ iudicat Petrum eſſe hominem cognoſcit Petrum ſub duplici conceptu, videlicet ſub conceptu Petri, & ſub conceptu hominis, quia eſt reflexiua ſupra duas apprehenſiones, alteram, quæ repræſentat Petrum; & alteram quæ repræſentat hominem: quatenus eſt reflexiua ſupra illam apprehenſionem, quæ repræſentat Petrum, diſtinguit Petrum à cæteris hominibus, adeoque non facit vniuerſale ex parte ſubiecti: quatenus eſt reflexiua ſuprà apprehenſionem, quæ repræſentat hominem, confundit Petrum cum cæteris hominibus, adeoque facit vniuerſale ex parte prædicati: inde eſt, quòd cognitio, quæ iudicat Petrum eſſe hominem, eſt præciſiua ex parte prædicati, ſicuti eſt præciſiua apprehenſio hominis, idem enim formaliſſimè cognoſcit ex parte prædicati, qui iudicat Petrum eſſe hominem, ac ille qui apprehendit hominem.

24. Obijcies tertio. Cognitio, quæ prædicat hominem de Petro, eſt cognitio indiuiſibilis: ergo non poteſt confundere Petrum cum cæteris hominibus ex parte prædicati, & ſimul non confundere ex parte ſubiecti. Conſequentia probatur, quià confundere, & non confunde-

fundere ſunt prædicata contradictoria, ergo non poſſunt verificari de eadem indiuiſibili cognitione, quæ cognoſcit idem obiectum. Confirmatur, quia huiuſmodi cognitio non ſolum reflectit ſuprà apprehenſiones, quæ repræſentant Petrum, & hominem, ſed etiam cognoſcit identitatem Petri cum homine, ergo ſi non confundit Petrum ex parte ſubiecti, neque confundit ex parte prædicati.

24. Reſp. diſt: antec: Cognitio, quæ prædicat hominem de Petro, eſt indiuiſibilis formaliter: conc: antec: eſt indiuiſibilis æquiualenter: nego antec: & conſeq: Ad eius probationem conc: antec: & diſt: conſeq: ergo non poſſunt verificari de eadem cognitione, quæ cognoſcit idem obiectum ſub eodem conceptu concedo conſequentiam: ſub diuerſo conceptu: nego conſequentiam. Cognitio quæ iudicat Petrum eſſe hominem, eſt indiuiſibilis formaliter, quià vt pote immaterialis non conſtat ex partibus; non eſt indiuiſibilis æquiualēter, quià cognoſcendo ſuum obiectum ſub duplici conceptu formali æquiualet duabus cognitionibus quarum vna cognoſcit Petrum, & alià hominem: formalis indiuiſibilitas coniuncta cum diuiſibilitate æquiualenti ſicuti non obſtat, quominus idem obiectum cognoſcatur vnica cognitione ſub diuerſa ſpecie, ſiue ſub diuerſo conceptu, vt fatentur omnes; ità obſtare non poteſt quominus idem cognoſcatur clarè ſub vno conceptu, & confusè ſub alio. Ratio

à prio-

à priori eſt, quià huiuſmodi cognitio eſt actus, qui attingit duos terminos ſaltem formaliter diſtinctos, ſed non repugnat, vt eadem cognitio, quæ attingit duos terminos, eiſdem tribuat denominationes oppoſitas; ſicut patet in actu contritionis deteſtante peccatum propter infinitam bonitatem Dei offenſi, hic enim licet indiuiſibilis tendit in peccatum, illud deteſtando, & tendit in Deum, illum amando; quià eſt odium peccati, & amor Dei: idem patet in ægroto amante medicinam propter ſanitatem, qui vnico, & indiuiſibili amore vtramque amat, ſed ſanitatem magis amat, quam medicinam, illam enim amat in ratione finis, hanc amat in ratione medij.

26. Cæterum nemo poteſt, quantùm ego arbitror, ſapienter dubitare, an vnicus, & indiuiſibilis actus poſſit cognoſcere vnam rem ſub duplici conceptu magis, & minùs claro, alioquin omnes prædicationes, quæ ſunt formales, eſſent identicæ: quià intantùm hæc prædicatio *homo eſt animal rationale* eſt formalis prædicatio, & iſta *homo eſt homo* eſt prædicatio identica, in quantum vna cognoſcit hominem ſub duplici conceptu magis, & minus claro, alia verò cognoſcit hominem ſub duplici conceptu perinde claro, ſed non magis opponuntur cognoſci clarè, & non cognoſci clarè, quam cognoſci magis, & minus clarè; ergo non repugnat eamdem rem vnico actu cognoſci clarè, & confusè ſub diuerſo concep-

ptu.

ptu. Ratio à priori, cur cognoſci clarè, & confusè ſub couceptu diuerſo, non opponantur contradictoriè, eſt, quià ille qui affirmat Petrum cognoſci confusè ſub conceptu hominis, non negat illam eamdem claritatem, quam affirmat ille, qui affirmat cognoſci clarè ſub conceptu Petri, negat enim aliam claritatem, vt in ſimili materia demonſtratum eſt in tractatu de identitate, & diſtinctione. Diſp. 3. qu. 4. num. 16.

27. Ad confirmationem argumenti dico identitatem Petri cum homine cognoſci ab intellectu componente Petrum confusè cognitum cum Petro clarè cognito, hoc eſt, Petrum repræſentatum ſub conceptu hominis cum eodem repræſentato ſub concepru Petri: ſuppoſito hoc modo cognoſcendi neceſſe eſt, vt Petrus cognoſcatur ab intellectu ſub duplici conceptu per vnam, & eamdem cognitionem, quæ conſiderata ex parte ſubiecti non eſt præciſiua, adeoque non facit vniuerſale, conſiderata verò prædicatiuè, ſiue ex parte prædicati facit vniuerſale.

28. Obijc: quartò: homo vniuerſalis eſt homo abſtractus, ſiue homo vt ſic, ſed non prædicatur de Petro homo abſtractus, ergo non prædicatur homo vniuerſalis. Minor probatur: tùm quià Petrus non eſt homo abſtractus; tùm quià homo abſtractus eſt ſpecies, ſed Petrus non eſt ſpecies, ergo non eſt homo abſtractus.

29. Reſp.

29. Reſp; conc. ma: & diſt: min; non prædicatur de Petro homo abſtractus ſecundùm id pro quo ſupponit: nego minorem: ſecundùm omne id, quod ſignificat: concedo min: & eodem modo diſtinguo conſequens: ad probationem minoris diſt: ma: homo abſtractus in ſuppoſitione perſonali eſt ſpecies: nego maiorem, in ſuppoſitione ſimplici: concedo ma: & diſt: minor: prædicatur homo abſtractus de Petro in ſuppoſitione ſimplici: nego min: in ſuppoſitione perſonali: concedo min: & nego conſequentiam: hic terminus *homo* poteſt conſiderari, vt docuimus in ſummulis p. 1. c. 5. n. 3. tam in ſuppoſitione ſimplici, quam perſonali; ideò ex varietate ſuppoſitionis ſequitur non concludere hunc ſyllogiſmum: *homo eſt ſpecies. Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt ſpecies*: homo igitur abſtractus re vera prædicatur de Petro, quià de Petro prædicatur id, quod intellectus cognoſcit, cum præſcindit hominem à Petro, quoniam verò illud, quod cognoſcitur cognitione præciſiua, quando intellectus cognoſcit animal rationale non cognitis illis accidentibus per quæ vnus homo diſcernitur ab alio, eſt homo abſtractus, ideo homo abſtractus prædicatur de Petro.

30. Obijcies quintò: id, pro quo ſupponit homo vniuerſalis, ſiue homo abſtractus, ſunt formaliſſimè omnes homines confusè cogniti, ſed non prædicantur de Petro omnes homines confusè cogniti, ergo non prædicatur

de

de Petro id,pro quo ſupponit homo abſtractus: mi: probatur: tum quià non datur identitas inter Petrum, & omnes homines, quæ identitas requiritur ad veritatem propoſitionis: tum quià hæc propoſitio: *Petrus eſt omnis homo* eſt falſa, ergo & erit falſa iſta: *Petrus eſt homo* ſi homo ſupponit pro omnibus hominibus.

31. Reſpondeo concedo ma: & nego min: ad eius probationem dico identitatem, quæ datur inter Petrum, & omnes homines confusè cognitos, eſſe identitatem inadæquatam, quià Petrus eſt vnus ex illis hominibus, qui ſubiacent cognitioni confuſæ, & præciſiuæ: ad veritatem autem propoſitionis ſatis eſſe idētitatem inadæquatam, demonſtratum eſt num. 6, huius quæſtionis. Neque inde ſequitur poſſe verificari iſtas propoſitiones: *vnus miles eſt exercitus. Anima eſt homo. Palatium Vaticanum eſt Roma* propter identitatem inadæquatam prædicati cum ſubiecto, quià non omnis identitas inadęquata prædicati cum ſubiecto ſufficit ad reddendam veram propoſitionem: ſatis eſt igitur identitas inadæquata prędicati cum ſubiecto, quando prædicatum eſt totum logicum, ſicuti eſt prædicatum vniuerſale; non verò ſufficit identitas inadæquata prędicati cum ſubiecto, quandò prædicatum eſt totum phyſicum, quod non poteſt prædicari de ſinguiis partibus, Diſparitas inter totum logicum verè prædicabile de inferioribus, & totum phyſicum nequaquam prædicabile de ſingulis par-

partibus eſt manifeſta, quià totum phyſicum eſt vnum ex multis, adeoque non poteſt de ſingulis partibus prædicari, Roma enim eſt vna Ciuitas, quæ conſtat ex multis domibus. Totum autem Logicum, quod eſt vniuerſale, eſt vnum in multis, adeoque poteſt de ſingulis prædicari, cum quibus habet identitatem. Cæterum ex falſitate huius propoſitionis *Petrus eſt omnis homo* non ſequitur, non prædicari omnes homines confusè cognitos. Ratio eſt, quià intellectus dicendo expreſsè *Petrus eſt omnis homo* non cognoſcit omnes homines cognitione indifferenti ad ſenſum copulatiuum, & diſtributiuum; ſicuti cognoſcit dum format iſtam propoſitionem *Petrus eſt homo*. Hinc eſt, quod licet homo vniuerſalis ſit re ipſa omnis homo, diuerſimodè tamen ſonat hic terminus *homo* acceptus cum ſyncategoremate, ac ſeparatus à tali ſyncategoremate, tùm quià homo cum ſyncategoremate vniuerſali non retinet illam vnitatem, quam habet homo vniuerſalis, tùm quià intellectus diuerſimodè cognoſcit cum format conceptum hominis, ac cum format conceptum omnium hominum.

32. Obijc. ſexto: ſi prædicantur omnes homines, vel prædicantur copulatiuè, vel diſiunctiuè: non copulatiuè, alioquin propoſitio euaderet falſa, non diſiunctiuè, quià non prædicatur vniuerſale, quando propoſitio eſt diſiunctiua; ergo non prædicantur in actuali prædicatione hominis de Petro omnes homines.

nes.

nes. Confirmatur, quia hæc propoſitio: *Petrus eſt homo* eatenùs eſt vera, quatenùs eſt vera illa: *Petrus eſt hic, vel ille homo*, ſed in hac ſecunda propoſitione non prædicatur homo vniuerſalis, ergo neque in prima.

33. Reſp nego ma: prædicantur enim de Petro omnes homines, non in ſenſu copulatiuo, neque in ſenſu formaliter diſiunctiuo, ſed prædicantur in ſenſu pracifiuo, qui ſenſus eſt indifferens ad ſenſum copulatiuum, & diſiunctiuum: hic modus cognoſcendi conuenit intellectui quatenus cognoſcit confuſè plura ſingularia confuſione requiſita ad faciendũ vniuerſale, vt notatum eſt in numero 8. præſentis quæſtionis. Ad confirmationem concedo ma: & minor: & nego conſeq: quià aliud eſt vnam prædicationem eſſe formaliter aliam; aliud eſſe æquiualenter aliam: hæc prædicatio *Petrus eſt homo* eſt æquiualenter, non formaliter hæc alia *Petrus eſt hic, vel ille homo*: Ideò propoſitio, in quà prædicatur vniuerſale de ſingularibus, non eſt formaliter, ſed æquiualenter diſiunctiua, quod ſatis eſt ad retinendam vnitatem præciſionis, & ad veritatem propoſitionis.

34. Obijcies vltimo: hæc propoſitio *Petrus & Paulus ſunt homo* non prædicat vniuerſale de ſingularibus: ergo neque iſta *Petrus eſt homo*. Antecedens probatur primò, quià intellectus prædicando hominem de Petro, & Paulo cognoſcit plura, vt plura, ſed cognoſcendo plu-

ra,

ra, vt plura non facit vniuerſale, ergo non facit vniuerſale. Secundò, quià intellectus affirmando Petrum, & Paulum eſſe homines, neque ex parte prædicati, facit vniuerſale, ergo neque facit vniuerſale affirmando Petrum, & Paulum eſſe hominem.

35. Reſp: nego antec: ad primam probationem diſtinguo maiorem: cognoſcit plura vt plura ex parte ſubiecti concedo ma: ex parte prædicati; nego ma: & conceſſa minori diſtinguo conſequens: non facit vniuerſale ex parte ſubiecti: concedo conſequentiam; ex parte prædicati: nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem conceſſo aut: nego cōſeq: Diſparitas eſt, quia intellectus dum ait Petrum, & Paulum eſſe homines; neque ex parte ſubiecti, neque ex parte prædicati præſcindit à multitudine, à quà præſcindit ex parte prædicati, dum ait Petrum, & Paulum eſſe hominem.

QVAESTIO II.

Vtrum ſenſus poſſit facere vniuerſale.

1. HVc vſque de causà formali vniuerſalis, quæ eſt cognitio denominans logicè naturam vnam, & prædicabilem de multis; nunc agendum ſupereſt de cauſa, quàm vocant efficientem, hoc eſt de illà cauſà, quæ

in genere cauſæ efficientis facit, vt natura vniuerſalis ſit vna: hæc cauſa citrà controuerſiam eſt potentia intentionalis.

2. Potentiæ itentionales, quæ ſunt facultates cognoſcentes, & appetentes, aliæ ſunt materiales, aliæ immateriales:de immaterialibus, quæ ſunt intellectus, & voluntas, non erit ſermo in præſenti quæſtione, in quâ ſolum agimus de facultatibus materialibus: inter iſtas enumerantur omnes ſenſus externi, nimirum facultates videndi, audiendi, & aliæ ſimiles. Præterea eſt facultas materialis Imaginatio. quæ cognoſcit omne id, quod cognoſcitur à ſingulis ſenſibus, format enim intra ſe imagines ſenſibiles rerum omnium;quæ fuerunt à ſenſibus externis repræſentatæ; ideo alio nomine a Græcis accepto vocatur Phantaſia, eo quod elaborat phantaſmata, quæ vt ait Ariſtoteles, neceſſe eſt vt ſpeculetur intellectus in ſtatu vitæ præſentis, in quo accipit cognitionem à ſenſibus: huiuſmodi facultates dicuntur materiales tum quia ſedem habent in corpore, tùm quià per iſtas homo non ſecernitur à brutis animantibus, ſubſtantijs adæquatè materialibus, quià verò in ordine facultatis materialis inuenitur maior & minormaterialitas,ideo in facultatibus materialibus datur maior & minor perfectio iuxta maiorē & minorē materialitatem. Hinc demōſtrat Ariſtoteles maiorē perfectionē,& minorem materialitatem eſſe in ſenſu videndi;quàm in ſenſu tangendi, cæteriſque ſenſibus exter-

nis,

nis:longè maiorē perfectionē,& longè minorē materialitatem reperiri in imaginatione; quæ habet longè ſublimiorem cognoſcendi modum, quam habeant reliqui ſenſus. Hæc ſatis ſit rudi mineruæ delibaſſe ex dicendis in libris de anima; nunc dubium eſt, an ſenſus, & imaginatio poſſint facere vniuerſale.

3. Ratio dubitandi eſt primò, quia oculus qui videt à longè plures arbores, non poteſt diſtinguere vnam ab alia, ergo omnes confundit: ſed illa cognitio, quæ confundit plura, facit vniuerſale, quia cognoſcit multa, vt vnum: ergo oculus facit vniuerſale.

4. Secundò. Intellectus, qui à ſingulis hominibus abſtrahit rationem hominis, ideò facit vniuerſale, quià cognoſcit vnum prædicabile de multis, ſed etiam oculus videt vnum prædicabile de multis, videt enim vnam rationem arboris de omnibus prædicabilem, ergo etiam oculus facit vniuerſale.

5. Tertiò. Qui videt hominem à longè venientem, videt in ſenſu formali animal, & non videt in ſenſu formali hominem, ſed videre formaliter animal, & non videre formaliter hominem eſt cognoſcere exercitè animal præciſum ab homine, & non homine, adeoque eſt videre animal vniuerſale: ergo qui videt hominem à longè venientem, facit vniuerſale quià videt exercitè animal prædicabile de homine, & non homine.

6. Quartò. Ratio formalis, ſub quâ ocu-

lus videt albedinem eſt ratio co oris, quæ ab hac, vel illà ſpecie coloris abſtrahitur, ſicuti ratio formalis, ſub quâ intellectus cognoſcit, eſt ratio abſtractiſſima entis, ergo oculus attingit rationem abſtractiſſimam coloris, ergo oculus facit vniuerſale. Confirmatur, quià ratio abſtractiſſima coloris, ſub quà oculus videt albedinem, eſt ratio generica, adeoque ratio vniuerſalis,

7. Quintò: non eſt dubium, an ſenſus præſcindant, vt eſt manifeſtum experientia hominis, qui videtur à longè; quod ſi ſenſus præſcindunt, non eſt cur non poſſint facere vniuerſale, quia natura vniuerſalis conſtituitur vna per cognitionem præciſiuam, ergo ſenſus poteſt facere vniuerſale.

8. Sexto. Idem vrgetur efficacius in Phantaſia, quæ eſt ſuprema inter facultates ſentientes, ea enim proximè accedit ad naturam intellectus, cui inſeruit, dum elaborat phantaſmata ab intellectu ſpeculanda: ergo debet participare facultatem, quam habet intellectus formandi vniuerſale, iuxta illud principium S. Dionyſij *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*, quod à S. Thoma explicatur de rebus ſupremis ordinis inferioris accedentibus ad naturam rerum infimarum ordinis ſuperioris.

9. Vltimo. Bruta imaginantur naturam abſtractam ab omnibus ſingularibus, ſed non poſſunt imaginari hanc naturam, niſi phantaſia, quæ eſt in Brutis, habeat facultatem facien-

ciendi vniuerſale ; ergo &c. ma: probatur,quia credibile eſt formari ab ouibus imaginem lupi abſtractiſſimè accepti , tum quia eſt naturalis inimicitia inter ouem ,& lupum, quo fit , non hunc potius quam illum lupum , ſed lupum vt ſic eſſe ouibus inuiſum , tum quia experimur illam ouem , quæ nunquam vidit lupum , ad primum lupi aſpectũ fugere,inde eſt,quod antequam videat lupum, habet in ſua mente imaginem lupi vt ſic,quem apprehendit naturæ ſuæ repugnātē Hæc ſunt argumēte partis cōtrariæ.

10. Noſtra ſententia , quam expreſſè docet Ariſtoteles eſt,nullum ſenſum ſiue internum ſiue externũ eſſe cauſam efficientē vniuerſalis.

11. Probatur : nullus ſenſus poteſt abſtrahere ab omnibus circumſtantiis materialibus , ſiue ab omnibus differentijs indiuidualibus , per quas vnum ſingulare diſtinguitur ab alio: ergo nullus ſenſus poteſt facere vniuerſale. Conſequentia eſt euidens , quià vniuerſale fit per cognitionem præciſiuam ab omnibus ſingularibus . Antecedens probatur , quià nulla facultas materialis poteſt præſcindere ab omnibus circumſtantijs materialibus , ſed omnis ſenſus eſt facultas materialis , ergo nullus ſenſus poteſt abſtrahere ab omnibus circumſtantijs materialibus ; maior probatur ; quià modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſed modus eſſendi potentiæ,ſiue formæ materialis non eſt abſtractus.ab omnibus circumſtantijs materialibus,ergo neq;modus operãdi eſt abſtractus.

Hnic patet diſcrimen inter facultates, ſiue formas materiales, & immateriales, quod illæ dependent tam in eſſe, quàm in operari à materia, ſicuti ſunt animæ brutorum, iſtæ verò non dependent à materia, ſicuti eſt anima rationalis, quæ non dependet à materia in eſſe; quia poteſt viuere ſeparata à corpore; neque dependet in operari, quià licet cognoſcat per ſenſum ſingularia veſtita circumſtantijs materialibus, nihilominus cognoſcit vniuerſalia ſpoliata huiuſmodi circumſtantijs, hinc acutè Ariſtoteles probat animam hominis eſſe animam immaterialem, & conſequenter immortalem.

12. Confirmatur: nullus ſenſus poteſt cognoſcere vnum in multis, & prædicabile de multis, illud enim, quod eſt prædicabile de multis, & eſt obiectum ſcientiæ debet eſſe prædicatum æternum, inuariabile, & neceſſarium adeoque abſtractum ab omnibus differentijs accidentalibus, ſed nullus ſenſus poteſt cognoſcere huiuſmodl prædicata, quia ſenſus externi ſolum percipiunt rem hic, & nunc exiſtentem, imaginatio verò, quæ percipit rem etiam præteritam, & abſentem, non penetrat intimè naturam rei, ſed ſolum cognoſcit illam extimam ſpeciem, quam habent ſingularia, videlicet figuram, magnitudinem &c.

13. Hoc argumento conſtat phantaſiam, quæ eſt longè nobilior cæteris ſenſibus, non poſſe formare vniuerſale perfectum, & ſcien-

tifi.

tificum , quià non poteſt perfectè præſcindere ab accidentibus indiuidualibus. Cæterum non eſt animus negare, ab iſta facultate poſſe fieri aliquod vniuerſale imperfectum, quod à cæteris ſenſibus fieri non poteſt. Ratio eſt, quia vniuerſale imperfectum eſt illud, quod abſtrahit à multis accidentibus materialibus, non tamen ab omnibus, ſed phantaſia poteſt abſtrahere à multis, à quibus non poſſunt abſtrahere cæteri ſenſus, ergo &c. quia hoc intereſt inter ſenſus externos, & phantaſiam, quod illi non poſſunt niſi rem præſentem videre; vt patet in oculo, qui non cernit colorem niſi præſentem: phantaſia verò, quæ habet minorem materialitatem, poteſt videre rem abſentem, & præſentem, ergo abſtrahit ab accidentibus, à qubus non abſtrahunt cæteri ſenſus: ratio à priori eſt, quia imaginatio inter facultates ſentientes eſt ſuprema, ergo aliquo modo debet attingere perfectionem intellectus humani, qui eſt infimus in ordine rerum ſpiritualium: iuxtà illud Dionyſij: *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*: ergo cum non poſſit peruenire ad perfectionem intellectus, qui abſtrahit ab omnibus circumſtantiis, debet illum imitari abſtrahendo à multis, à quibus non abſtrahunt ſenſus, Hinc patet ad argumenta partis oppoſitæ.

14 Ad primum. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, ergo confundit omnes confuſione materialiter ſe habente ad naturam

vniuerſalis: concedo conſequentiam: formaliter ſe habente: nego conſequentiam: oculus, qui videt multas arbores, videt vnam rem ex multis; non videt vnam rem in multis, ideò non abſtrahit vnam rationem arboris prædicabilem de omnibus; illa igitur confuſio, quâ oculus confundit arbores, non eſt ſatis ad conſtituendam, & denominandam vnam naturam arboris, quia confuſio; ad hunc finem ordinata conſiſtit in cognitione perfectè præciſiuâ adeòque cognoſcente vnum in multis.

15 Ad ſecundum. Minor eſt falſa, quià eſt diſpar ratio inter intellectum confundentem omnes homines, & oculum confundentem arbores, ille enim quia præſcindit ab omnibus ſingularibus, cognoſcit hominem prædicabilem de omnibus, hic verò quià non præſcindit ab omnibus ſingularibus, nimirum à circumſtantijs loci, & temporis, non abſtrahit vnam rationem arboris prædicabilem de omnibus, quis enim dicat arborem, quam videt oculus hominis habitantis Romæ poſſe prædicari de arbore Hiſpanâ? quid igitur cognoſcit oculus confundens multas arbores ſi non videt arborem de omnibus prædicabilem? videt vnam collectionem ex multis arboribus compoſitam, eo pacto quo odoratus percipit ſimul odores, qui afflantur ex multis floribus.

16 Ad tertium. Diſtinguo maiorem: videt animal perfectè præciſum nego maiorem: im-

per-

perfectè præciſum: concedo maiorem, & diſtincta minori, nego conſequentiam. Sermo in præſenti eſt de cognitione, quam habet oculus, quia de cognitione intellectus nullum eſt dubium, an perfectè præſcindat: illa igitur cognitio quà oculus videt hominem à longè venientem, quæ non poteſt diſcernere an verè ſit homo, non præſcindit perfectè ab omnibus ſingularibus, nimirum ab accidentibus indiuidualibus loci, & temporis, quià, vt eſt manifeſtum, cognoſcit eum eſſe potiùs in hoc loco, quàm in alio. Inde eſt animal cognitum huiuſmodi cognitione, non eſſe prædicabile de omnibus animalibus, adeòque non eſſe vniuerſale, quià animal vniuerſale eſt prædicabile de omnibus. Illud verò, quod videtur ab oculo, non eſt prædicabile, niſi de illo ſingulari indiuiduo, quod ibi verè mouetur, vbi moueri videtur ab oculo. At oculus non diſcernit, an illud animal ſit homo, vel non homo: igitur præſcindit ab homine, vel non homine. Præſcindit certè: quis enim hoc vertat in dubium? eſt dubium, an perfectè? quòd à nobis negatur, & meritò, quià præſcindere perfectè eſt præſcindere ab omnibus ſingularibus, quod non cadit in rem preſentē: quandò cognoſcitur aliquod animal vtique præſcinditur, ſed non perfectè, quià conceptus alicuius animalis non eſt vniuerſalis: Quid igitur mirum, ſi oculus imperfectè præſcindit videns animal à longe, adeòque non facit vniuerſale?

17 Ad

17 Ad quartum. Diſtinguo antecedens: eſt ratio coloris formalizata ab intellectu: concedo antecedens, eſt ratio formalizata à ſenſu: nego antecedens: & conſequentiam. Oculus videt vtramque formalitatẽ albedinis, & coloris, quià vtraq; eſt indiſtincta; intellectus verò, qui formalizat formalitates realiter indiſtinctas, abſtrahit formalitatem coloris à formalitate albedinis, & dicit formalitatem coloris eſſe rationem formalem, ſub quà videtur albedo. Hinc eſt quòd oculus non facit vniuerſale, quod facit intellectus. Ad hoc aſſerendum mouetur intellectus, eo quòd oculus, qui videt albedinem poteſt videre nigredinem, & non poteſt videre ſonum, quò fit, vt ratio formalis, ſub qua videt oculus, ſit ratio coloris abſtracta ab intellectu, non ab oculo. Huius rei certiſſimum argumentum eſt, quòd oculus non poteſt videre colorem abſtractum, quem ſine dubio cognoſcit intellectus, qui vnam rationem abſtrahit ab alia: illud igitur eſt diſcrimen inter ſenſum, & intellectum, quòd licet vterque habeat rationem formalem, ſub quà cognoſcit, formalizare tamen rationem formalem *ſub qua*, & rationem formalem *qua* ſpectat ſolum ad intellectum.

18 Ad quintum. Conſtat ex dictis, præciſio enim requiſita ad vniuerſale eſt perfectè præciſiua, quòd non contingit cognitioni, quà præſcindit ſenſus.

19 Ad vltimum: bruta non apprehendunt

niſi

niſi rem ſingularem, quià imaginatio, quæ eſt in brutis, non poteſt alio modo res cognoſcere, niſi circumſcriptas loco, quià non poteſt cognoſcere niſi magnitudinem, & figuram, res autem quæ ſunt in loco ſine dubio ſunt ſingulares. Hinc falſum eſt in phantaſià Ouiũ eſſe Lupum vniuerſalem: Quid eſt igitur, quòd Ouis fugit ſtatim, ac videt Lupum ſibi anteà ignotum? quià nimirum eo viſo format imaginem Lupi odio capitali ſeipſam inſectantis, vndè naturali inſtinctu mouetur ad fugiendum hoſtem, natura enim, quæ eſt prouida omnium mater, omnibus parat media ad vitam conſeruandam neceſſaria, & quià nihil aliud præſente Lupo occurrit opportunius ad vitam defendendam, præter fugam, ideò natura impellit Oues ad fugiendum: eodem modo ſoluitur argumentum deſumptum ex animalibus, quæ fame cogente appetunt cibum, non enim appetunt cibum vniuerſalem, cuius nullam habent cognitionem, ſed appetunt cibum ſingularem, quẽ nimirum imaginatio repræſentat animalibus in aliquo certo loco inueniri.

QVAESTIO III.

Vtrum ſolus intellectus humanus ſit cauſa vniuerſalis.

1. PRæter facultates materiales, quas habet homo communes cum cæteris animalibus

malibus, datur intellectus, qui eſt facultas immaterialis, & hominem diſtinguit à brutis, eumque collocat in ordine ſuperiori, nimirum in ordine rerum, quæ vt potè ſeparatæ à materia habent virtutem minimè limitatam in cognoſcendo, quià cognoſcunt omne id quod cognoſci poteſt. In hoc ordine ſunt Angeli, & ipſe Deus, cum hoc tamen diſcrimine, vt ſupremum locum habeat intellectus Diuinus, qui omnia intelligit comprehenſiuè per cognitionem à ſe indiſtinctam; medium locum habet intellectus Angelicus, qui per multas cognitiones à ſe realiter diſtinctas intelligit; vltimum intellectus humanus, qui omnia imperfectè cognoſcit propter dependentiam à ſenſibus. Dubium eſt, an quicumque intellectus poſſit facere vniuerſale. Ad hoc dubium ſoluendum neceſſe eſt diſtinguere inter cognitionem vniuerſalem, & cognitionem rerum in vniuerſali, hæc enim ſunt valdè diuerſa. Ideò nè naſcatur æquiuocatio ex confuſione terminorum, priùs ſtatuendum eſt, vtrum ad perfectionem intellectus pertineat habere cognitionem vniuerſalem in repræſentando, deindè gradum faciemus ad examinandum, an quicumque intellectus poſſit facere vniuerſale.

2 Dicendum primò. Quicumque intellectus poteſt habere cognitionem vniuerſalē in repræſentando, & hoc ſpectat ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſiue ad perfectionem puram, & præſcindentem ab omni imperfectione: perfe-

fectionem ſimpliciter ſimplicem appellant illam Theologi, quæ eſt melior ipſa, quàm non ipſa, quæ nimirum talis eſt, vt ſit melius illam habere quàm non habere; Ità intelligere, & eſſe, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quià eſt melius eſſe, quàm non eſſe, & melius eſt intelligere, quam non intelligere.

3 Hæc ſententia, quam docet cum Ariſtotile S. Thomas probatur. Cognitio vniuerſalis in repræſentando, eſt formaliſſimè cognitio vna repræſentans multa, ſed quicumque intellectus poteſt habere huiuſmodi cognitionem, ergò quicumque intellectus poteſt habere cognitionem vniuerſalem in repræſentando. Minor probatur, quià modus operandi ſequitur modum eſsēdi, ſed modus eſſendi ſubſtantiæ intellectualis in eo præcisè conſiſtit, quòd huiuſmodi ſubſtãtia ſit forma indiuiſibilis eleuata ſupra omnē materiam, & ſimul poſſit fieri multa, immò omnia, iuxtà illud Philoſophi. *Intellectus intelligendo fit omnia*: ergò modus operandi proprius ſubſtantiæ intellectiuè debet habere hanc perfectionem, vt illa cognitio, quę eſt operatio intellectus, ſit vna entitatiuè, & multiplex repræſentatiuè, quatenus repræſentat clarè, & diſtinctè plura obiecta. In hoc diſcurſu fundatur illa vniuerſalitas in repræſentando, quę à S. Thoma tribuitur intellectui, & ſubſtantiæ immateriali, quia ſubſtantia immaterialis eſt intellectiua, ſed quatenus intellectiua poteſt fieri intelligendo omnia,

nia, ergò quatenus immaterialis poteſt intelligendo fieri omnia, adeòque eminenter continet omnium rerum perfectiones, quas poteſt intelligere.

4 Quòd autem hoc pertineat ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & præſcindentẽ ab omni imperfectione, ità demonſtratur: eſſe intellectiuũ, eſt prædicatum quòd præſcindit ab omni imperfectione, tum quià inuenitur in Deo vbi nulla eſt imperfectio, tum quià carere intellectu eſt formaliſſimè poſſe habere cognitionem vniuerſalem in repræſentando, ſiuè cognitionem vnam, quæ repræſentat plura: ergò poſſe habere huiuſmodi cognitionem eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: quæ præſcindit ab omni imperfectione, Hinc eſt, quòd ſubſtantia intellectiua eo magis recedit à perfectione intelligendi, quò magis recedit à cognoſcendis pluribus vnica cognitione, quià verò Deus eſt ita perfectus, vt omnia cognoſcat vnica cognitione; ideo Deus habet perfectiſſimum modum intelligendi, quò fit, vt Deus vnica cognitione, quà ſeipſum cognoſcit, omnia ſimul cognoſcat, præſentia, futura, & poſſibilia, quià nimirum Deus in ſe ipſo continet eminenter omnium rerum perfectiones.

5 Dicendum ſecundo. Ad illum intellectum ſpectat facere vniuerſale, qui poteſt cognoſcere cognitione præciſiuà, adeòque poteſt abſtrahere naturam vnam ab omnibus ſingularibus.

6 Pro-

6 Probatur: facere vniuerſale eſt formaliſſimè cognoſcere plura confusè non diſcernendo vnum ab alio, ſed cognoſcere plura confusè non diſcernendo vnum ab alio, eſt cognoſcere præciſiuè, & abſtrahere naturam vnam ab omnibus ſingularibus, igitur ad illum intellectum ſpectat facere vniuerſale, qui poteſt cognoſcere præciſiuè, & poteſt abſtrahere naturam vnam à ſingularibus. Hinc conſtat euidentiſſimum diſcrimen inter cognitionem vniuerſalem, quæ eſt cognitio vniuerſalis in repræſentando, & cognitionem cognoſcentem naturam in vniuerſali, quæ eſt cognitio faciens vniuerſale metaphyſicum, quià cognitio vniuerſalis in repræſentando cognoſcit plurà diſtinctè, & clarè, adeòque eſt vna entitatiuè non præciſiuè: cognitio verò, quæ cognoſcit naturam in vniuerſali eſt vna præciſiuè, quià cognoſcit confusè præſcindendo à ſingularibus. Ideo cùm S. Thoma, qui hoc diſcrimen diligenter obſeruat, infertur, eò magis eſſe perfectam cognitionem, quò magis cognoſcuntur plura diſtinctè,& clarè per vnam cognitionem;adeòque maiorem, vel minorem perfectionem cognitionis deſumendã eſſe ex maiori, vel minòri vniuerſalitate cognitionis.

7. Dicendum 3. Solus intellectus Diuinus non poteſt facere vniuerſale,reliqui verò intellectus, hoc eſt angelicus, & humanus poſſunt.

8. Probatur prima pars, intellectùs, qui non poteſt abſtrahere vnam naturam ab omnibus

bus ſingularibus nō poteſt facere vniuerſale intellectus Diuinus non poteſt abſtrahere vnā naturam ab omnibus ſingularibus, ergo non poteſt facere vniuerſale. Mi: probatur, tùm quià repugnat intellectui Diuino cognitio confuſe, qualis procul dubio eſt cognitio,quæ abſtrahit & præſcindit naturam vnam à ſingularibus, tùm quià repugnat intellectui Diuino non diſtinguere vnum ſingulare ab alio ſingulari, id enim arguit de fidem cognitionis.

9. Confirmatur, quià eſſentia Diuina, in quà & per quàm Deus omnia intelligit, omnia repræſentat perfectiſſimè, & diſtinctè, cum in ſe contineat rerum omnium perfectiones longè excellentius, quàm contineantur in rebus creatis; indè eſt, quòd intellectus Diuinus ob eam cauſam propter quàm eſt omnipotens, tamquam primà cauſa omnium rerum, eſt etiam ſapientiſſimus tamquam idealis repræſentatio omnium rerum.

10. Probatur ſecunda pars: quilibet intellectus creatus extenditur ad cognoſcendum omne intelligibile adeoque omne ens, ſed eo ipsò, quòd extenditur ad cognoſcendum omne intelligibile, poteſt facere vniuerſale, ergo quilibet intellectus creatus hoc eſt humanus, & angelicus poteſt facere vniuerſale. Maior eſt certa, quià intellectus qui eſt forma immaterialis, adeoque eſt potentia vniuerſalis in cognoſcendo, habet pro obiecto omne intelligibile: minor probatur, quià intellectus creatus

ex

ex vna parte poteſt omnia cognoſcere, adeoque res infinitas, ex alia parte non habet perfectionem infinitam, ideò non poteſt diſtinctè, & clarè cognoſcere res infinitas, ergo poteſt confusè cognoſcere infinita, ergo poteſt ab infinitis ſingularibus abſtrahere naturam vnam, eamque reddere vniuerſalem, ergo intellectus creatus, qui poteſt infinita cognoſcere, poteſt facere vniuerſale.

11. Ratio à priori, cur poſſit intellectus creatus, non poſſit increatus facere vniuerſale, eſt quià intellectus increatus, vt potè infinitus, continet omnem perfectionem; ergo repræſentat omnia perfectiſſimè, ſicuti ſunt in ſe; adeoque diſtinctè; intellectus verò creatus continet omnia imperfectè, quià non eſt perfectionis infinitæ, ergo poteſt repræſentare omnia imperfectè, hoc eſt confusè & indiſtinctè ea quæ ſunt diſtincta.

12. Hoc argumentum euincit cauſam vniuerſalis eſſe intellectum humanum, & angelicum, quòd ità eſt intelligendum, vt potiori iure ſit intellectus humanus, tùm quià obiectum proprium intellectus humani eſt vniuerſale vt alibi demonſtratum eſt, tùm quià intellectus humanus, qui cognoſcit ſingularia miniſterio ſenſuum, nō cognoſcit illud prædicatum intrinſecum, & indiuiduale, per quòd vnum ſingulare diſtinguitur ab alio; hoc prædicatum cognoſcit intellectus angelicus, qui non ſpeculatur Phantaſmata.

13. Dicendum vltimo: voluntas creata poteſt facere vniuerſale. Ratio eſt, quià poteſt amare bonum commune præſcindendo ab hoc vel illo bono: obiectum enim voluntatis eſt bonum vniuerſale, ſicuti obiectum intellectus eſt verum vniuerſale: addo, quòd voluntas amat bonum ab intellectu cognitum, quod ſine dubio eſt bonum vniuerſale, ideò huiuſmodi amore præſcindit à bonis ſingularibus, ſicuti intellectus cognitione præſcindit à ſingularibus, eſt enim vtriuſque par ratio.

14. Hinc habes, quomodo expedias *illam* difficultatem, in quà explicanda multum temporis impendunt Recentiores, *cuius nimirum* facultatis debeat eſſe ille actus, qui conſtituit vnam naturam vniuerſalem: intellectus ne agentis, an poſſibilis, an huiuſmodi actus ſit comparatiuus, vel abſolutus, directus, vel reflexus: quà in re multa diſputant intempeſtiuè in libris de anima diſputanda: rem totam paucis expedio, docendo illum actum, qui perfectè præſcindit naturam à ſingularibus, reddere vnam naturam vniuerſalem: quidquid ſit, an iſte actus fiat ab intellectu agente, vel poſſibili: ſit comparatiuus, vel abſolutus, directus, vel reflexus: non enim repugnat, vt natura præciſiuè cognita ab vna cognitione, cognoſcatur præciſiuè ab alia, adeoque vniuerſale ſemel factum iterum fiat, quià id non eſt, vt dici ſolet, actum agere; cum multum expediat

pediat pluribus cognitionibus eamdem naturem reddere vniuerſalem.

15. Quid poſſit huic doctrinæ opponi, quòd non fuerit abunde ſolutum, mihi non ſatis apparet: aliqua tamen ſunt minimè prætereunda, quæ ſophiſticè potiùs, quàm ſolidè vrgentur ad tribuendam intellectui diuino facultatem faciendi vniuerſale in hunc modum.

16. Primò nulla eſt perfectio, quæ non ſit in Deo; ſed potentia faciendi vniuerſale eſt perfectio, ergo eſt in Deo. Adde quòd intellectus creatus ideò poteſt facere vniuerſale, quod non poteſt ſenſus, quià eſt immaterialis, ſed intellectus diuinus eſt ſummè immaterialis, ergo &c.

17. Secundò: intellectus diuinus cognoſcit vniuerſale factum ab intellectu humano, cognoſcendo enim illam cognitionem, quà ego præſcindo naturam humanam à ſingularibus, cognoſcit in mea cognitione, tanquam in imagine hominem à ſingularibus abſtractum, ergo facit vniuerſale. Conſequentia probatur, quià cognoſcere hominem abſtractum à ſingularibus eſt formaliſſimè facere vniuerſale: ſed Deus cognoſcit hominem abſtractum à ſingularibus, ergo facit vniuerſale. Adde, quòd homo vniuerſalis in mente Diuina eſt perindè, ac in mente humana, aliter eſſet aliquid, quòd Deus ignoraret.

18. Tertiò. Intellectus humanus, qui iudicat Petrum eſſe hominem, facit vniuerſale, quià re-

flectit ſupra apprehenſionem hominis, ergo etiam intellectus Diuinus, qui reflectit ſuprà noſtram cognitionem, facit vniuerſale. Conſequentia probatur, quià vterque intellectus cognoſcit hominem abſtractum, in cognitione, tamquam in imagine,

19. Quartò. Deus prohibet furtum, & mendacium in genere præſcindendo à quocumque furto, & mendacio ſingulari, neceſſe eſt igitur, vt cognoſcat furtum,& mendaciũ ſub ratione abſtractiſſima furti & mendacij, ſed mendacium & furtum abſtractiſſimè acceptum eſt furtum vniuerſale, ergo Deus cognoſcit, adeoque facit vniuerſale.

20. Quinto. Explicari non poteſt quid cognoſcat Deus,quandò prohibet mendacium, ſi non cognoſcit mendacium in vniuerſali,ergo Diuinus intellectus dùm ſtatuit legem, quà vetat furtum, & mendacium, cognoſcit naturam invniuerſali.

21. Ad primum: opus eſt diſtinguere duplicem perfectionem vnam immunem ab omni defectu, aliam defectuoſam. Illa ſine dubio debet eſſe formaliter in Deo, qui eſt infinitè perfectus: iſta verò non eſt in Deo, niſi eminenter ſegregata videlicet ab omni vmbra defectus. Potentia faciendi vniuerſale eſt perfectio ſine dubio imperfecta, quià eſt potentia cognoſcendi confusè adeoque imperfectè, non debet igitur eſſe in Deo formaliter: vt enim Deus habeat quamcumque perfectionem re-

rum

rum creatarum, ſatis eſt ſi eminenter habeat hanc potentiam, quàm verè habet, quià eſt tantæ perfectionis, vt habeat cognitionem vniuerſaliſſimam; hoc eſt cognitionem vnam omnia complectentem. Immaterialitas, quæ eſt ratio, cur intellectus creatus ſit cauſa vniuerſalis, non eſt ſumma immaterialitas; Hinc Deus, qui eſt immaterialis immaterialitate ſummà, non poteſt abſtrahere vnam naturam à ſingularibus: Deus autem ob id dicitur ſummè immaterialis, quià eſt actus ſimpliciſſimus, quod nulli rei creatæ poteſt contingere. Diſcrimen igitur, quod eſt inter ſenſum & intellectum Diuinum, eſt ſatis manifeſtum, vterque non poteſt facere vniuerſale, ſed ſenſus non poteſt ex defectu; Deus verò ex abundantia perfectionis. Cum enim poſſe facere vniuerſale duo formaliſſimè inuoluat, nimirum poſſe cognoſcere omnia, quod vtique eſt perfectio, & poſſe imperfectè cognoſcere, quod eſt imperfectio, neque Deus, neque ſenſus poteſt facere vniuerſale, ille quià eſt incapax perfectionis, quæ reperitur inpotentia faciendi vniuerſale; iſte quià eſt incapax defectus. In forma diſt. ma: nulla eſt pura perfectio, quæ non ſit in Deo: concedo mai: perfectio non pura: nego ma: & diſtinguo min: potentia faciendi vninerſale eſt perfectio pura: nego minorem: non pura: concedo minorem, & nego conſequentiam:

22. Ex hac diſtinctione habes, quomodo

ſoluas hoc aliud argumentum ſophiſticum: nihil poteſt cauſa ſecunda, quod non poſſit prima, ſed cauſa ſecunda poteſt facere vniuerſale, ergo etiam prima. Diſtingue in forma maiorem; nihil poteſt cauſa ſecunda potentia purè perfectà, quod non poſſit prima: concede mai: potentia non purè perfectà: nega maiorem: quidquid poteſt cauſa ſecunda potentia, quæ in ſuo conceptu excludit defectum, poteſt etiam cauſa prima; cæterum id, quòd poteſt cauſa ſecunda potentia includente defectum, non poteſt cauſa prima, quià non poſſe facere id, quòd non poteſt fieri ſinè defectu operantis, eſt potiùs potentia quàm impotentia:ità Deus qui non poteſt opinari, neque poteſt diſcurrere, quod poſſunt cæteri homines, non ex defectu, ſed exceſſu perfectionis id non poteſt.

23. Ad ſecundum concedo antecedens, & nego conſequentiam: ad eius probationem diſtinguo ma: cognoſcere ſignatè naturam vniuerſalem eſt facere vniuerſale: nego ma: cognoſcere exercitè: concedo ma: & diſtinguo minorem. Deus cognoſcit ſignatè naturam abſtractam: concedo minorem: cognoſcit exercitè nego minorem & conſequentiam. Cauenda eſt ſubtilis æquiuocatio inter cognitionem cognoſcentem ſignatè, & cognitionem cognoſcentē exercitè: natura enim abſtracta poteſt cognoſci ſignatè, & exercitè: cognitio, quæ facit vniuerſale, cognoſcit exercitè naturam abſtractam: ratio à priori eſt; quià vniuerſale fit per co-

cognitionem præciſiuam, quæ eſt ſubiectiuè in intellectu faciente vniuerſale; hinc eſt quòd ille intellectus, qui non habet ſubiectiuè cognitionem prçciſiuam, etiam ſi eam habeat obiectiuè; non facit vniuerſale, quià verò cognitio, quæ cognoſcit exercitè naturam abſtractam, eſt ſubiectiuè in intellectu, qui cognoſcit naturam abſtractam, & cognitio, quæ cognoſcit ſignatè naturam abſtractam, eſt obiectiuè in intellectu cognoſcente naturam abſtractam: ideò cognitio, quæ facit vniuerſale, eſt illa quæ cognoſcit exercitè, non ſignatè naturam abſtractam. Hinc Deus, qui cognoſcit vniuerſale factum ab homine, non cognoſcit exercitè, ſed ſignatè naturam abſtractam, adeoque non facit vniuerſale, quià cognitio quæ præſcindit à ſingularibus eſt obiectiuè in mente Diuina, vt eſt indubitatum, non ſubiectiuè, quià Deus non præſcindit à ſingularibus.

24. In hunc modum ſolues hoc aliud ſophiſma, quòd in re ſimili ità formo ad probandum te præſcindere obiectiuè animal à rationali. Dum negas te præſcindere obiectiuè; vel cognoſcis id quòd negas, vel non cognoſcis: ſi non cognoſcis, ergo ſtultè negas, qui enim negat quod non cognoſcit, ſtultè negat: ſi cognoſcis, ergò cognoſcis animal, obiectiuè præciſum à rationali, ergo obiectiuè præſcindis: quid enim aliud eſt præſcindere obiectiuè niſi habere in mente animal obiectiuè ſine rationali; Admiſſo enim cognoſcere id,

Digitized by Google

quod negas, diſtingue illud conſequens, ergo cognoſco exercitè animal obiectiuè præciſum: nego conſequentiã, cognoſco ſignatè concedo conſequentiam: præſcindere obiectiuè eſt cognoſcere exercitè, non ſignatè animal præciſum obiectiuè à rationali, quià illa cognitio, quæ denominat obiectiuè præciſum animal, debet eſſe in intellectu ſubiectiuè, non obiectiuè: quandò autem negas te cognoſcere exercitè obiectiuè animal, non cognito rationali, cognoſcis ſignatè non exercitè animal obiectiuè præciſum: cognitio enim, quæ obijcitur tuæ cognitioni, eſt chimærica:

25. Ad tertium eſt diſpar ratio inter intellectum, qui reflectens ſupra ſuam apprehenſionem, iudicat Petrum eſſe hominem & Deum qui reflectens ſupra meam cognitionem cognoſcit, quod ego cognoſco, quià homo apprehenſiuè cognitus mouet intellectum ad iudicandum Petrum eſſe hominem: homo enim repræſentatur ſub eodem conceptu per actum iudicij, & per actum apprehenſionis, adeoque iudicium, quod reflectit ſuprà apprehenſionem eodem modo præſcindit, ac apprehenſio: è contrario illa cognitio, qua ego cognoſco hominem, non mouet intellectum Diuinum ad cognoſcendum: Deus enim nullà re creata mouetur ad intelligendum; hinc eſt, quòd Deus non cognoſcit præciſiuè hominem, etiam ſi cognoſcat hominem cognitum à mè præciſiuè: illa enim ſpecies,

quæ

quæ vt ita dicam mouet Deum ad cognoſcendum hominem, repræſentat diſtinctè & comprahenſiuè omnes homines, cum ſit ipſa eſſentia Dei, ego itaque, qui reflecto ſuprà meam apprehenſionem, cognoſco exercitè naturam vniuerſalem: Deus verò qui reflectit ſuprà meā cognitionem, non cognoſcit exercitè ſed tantùm ſignatè naturaram vniuerſalem. At nonne Deus cogoſcit naturam vniuerſalem in mea cognitione, tanquam in imagine? Non dubito, quin Deus cognoſcat in mea cognitione, tamquam in imagine rem cognitam, ideò Deus cognoſcit ſignatè naturam vniuerſalem: ego è contrariò cognoſco naturam vniuerſalem in mea cognitione, non ſolum tanquam in imagine, ſed etiam ex vi imaginis, quià moueor à tali apprhenesione ad iudicandum Petrum eſſe hominem, ideò cognoſco exercitè naturam vniuerſalem.

26. Ad vltimum: Deus quià prohibet furtum in genere, non propterea cognoſcit exercitè furtum in genere; ſed tantum cognoſcit ſignate: id non ſufficit ad faciendum vniuerſale, quià furtum abſtractiſſime acceptum, quod in mente Diuina habet eſſe obiectiue, adeoque cognoſcitur ſignatè à Deo, habet eſſe, vel ſaltem habere poteſt ſubiectiuè in mente creata: cæterum Deus dùm cognoſcit ſignatè furtum vniuerſalizatum ab intellectu humano, cognoſcit diſtinctè & comprehenſiue omnia furta ſingillatim accepta.

DISPV-

DISPVTATIO SEXTA.

De prædicabilibus.

ABſolutis ijs, quæ ſpectant ad perfectam intelligentiam vniuerſalium, deſcendimus ad agendum de vniuerſalibus in particulari, quæ vulgo dicuntur prædicabilia, nimirum Genus Species, Differentia, Proprium, & Accidens; vocantur vniuerſalia logica, quià ſpectat ad logicam, ſcientiam intentionalem ſpeculari ſecundas intentiones, vt alibi demonſtratum eſt. De ijs ſermo eſt in eo libro qui inſcribitur introductio Porphirij, hic enim Philoſophus Platonicus, & Peripateticus, vt videre eſt in cap. prim. eiuſdem libri, exiſtimauit debere præmitti ad cæteras logicæ partes, & præſertim ad Ariſtotelis prædicamenta, doctrinam de prædicabilibus, quam fere totam ab Ariſtotele accepit præſertim in Topica.

QVAESTIO I.

Vtrum prędicabile ſit genus ad omnia prædicabilia.

1. ANteqnam agamus de ſingulis prædicabilibus, & oſtendamus diſcrimen vnius ab alio, præmittimus hanc quæſtionem, in quâ definiendum eſt vtrum omnia prædicabilia conueniant in aliqua ratione generica prædicabili vniuocè de omnibus, adeoque an poſſit abſtrahi vna ratio communis, quæ ſit eadem in omnibus.

2. Rationes dubitandi, quas hic ſubijcio ad ſpeciem veri magis, quàm verè concludentes, ſunt tres. Primò prædicabile ſi eſſet genus, eſſet genus ad ipſum genus, quod eſt vnum prædicabile: conſequens eſt falſum, ergo & antec: Mi: probatur: genus, quòd eſt vnum prædicabile, eſt genus generaliſſimum complectens omnia genera, ergo etiam complectitur prædicabile vt ſic, quod eſt aliquod genus: ergo prædicabile vt ſic eſt logicè inferiùs genere, ergo non poteſt eſſe genus ad ipſum genus: Vltima conſequentia probatur, quià ſi eſſet genus ad ipſum genus, non eſſet logicè inferiùs genere, eſſet enim vniuerſalius, adeoque ſuperiùs, ſed oſtenſum eſt eſſe logi

logicè inferius, quià continetur ſub genere, ergo &c.

3. Secundò. Si daretur ratio communis omnibus prædicabilibus, genus eſſet ſpecies: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens: ma: probatur, quià prædicabile vt ſic ità ſe habet ad primum & ſecundùm prædicabile, nimirum ad genus & ſpeciem, ſicuti totum metaphyſicum ſiuè logicum ad ſuas partes, eo modo quo animal comparatur ad hominem & equũ, ſed partes totius metaphyſici ſunt ſpecies, ergo &c.

4. Tertiò. Ideò prædicabile eſt genus, quià per ipſum definiuntur omnia prædicabilia, ſed hoc eſt falſum, ergo non eſt genus: mi: probatur, quià genus non poteſt definiri per aliud genus: tùm quià genus, quòd eſt primum prædicabile eſt genus generaliſſimum, tùm quià debet dari aliquòd genus, per quod omnia definiuntur, non amplius definibile, ergo:

5. Sententia communis, & vera eſt, poſſe ab omnibus prædicabilibus abſtrahi vnam rationem communem, ſicuti ab omnibus animalibus poteſt abſtrahi vna ratio: hæc ratio, quæ eſt ratio prædicabilis vt ſic, eſt genus ad omnia prædicabilia.

6. Probatur: non minùs conueniunt in ratione prædicabilis omnia prædicabilia, quàm conueniant in ratione animalis omnia animalia, & in ratione hominis omnes homines, ſed poteſt abſtrahi ab omnibus animalibus vna ratio

tio

tio generica animalis, ergo etiam poteſt abſtrahi ab omnibus prædicabilibus vna ratio generica prædicabilis, ergo prædicabile vt ſic eſt genus ad omnia prædicabilia. Minor probatur; quià ſicuti poſſunt confundi inter ſe omnia animalia, ità poſſunt confundi omnia prædicabilia.

7. Ad primum argumentum in contrarium concedo maiorem: & nego minorem, ad eius probationem concedo totum enthymema, & diſtinguo conſequens ſubſumptum, ergo prædicabile vt ſic acceptum diſtributiuè, & in ſuppoſitione perſonali eſt inferius genere; nego conſequentiam: acceptum collectiuè & in ſuppoſitione ſimplici: concedo conſequentiam. Similiter ad eius probationem, diſtinguo ma: non eſſet logicè inferius acceptum diſtributiuè, & in ſuppoſitione perſonali: concedo ma. acceptum collectiuè, & in ſuppoſitione ſimplici: nego mai: & diſtincta minori, nego conſequentiam. Ad ſolutionem huius ſophiſmatis, & ſimilium, quæ poſſunt in hac materia formari duo ſunt ſtatuenda. Primum eſt, vnum & eumdem terminum communem, ſiuè vniuerſalem accipi poſſe in ſuppoſitione diuersà, ſicuti eadem res poteſt abſtrahi abſtractione diuerſa, ideò poteſt accipi diſtributiuè, & in ſuppoſitione perſonali; vel collectiuè & in ſuppoſitione ſimplici. Ità hic terminus *animal* poteſt conſiderari deſtributiuè, & in ſuppoſitione perſonali, ità vt quidquid prædicatur de animali,

mali, prædicetur etiam de ſingulis animalibus; idem terminus poteſt accipi collectiuè, & in ſuppoſitione ſimplici, in quo ſenſu non prædicatur de ſingulis animalibus quidquid prædicatur de animali, quiá animal eſt genus, & homo non eſt genus.

8. Statuendum ſecundò, nihil repugnare, quo minùs de vno, & eodem termino accepto in vna ſuppoſitione negetur id, quod de eodem affirmatur in alia ſuppoſitione. Ratio eſt manifeſta, quià ſicuti non repugnat idem affirmari & negari de eodem accepto in diuersà abſtractione, ſeù ſub diuerſo conceptu,ità non repugnat idem affirmari, & negari de eodem termino diuerſimodè ſupponente. Hinc eſt, quòd eſſe genus affirmatur de animali ſupponente ſimpliciter, & negatur de animali ſupponente perſonaliter.

9. In re igitur noſtra: hic terminus vniuerſalis *prædicabile vt ſic* poteſt accipi tùm collectiuè, & in ſuppoſitione ſimplici, tùm diſtributiuè, & in ſuppoſitione perſonali, ſi accipiatur diſtributiuè, abſtrahitur ab omnibus prædicabilibus vna ratio prædicabilis de ſingulis, quià verum eſt genus eſſe prædicabile, ſpeciem eſſe prædicabilem, & ſic de ſingulis: ſi accipiatur collectiuè, accipitur in vno conceptu collectio omnium prædicabilium, quæ vocatur genus, & hoc non eſt affirmabile de omnibus ſingillatim, quià ſpecies non eſt genus, eo modo quo collectio omnium animalium

lium vocatur genus animalium, quod in hac ſuppoſitione de ſingulis animalibus nõ eſt prædicabile;nullum enim eſt animal, quod ſit tota collectio animaliũ, quare idem terminus acceptus in vna ſuppoſitione eſt ſuperior, & vniuerſalior ſingulis prædicabilibus, & conſequenter eſt ſuperior genere, quod eſt primum prædicabile: acceptus in aliâ ſuppoſitione non eſt ſuperior, ſed inferior genere; quod conſtituit primum prædicabile, quià ita ſe habet ad genus, ſicuti pars ad totum, inferius ad ſuperius, homo ad animal, hinc conſtat, quomodo ſine vlla repugnantia detur genus generis, quomodo prædicabile vt ſic ſit ſuperius,& inferius reſpectu ſui ipſius, quomodo ſit aliquid magis latè patens, quàm ipſum genus, & tamen contineatur ſub genere, quià videlicet accipitur in ſuppoſitione diuerſa.

10. Ad ſecundum; ſimiliter diſtinguo maiorem: genus acceptum in vna ſuppoſitione eſſet ſpecies in eadem ſuppoſitione; nego ma: in diuerſa ſuppoſitione: concedo ma: & diſtincta mi: nego conſ: hæc diſtinctio conſtat ex doctrina nuper tradita.

11. Ad tertium concedo ma: & nego min: genus quod eſt primum prædicabile, eſt genus generaliſſimum, hoc eſt genus abſtractum à quocumque genere, & conſideratum ſub ratione vniuerſaliſſima generis, ſicuti enim ab omnibus animalibus abſtrahitur ratio animalis, quæ continet in ſe omnia animalia, ità ab omni-

omnibus generibus abſtrahitur ratio generis, quæ continet iu ſe omnia genera; hoc genus, quod prædicatur de omni genere, definitur per genus, quia definitur per prædicabile vt ſic quod ſine dubio eſt genus, adeoque genus definitur per ſe ipſum, in diuerſa tamen ſuppoſitione, quia predicabile vt ſic ab omnibus prædicabilibus abſtractum poteſt dupliciter conſiderari, nimirum in ſuppoſitione perſonali, in quà ſuppoſitione dicitur eſſe id, quod poteſt de pluribus prædicari, quia poſſe de pluribus prædicari non conuenit prædicabili dependenter ab illa cognitione, per quam abſtrahitur ab omnibus prædicabilibus, *ſicuti* principium ſentiendi non conuenit *animali dependenter* ab illa cognitione, per quam abſtrahitur ab omnibus animalibus. Prætereà poteſt conſiderari in ſuppoſitione ſimplici, in qua ſuppoſitione denominatur genus, & ſpectat ad primum prædicabile, quià denominatio generis conuenit prædicabili dependenter à cognitione præciſiua, eo modo, quò conuenit animali: prædicabile igitur vt ſic, per quod definitur genus, definit ſimul, & definitur, ſub diuerſa tamen ſuppoſitione, quia in ſuppoſitione perſonali definit, in ſuppoſitione ſimplici definitur. Nihil autem obſtat, quominus idem ſe ipſum definiat in diuerſa ſuppoſitione, ſicuti in definitione hominis idem ſub diuerſo conceptu definit, & definitur. Hinc habes, quomodo ſine vlla repugnantia prædi-

dica-

dicabile abſtractum ab omnibus prædicabilibus ſit ſuperius & ſimul inferius magis, & minus latè patens, quàm primum prædicabile; quia prædicabile ſupponens perſonaliter magis latè patet, quàm primum prædicabile, cum ſit prædicabile non tam primum, quàm ſecundum prædicabile: ſupponens autem ſimpliciter minus latè patet, quia eſt vnum genus de quo prædicatur genus prædicabile de omni genere; & conſtituens primum prædicabile.

12. Ad illud quod vrgetur: debet dari genus generaliſſimum, quod eſt primum prædicabile, ſed debet dari genus non definibile, ergo primum prædicabile non definitur. Diſtinguo ſimiliter propoſitionem minorem: debet dari genus in ſuppoſitione ſimplici non definibile: nego minorem; in ſuppoſitione perſonali: concedo min: ſi ſermo ſit de genere formaliter accepto ſiue in ſuppoſitione ſimplici, neceſſe eſt omne genus definiri, ſicuti neceſſe eſt omne genus pertinere ad primum prædicabile, definito enim genere abſtractiſſimè conſiderato, quod eſt formaliter genus, & vocari poteſt genus generaliſſimum, definiuntur omnia genera in ratione generis: quòd ſi ſermo eſt de genere materialiter accepto ſiue in ſuppoſitione perſonali, eſt verus Ariſtotelis diſcurſus probantis euidenter deueniendum eſſe in definitionibus ad aliquod genus indefinibile: hoc eſt ad aliquod prædicatum ita clarum, & manifeſtum, vt non poſſit clarius ex-

plicari. Et hæc ſufficiant ad ſoluendas huiuſmodi tricas, quæ torquere ſolent mirabiliter ingenia recentiorum.

QVAESTIO II.

Vtrum vniuerſale diuidatur in quinque prædicabilia.

1. CErtum eſt prædicabile, quod demonſtratum eſt eſſe genus reſpectu omnium prædicabilium, diuidi à Porphirio in genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & accidens; quæ vocantur quinque prædicabilia, & magnopere conducunt ad *habendam* ſcientiam de definitione, & demonſtratione.

2. Præterea certum eſt non diuidi prædicabile quatenus poteſt promiſcuè prædicari quacumque prædicatione, ſed ſolum quatenus poteſt prædicari directè, & formaliter: ratio eſt, quià prædicatio ſcientifica, quæ ſolum debet attendi, eſt prædicatio formalis, & directa, in quà prędicatum vel magis, vel æque latè patet ac ſubiectum: dubium eſt, an *prædicta* diuiſio ſit bona, & adęquata, adeò vt nullum prædicabile ſit, quod in iſtis non contineatur.

3. Ratio dubitandi eſt, primò, quià definitio eſt prædicabilis de definito, vt animal rationale de homine, ſed definitio non prædicatur

catur de definito aliquo ex modis enumeratis; ergo diuiſio tradita non eſt bona.

4. Secundò; prædicata tranſcendentalia videlicet *ens vnum*, *& bonum* prædicantur de rebus omnibus; ſed huiuſmodi prædicata ad nullũ prædicabilẽ reducũtur, ergo idẽ quod prius

5. His tamen non obſtantibus, dico huiuſmodi diuiſionem eſſe optimam, & adæquatam. Ratio eſt, quià prædicari directè eſt prædicari eſſentialiter, vel accidentaliter: ſed prædicari eſſentialiter, vel accidentaliter, eſt prædicari aliquo ex modis enumeratis, ergo diuiſio tradita eſt adæquata. Minor probatur: quod prædicatur eſſentialiter, vel prædicatur, vt tota eſſentia, vel vt pars eſſentiæ: ſi prædicatur vt tota eſſentia, conſtituit ſpeciem, quæ eſt ſecundum prædicabile, ſi prædicatur vt pars eſſentiæ, vel prædicatur vt pars determinans aliàm partem, & ità conſtituit differentiam, quæ eſt tertium prædicabile: vel vt pars determinata, & ità conſtituit genus primum prædicabile: præterea quod prædicatur accidentaliter, vel prædicatur tanquam aliquid emanans ab eſſentia, & ità conſtituit quartum prædicabile, quod vocatur proprium, vel prædicatur tanquam aliquid inhærens phyſice alteri, & ab eodem ſeparabile, & ità conſtituit quintũ, & vltimum prædicabile, quod dicitur accidens: ergo prædicabile optimè diuiditur in quinque prædicabilia: quod erat oſtendendum.

6. Ad primum argumentum partis contrariæ, dico prædicationem, qua prædicatur definitio de definito, continere prædicationem generis, & differentiæ: ratio eſt, quia definitio traditur per genus, & differentiam.

7. Ad ſecundum diſtinguo ma: prædicantur vniuoce: nego ma: analogicè concedo ma: & conceſſa minori nego conſeq: prædicata tranſcendentia ſunt termini analogi non vniuoci, vt docet Ariſtoteles in lib. de prædicam. & nos docebimus dum agemus in metaphyſica de analogia entis; inde eſt, quòd huiuſmodi prędicationes non debent includi in numero predicabilium. Ratio à priori eſt, quia ens, & cætera prædicata tranſcendentia non ponuntur in linea prædicamentali, vt dicemus ſuo loco.

QVAESTIO III.

De genere, ſpecie, & differentia.

1. Sciendum primò cum Porphirio genus poſſe accipi multipliciter: primò pro aliqua multitudine hominũ, qui eiſdem legibus deuincti habent ordinem inter ſe, & ad vnum primum à quo producũtur: ità humanam gentem appellamus genus humanum. Secundò pro origine reſpiciendo familiam, vel patriam; ità

ità Pindarum dicimus Thebanum,genere, Platonem Athenienſem. Tertiò pro eo, cui ſubijcitur, ſiue ſupponitur ſpecies, ità animal vocatur genus, quià ſub animali ſunt variæ ſpecies animalium. Hoc genus, de quo in præſenti ſermonem habemus, appellatur genus logicum, quia non eſt aliquid reale exiſtens in rebus nullo intellectu cogitante, ſed eſt aliquod intentionale, ſiue ens rationis logicum, quia conſiſtit in denominatione extrinſeca, per quam animal cognitum cognitione præciſiua denominatur genus.

2. Sciendum ſecundò, duobus modis poſſe accipi ſpeciem: primò pro exteriori forma, & corporis pulchritudine, in quo ſenſu dicitur homo ſpecioſius, qui eſt venuſti & elegantis aſpectus, ſecundò pro eo, quod ſubijcitur generi, in quo ſenſu ſignificatur illud eſſe intentionale,quod habet aliqua natura cognita conceptu præciſiuo. Species vſurpata in hoc poſteriore ſenſu, de qua ſermo eſt in præſenti, habet duplicem reſpectum: vnum ad genus, cui ſubijcitur,alterum ad indiuidua,de quibus prædicatur. Ratio eſt, quia ſpecies logica non ſolum habet inferiora, de quibus eſt prædicabilis, ſed etiam habet prędicatum ſuperius, ex quo componitur, adeoque reſpectu inferiorum dicitur ſpecies prædicabilis, & reſpectu prædicati ſuperioris dicitur ſpecies ſubijcibilis.

3. Sciendum tertiò: ſpeciem diuidi in ſpeciem infimam ſiue athomam,& in ſpeciem ſub-

alternam. Ratio eſt, quia datur aliqua ſpecies, infra quam non eſt alia, vt homo: & datur aliqua ſpecies, infrà quam eſt alia ſpecies, vt animal, ſed illa ſpecies, infrà quam non eſt alia ſpecies, eſt ſpecies infima; & illa ſpecies, infra quam eſt alia ſpecies, eſt ſubalterna, ergo &c. Hinc eſt, quòd ſpecies ſubalterna comparata cum prædicato cui ſubijcitur, vocatur ſpecies: comparata cum inferioribus, de quibus prædicatur, dicitur genus: ità animal eſt genus reſpectu hominis, & ſpecies reſpectu corporis,

4. Sciendum quartò: differentiam ſumi poſſe communiter, propriè, & propriiſſimè differentia ccommunis eſt illa, quæ fundatur in accidente communi; huiuſmodi datur inter hominem album, & nigrum: differentia propria eſt illa, per quam differunt aliquæ ſubſtantiæ in accidente proprio, & inſeparabili; ita Cycnus differrt à Coruo, quià albedo eſt ab illo inſeparabilis, & ab iſto eſt inſeparabilis nigredo; differentia propriiſſima eſt illa, per quam aliqua differunt in eſſentia, ita homo differt ab equo per rationàlitatem. De hac differentia, quæ conſtituit tertium prædicabile ſermo eſt in præſenti. Hinc eſt, quòd differentia logicè conſiderata conuenit per ſe rei, de qua prædicatur, adeoque non ſuſcipit magis, & minus. Ratio à priori eſt, quià huiuſmodi differentia conſtituit ſpeciem, ſed ſpecies non ſuſcipit magis & minus, quià vnus homo non

eſt

eſt magis homo quàm alius ergo &c,

5. Sciendum vltimo differentiam aliam eſſe diuiſiuam, quæ diuidit, & non conſtituit: aliam conſtitutiuam, quæ conſtituit, & non diuidit: ſenſitiuum eſt differentia conſtitutiua animalis, quia animal quod definitur viuens ſenſibile, conſtituitur intrinſecè per ſenſitiuum: rationale verò eſt differentia diuiſiua, quià animal non conſtituitur per rationale, præſcindit enim à rationali, & irrationali.

6. Notandum hic eſt, nullam dari differentiam diuiſiuam generis, quæ non ſit conſtitutiua ſpeciei ſubalternæ, vel infimæ, ſicuti omnis differentia, quæ conſtituit ſpeciem, diuidit genus. Hinc eſt; quòd ratio ſenſitiui quæ conſtituit animal, diuidit viuens, quod eſt indifferens præciſiuè ad formandum animal, vel plantam: his obſeruatis.

7. Dico primò: genus bene definiri à Porphirio in cap.3. id quod prædicatur in quid incompletè de pluribus differentibus ſpecie:

8. Probatur, quia huiuſmodi definitio traditur per genus, & differentiam, adeoque explicat naturam rei definitæ: illa enim verba, *id quod prædicatur* ſtant loco generis, quià prædicabile vt ſic eſt commune omnibus prædicabilibus: reliqua verba ſtant loco differentiæ, quia prædicari in qnid eſt prædicari eſſentialiter, quod non conuenit proprio, & accidenti. Prædicari incompletè non eſt prædicari vt totam eſſentiam, quod conuenit ſpeciei, quæ

prædicatur de indiuiduis, vt tota eorum eſſentia; præterea prædicari in quid eſt prædicari vt partem eſſentiæ indifferentem præciſiuè ad conſtituendam hanc potius quàm aliàm eſſentiam, adeoque determinabilem logicè ab alia parte; quod non conuenit differentiæ, quæ prædicatur vt pars determinans: ergo &c.

9. Dico ſecundò: ſpecies infima ſiue athoma bene definitur ab eodem Philoſopho, id quod prædicatur in quid completè de pluribus differentibus numero.

10. Probatur, quià hæc definitio explicat id quod habet ſpecies commune cum cæteris prædicabilibus, & id per quod differt, vt omnibus conſtat.

11. Dico tertiò: differentia eſt id, quod prædicatur in quale quid de pluribus ſpecie, vel numero differentibus.

12. Probatur eodem argumento. ratio à priori cur genus prædicatur in quid, & differentia in quale quid, eſt, quià res materialis ſicuti conſtituitur phyſice ex materià & forma. nimirum ex duabus partibus realiter diſtinctis quarum vna determinat, quæ eſt forma; alià verò determinatur, quæ eſt materia, ità conſtituitur logicè ex genere, & differentia, hoc eſt ex duabus partibur formaliter diſtinctis, quæ habent analogiam ad formam, & materiam; genus enim eſt materia, quià determinatur à differentia, & differentia, quæ determinat genus, eſt forma; ſed in toto phyſico id quod

de-

determinat ſubiectum, eſt forma, vt patet in ſtatua: ergo & in toto logico differentia, quæ determinat, prædicatur in quale quid: ideò interroganti quid eſt homo, reſpondetur eſſe animal, & rurſus interroganti quale animal ſit homo, reſpondetur eſſe rationale; Hinc originem traxit illud vulgare apud Philoſophos effatum: genus deſumitur ex materia, & differentia ex forma: prædicata enim generica vocantur materialia, & prædicata differentialia dicuntur formalia.

13. Obijc. primò: definitio generis non diſtinguit genus à ſpecie, ergò non explicat naturam generis. Antecedens probatur, quia eſt maior diuerſitas inter genus ſupremum, & genus infimum, quàm inter ſpeciem, & genus infimum, ſed genus ſupremum, & genus infimum ſpectant ad idem prædicabile, ergò, &c.

14. Reſp nego antecedens, ad eius probationem diſtinguo maiorem: eſt maior diuerſitas materialis: omitto maiorem: diuerſitas formalis: nego maiorem, & conceſſa minori nego conſequentiam. Certum eſt ea, quæ ſunt ſub genere ſupremo, & infimo, habere maiorem diuerſitatem, quàm ea, quæ ſunt ſub genere infimo, quià magis differunt equus, & Angelus qui ſunt ſub genere ſubſtantiæ, quàm differant equus, & homo, qui ſunt ſub genere infimo, hoc eſt ſub genere animalis: ſed iſta diuerſitas materialiter ſe habet in ordine ad modum prædicandi, qui debet vnicè attendi, dum

agitur

non poſſunt, quià vt docet Ariſtoteles in ſeptimo Metaphyſicæ, ens per accidens, quale procul dubio eſt ens cognitum, definiri non poteſt.

18 Reſp. concedo maiorem, & nego minorem, & dico cum S. Thoma in opuſculo de ente, & eſſentia prædicari, & definiri totum complexum ex natura, & cognitione, quià non prædicatur ſola natùra, vt ait Scotus, neque ſola cognitio, vt Caietanus: ratio à priori eſt quià genus eſt concretum accidentale, ſed in definitione concreti accidentalis definitur complexum ex ſubiecto, & forma, ergò in definitione generis definitur complexum ex natura, & cognitione: Minor probatur, quià concretum accidentale eſſentialiter conſtat ex ſubiecto, & forma, adeòque vtrumque debet explicari: ità quandò definitur album eſſe diſgregatiuum viſus, vtrumque definitur, nimirum ſubiectum, quod denominatur album, & forma quæ denominat ſubiectum album. Inde eſt, quòd ſicuti definiuntur duo in definitione concreti, ita prædicantur duo, quandò prædicatur concretum accidentale, ſed ſubiectũ prędicatur in recto,& forma in obliquo. Ratio huius eſt,quià concretum accidentale ſignificat duo, & ſupponit tantum pro vno, vt alibi oſtenſum eſt, quià verò id quòd ſignificatur in obliquo eſt forma, ideò definitum materiale in definitione concreti eſt ſubiectum, & definitum formale eſt forma; hinc eſt quòd in definitione generis duo definiuntur,ſicuti duo prædi-

can-

cantur, quandò prædicatur genus; natura videlicet, & cognitio; illa in recto, iſta in obliquo; quià cognitio eſt illa ratio formalis, ſub quà prædicatur, & definitur natura: neque proptereà ſequitur, affirmari de homine cognitionē præciſiuam, quandò affirmatur hominem eſſe animal, ſicuti neq: affirmatur albedo de pariete, licet albedo conſtituat album, quod de pariete affirmatur, quià nimirum prædicatur in obliquo tanquam id, quod terminus concretus ſignificat, & pro quo non ſupponit.

19 Cæterum ſecundam intentionem generis eſſe concretum accidentale non obſtat, quominùs poſſit genus definiri, quià Ariſtoteles in loco citato non negat poſſe definiri vna definitione concretum accidentale, ſed ſolum negat poſſe definiri tali definitione, quæ explicet naturam vtriuſque partis, vt apertè conſtat ex diſcurſu, quem ibi ingenioſiſſimè tradit, & hic non vacat examinare: hinc eſt, quòd definitio generis non explicat, quid ſit natura, quæ per cognitionē præciſiuam abſtrahitur à ſingulis, ſed explicat quomodò natura reddatur ab ipſa cognitione præciſiuà prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

QVAE-

QVAESTIO IV.

Quid ſit indiuiduum, & vtrum poſſit abſtrahi vna ratio indiuidui communis omnibus.

1\. AGimus in præſenti de indiuiduo vnà cùm Porphirio, quia ſpecies refertur ad indiuidua, ſicuti genus ad ſpeciem, ea verò quæ viciſſim referuntur ſunt ſimul natura, & cognitione, vt docet Ariſtoteles in prædicamentis.

2\. Sciendum igitur primò indiuiduum, cuius nomine ſignificatur illud prædicatum, quod eſt poſtremum in linea prædicamentali, vt dicemus ſuo loco, & appellatur ab Ariſtotele prima ſubſtantia, poſse dupliciter conſiderari; phyſicè, ſiuè primò intentionaliter, & logicè ſiuè ſecundò intentionaliter, eo modo quo homo conſideratus phyſicè eſt animal rationale, & conſideratus logicè eſt ſpecies. Indiuiduum phyſicè, & primò intentionaliter acceptum definitur à Porphirio eſſe illud, quod habet tales proprietates, quarum collectio non inuenitur naturaliter in alio, & à S. Thoma ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumque alio. Illà definitio complectitur ſolas ſubſtantias cõpletas, quæ ſunt propriè, & ſimpliciter indiuidua ſicuti ſunt propriè, & ſimpliciter ens: cę-

tera

tera enim vel ſunt partes entis, vt ſubſtantiæ incompletæ nimirum materia, & forma, vel ſunt entis ens, vt accidentia. Indiuiduum logicè, & ſecundò intentionaliter acceptum ab eodem Philoſopho definitur id, quod de vno tantum prædicatur.

3. Sciendum ſecundò pro intelligentia vtriuſq; definitionis proprietates indiuiduales, quibus vnũ indiuiduum diſcernitur ab alio, recenſeri à Philoſophis ſeptẽ, quæ vt altiùs menti inhæreant; his duobus verſibus continentur.

Forma, figura, locus, tempus cum nomine ſanguis,
Patria ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter.

4. Hæc accidentia appellantur proprietates indiuiduales, quià humanus intellectus, qui accipit cognitionem à ſenſibus, per huiuſmodi accidentia diſcernit vnum indiuiduum ab alio; non poſſunt naturaliter eædem proprietates eſſe in duobus indiuiduis, vt experiẽtià conſtat, quis enim vnquam vidit duos homines eiuſdem formæ, eiuſdem figuræ, patriæ, ætatis, &c.? Prætereà naturaliter contingere non poteſt, vt duo indiuidua occupent eumdem locum, quià penetratio corporis non poteſt fieri viribus naturæ, licet poſſit diuinitus contingere, vt duo homines ſint in eodem loco, habeant eamdem figuram, & eaſdem proprietates indiuiduales: quod tamen ad rem præſentem non facit, quià ſemper eſt verum eá col-

lectio-

lectionem accidentium, quæ connenit Petrò; & per quam Petrus à Paulò diſcernitur, talem eſſe, vt non poſſit naturaliter inueniri in Paulo.

5 Sciendum tertio iſtam collectionem accidentium non eſſe requiſitam per ſe, & neceſſario ab illo indiuiduo, in quo reperitur eſt enim accidentarium; quòd Petrus habeat illa accidẽtia exteriora, quibus à Paulò diſcernitur quiá eſt omninò per accidens reſpectu Petri habere iſtam collectionem proprietatum indiuidualium potiùs, quam aliam; potuiſſet enim habere loco iſtius collectionis, quam habet in præſenti, aliam collectionem proprietatum indiuidualium, etiamſi facta ſuppoſitione, quòd eam habeat, non poſſit naturaliter eamdem habere aliud indiuiduum: hanc enim legem ſapientiſſimè ſtatuit Auctor naturæ, ne eadem accidentia inuenirentur in duobus indiuiduis; alioquin ea confunderet intellectus humanus, qui non poteſt diſcernere vnum indiuiduum ab alio, niſi conſideratis accidentibus diuerſis, vt alibi demonſtratum eſt: an verò prædicatum, per quod Petrus per ſe, & neceſſario conſtituitur in eſſe Petri, & vocatur Petreitas, ſit diſſimile prædicatis conſtituentibus alia indiuidua; in præſenti non decidimus, ſicuti non definimus quid ſit illud prædicatum, quòd contrahit hominem ad hunc ſingularem hominem, nimirum ad Petrum, hoc enim examinabimus in diſputatione ſequenti, vbi ex profeſſo agemus de differentia numerica, & ſpecifica.

6. His

6. His prælibatis, quæſtionis præſentis ſtatus eſt, vtrum ab omnibus indiuiduis poſſit abſtrahi vna ratio indiuidui communis omnibus: quæ ratio ſit illa, per quam à nobis definitum fuit indiuiduum tàm primò, quàm ſecundò intentionaliter conſideratum.

7. Dico primò; ab omnibus indiuiduis primo intentionaliter conſideratis poteſt abſtrahi vna ratio communis omnibus: hæc ſententia eſt S. Thomæ in prima parte quæſt. 30. art. 4. Caietani, Ruuij, Arriagæ, & aliorum Recentiorum.

8. Ratio eſt, quià non minùs conueniunt omnia animalia in ratione animalis, & omnes homines in ratione hominis, quàm *conueniant* in ratione indiuidui omnia indiuidua; ſed ab omnibus animalibus primò intentionaliter conſideratis poteſt abſtrahi vna ratio animalis prædicabilis de omnibus, ergò etiàm ab omnibus indiuiduis poteſt abſtrahi vna ratio indiuidui prædicabilis de omnibus. Maior probatur, quià ſicuti nullum eſt animal, cui non conueniat in ſenſu reali eſſe principium ſentiendi, ità nullum eſt indiuiduum, cui non conueniat in ſenſu reali eſſe diuiſum à quocumque alio, & habere collectionem accidentium, quæ non poſſit naturaliter in alio indiuiduo inueniri, ergò ſicuti conuenientia omnium animalium in ratione ſenſitiui eſt fundamentum abſtrahendi ab omnibus animalibus vnam rationem animalis, ità conuenientia cuiuſcumque indiuidui in ratio-

tione entis indiuiſi eſt fundamentum abſtrahendi ab omnibus indiuiduis vnam rationem indiuidui communem omnibus.

9. Dico ſecundò: ab omnibus indiuiduis ſecundò intentionaliter conſideratis poteſt abſtrahi vna ratio communis omnibus: huiuſmodi ratio eſt ſecunda intentio indiuidui accepta in communi, eaque definitur eſſe id, quòd prædicatur de vno tantum.

10. Probatur definitum formale in definitione indiuidui logicè conſiderati eſt ſecunda intentio indiuidui prædicabilis de ſecundis intentionibus huius, vel illius indiuidui: definitum materiale eſt natura indiuidui præciſa ab hoc, vel illo indiuiduo, ſed ſecunda intentio indiuidui in communi æqualiter denominat quodlibet indiuiduum, ergo ſecunda intentio indiuidui conſiderata in communi, quæ eſt definitum formale huius definitionis *indiuiduum eſt id, quod de vno tantum prædicatur*, eſt ratio communis, & vniuoca omnibus indiuiduis ſecundò intentionaliter conſideratis. Conſequentia eſt euidens, quia idem formaliſſime eſt aliquam rationem eſſe vniuocam, & ab illa denominari æqualiter inferiora: maior conſtat paritate generis, quod eſt primum prædicabile, & præſcindit ab omni genere, vt oſtenſum eſt. Minor etiam eſt manifeſta, quia non minùs ſecunda intentio indiuidui denominat, quodcumque indiuiduum prædicabile tantum de vno, quam ſecunda intentio generis denominet,

minet quodlibet genus prædicabile de ſingulis generibus ſpecie differentibus; ſicuti enim Animal, quod eſt vnum ſingulare genus eſt prædicabile, de pluribus differentibus ſpecie, ità hoc ſingulare indiuiduum videlicet *Petrus eſt id, quod de vno tantum prædicatur*, ergo, &c.

11. Contrà hanc doctrinam obijcies primo hæc prædicatiò non eſt bona *Petrus eſt id, quod de vno tantum prædicatur*, quià nihil aliud ſignificat quam Petrum eſſe Petrum, ergo ſecunda intentio indiuidui non eſt prædicabilis de omnibus: hoc argumentum confirmat authoritas Phyloſophi, qui in lib. de prædicamentis ait nullam prædicationem deſumendam eſſe ab indiuiduis, quià hoc eſt diſcrimen *inter primas* & ſecundas ſubſtantias, quod iſtæ dicuntur de ſubiecto, quià ſunt prædicabiles, illæ non dicuntur, quià non ſunt prædicabiles.

12. Reſp. diſt. Antec. non eſt bona prædicatio, hoc eſt non eſt vera, nego Antecedens, non eſt formalis: omitto Antecedens, & diſt. conſequens: non eſt prædicabilis prædicatione formali omitto conſequentiam: prædicatione identica: nego conſequentiam. Prędicatio identica eſt vera prædicatio, immò nulla poteſt eſſe verior, quam identica, non eſt prædicatio formalis & ſcientifica, quià non conducit ad ſcientias acquirendas: inde eſt eſſe prædicabilem verè prædicatione identica de quolibet indiuiduo rationem formalem indiuidui, licet ea non ſit prædicabilis prædicatione formali,

mali, quæ conferat ſcientijs: non eſt igitur mirum, quòd Ariſtoteles non meminerit huius prædicationis in lib. de prædicamentis, vbi totus fuit in recenſendis formalitatibus, quæ pertinent ad ſcientias.

13. Obijc ſecundò. Secunda intentio indiuidui abſtractiſſimè conſiderata prædicatur de ſingulis in particulari, ſicuti genus in communi prædicatur de genere particulari, nimirum de animali, ſed repugnat in terminis prædicari de pluribus quod eſt prædicabile de vno tantum, igitur ab omnibus indiuiduis conſideratis ſecundò intentionaliter non poteſt abſtrahi vna ratio communis.

14. Reſp. diſt. maior. prædicatur de ſingulis prædicatione ſpeciei: concedo maior. prædicatione indiuiduali: nego maior. & diſt. min. repugnat prædicari de pluribus prædicatione ſpeciei: nego min. prædicatione indiuidui concedo min. & nego conſeq. æquiuocatio argumenti conſiſtit in tranſitu à ſenſu formali ad ſenſum materialem, vt clariſſimè demonſtro. Secunda intentio indiuidui in ſenſu formali, qui vnicè attenditur in definitione indiuidui, nihil eſt aliud, quàm ſecunda intentio indiuidui denominans naturam prædicabilem de vno: in ſenſu materiali eadē eſt prædicabilis de multis ſecundis intentionibus: in primo ſenſu pertinet ad prædicationem indiuidui, in ſecundo ad prædicationem ſpeciei: Idem conſtat in ſecunda intentione generis, quod in ſenſu formali

prædicatur prædicatione generis, in ſenſu materiali prædicatione ſpeciei.

15 Obijc. tertiò. Indiuidua naturæ humanæ conueniunt in eſſentiâ, differunt in ratione indiuiduali: ergo non poteſt abſtrahi vna ratio communis indiuidui. Conſequentia probatur; quià non poteſt abſtrahi niſi ratio communis in eſſentiâ, ſed huiuſmodi ratio eſt ſpecifica, non indiuidualis ergo, &c.

16. Reſp. diſt. Antec. differunt in ratione indiuiduali abſtractâ nego Antecedens: in ratione indiuiduali contractâ: concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Ad eius probationem nego maior. indiuidua poſſunt conſiderari dupliciter, nimirum quatenùs *habent* eamdem formaliter eſſentiam, adeoquè poteſt abſtrahi ab illis vna ratio ſpecifica, & quatenùs ſunt particulares, & determinati homines, qui conceptus non eſt conceptus naturæ, ſed indiuiduationis. Prætereà ſecundùm huiuſmodi conceptum poſſunt conſiderari quatenùs ſunt iſti ſingulares homines, nimirum Petrus & Paulus, vel quatenùs ſunt indiuiduum, abſtrahendo ab hoc, vel illo indiuiduo. in hoc ſenſu dabitur ratio indiuidui abſtracta ab omnibus & communis omnibus.

17. Obijc. vltimo. Implicat contradictionem, quòd ratio formalis diſconueniendi ſit ratio formalis conueniendi, ſed indiuiduatio eſt ratio formalis differendi, ergo non eſt ratio formalis conueniendi.

18. Reſp.

18. Reſp. concedo maior. & diſt. minor. Indiuiduatio contracta: conc. minor. indiuiduatio abſtracta nego minor. & conſequen. Petrns formaliſſimè differt à Paulo, quia eſt hoc indiuiduum. Ratio eſt, quia Petrus & Paulus conueniunt in ratione formali indiuiduationis determinantis naturam ſpecificam ad peculiarem modum eſſendi, differunt in ratione formali talis indiuiduationis, quæ formaliſſimè dicitur indiuiduatio contracta. Hinc eſt rationem formalem differendi non eſſe rationem formalem conueniendi.

QVAESTIO VLTIMA.

De proprio & accidente.

1. DEmonſtratum eſt in quæſtionibus prætetitis, tres inueniri modos diuerſos prædicandi vnum eſſentialiter de alio. Primum in quid incompletè, tanquam partem materialem eſſentiæ, ſecundo in quale quid, tanquam partem formalem. Tertio in quid complete tamquam totam eſſentiam: reliquum eſt, vt oſtendamus, quot modis aliquid poſſit prædicari prædicatione accidentali.

2. Ad euidentiam huius rei notandum primò accidens prædicabile, de quo eſt nobis ſermo, in aliquo eſſe vniuerſalius quàm accidens prædicamentale: nomine accidentis prædicabilis

ſignificatur prædicabilitas accidentalis vnius de alio. Ita album, quod prædicatur de pariete, eſt accidens prædicabile: nomine accidentis prædicamentalis intelligitur accidens, quatenùs à ſubſtantia contradiſtinctum: ratio eſt euidens, quià multa poſſunt prædicari accidentaliter, quæ tamen non ſunt accidentia, vt patet in hac propoſitione *Animal eſt rationale*, in quà prædicatur accidentaliter rationale, quod non pertinet ad conceptum formalem Animalis; & tamen rationale non eſt Accidens, ſed ſubſtantia. Prætereà dantur plurimæ prædicationes, quæ ſunt ſubſtantiales Phyſice, & accidentales Logicè, quià prædicatum, quod eſt ſubſtantia, vel pars ſubſtantiæ non eſt de eſſentià ſubiecti, adeoquè prædicatur accidentaliter de ſubiecto, vt patet in his propoſitionibns *Anima eſt vnita corpori*; *Creatura exiſtit*; *Verbum Diuinum eſt homo*, ergo Accidens prædicabile in aliquo ſenſu eſt magis vniuerſale, quàm accidens prædicamentale.

3. Notandum ſecundò, nullum accidens phyſicum poſſe prædicari de ſubiecto in abſtracto, ſed ſolùm in concreto; Ità eſt falſa iſta propoſitio. *Paries eſt albedo*, quià prædicatur accidens in abſtracto; è contrario eſt vera iſta *paries eſt albus*, quià prædicatur accidens in concreto; poteſt tamen accidens phyſicum prædicari in abſtracto de inferioribus, cùm quibus comparatur; ſicuti genus cum ſpecie, vel ſpecies cum indiuiduis; Id circo eſt vera iſta propoſi-

poſitio: *Albedo eſt color*. Ratio eſt, quià prædicatio coloris de albedine non eſt prædicatio accidentalis, ſed termini ſuperioris de inferiori, nimirùm generis de ſpecie; hinc eſt, quòd accidens phyſicum non poteſt in abſtracto prædicari niſi prædicatione eſſentiali, ſed in concreto poteſt, tùm eſſentiali, vt patet in hac propoſitione: *Album eſt coloratum*, tùm accidentali, vt *paries eſt albus*: Ratio à priori eſt, quià accidens phyſicum non poteſt prædicari in abſtracto niſi de ſuis inferioribus, adeoquè debet prædicari prædicatione eſſentiali: in concreto poteſt prædicari de inferioribus, & de ſubiecto quod informat.

4. Notandum tertiò, accidens logicum ſiue prædicabile, quod prædicari non poteſt de ſubiecto niſi prædicatione accidentali, eſſe duplex. Aliud eſt accidens proprium illius ſubiecti, de quo prædicatur, vt riſibile de homine, aliud eſt accidentale, quod eſt commune pluribus, vt album de pariete; quià plurima ſunt de quibus prædicatur album accidens proprium, & accidens commune in hoc conueniunt, quòd neutrum prædicatur eſſentialiter, quià neutrum pertinet ad eſſentiam rei, de qua prædicatur: differunt, quià accidens proprium emanat ab eſſentiâ, vt riſibile à rationali: accidens commune non emanat ab eſſentiâ: accidens proprium conſtituit quartum prædicabile, & accidens commune quintum prædicabile, de quibus in præſenti agendum eſt;

tùm quià intellectus poteſt abſtrahere à rebus, quas ſpeculatur, prædicatà eſſentialia, & accidentalia: prius agendum eſt de accidente proprio, quam de communi, quià magis conducit illud, quam iſtud, ad eſſentiam rerum inveſtigandam: his præſuppoſitis.

4. Dico primò; Accidens proprium, quod eſt quartum prædicabile, bene definiri eſſe accidens, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, & prædicatur in quale conuertibiliter.

5. Probatur explicando varios mòdos, quibus, vt optimè notat Porphirius; poteſt accipi accidens proprium: primò pro eo, quod conuenit alicui ſpeciei, ſed non conuenit omnibus indiuiduis. Ità eſſe Philoſophum conuenit homini ſoli, ſed non omni, experientià enim conſtat plures eſſe homines, qui Philoſophiam ignorant. Secundò pro eo, quod conuenit alicui ſpeciei, & omnibus eius indiuiduis; ſed non conuenit ſoli, vt habere duos pedes conuenit omnibus hominibus, non conuenit ſolis hominibus, quià plura ſunt animalia, quæ duos habent pedes. Tertiò pro eo, quod conuenit omnibus & ſolis indiuiduis alicuius ſpeciei, ſed non ſemper conuenit. Ità caneſcere conuenit omnibus & ſolis hominibus, ſed non ſemper conuenit, quià conuenit tantum tempore ſenectutis. Quartò pro eo, quod omni, ſoli, & ſemper conuenit: ità eſſe riſibile conuenit ſemper omnibus & ſolis hominibus, quià numquam inuenitur homo,

qui

qui non ſit riſibilis. Solum proprium acceptum in hac poſtrema ſignificatione conſtituit quartum prædicabile, quia cæteræ proprietates pertinent ad quintum prædicabile, & denominantur Proprium per quandam metaphoram & anologiam ad huiuſmodi proprietatem.

7. Quòd autem proprium quarto modò acceptum pertineat ad quartum prædicabile, eſt ſententia Ariſtotelis, à quo definitur in primò Topicorum cap. 4. eſſe id, quod non indicat, quid ſit eſſe rei, ſed ſoli ineſt, & prædicatur conuertibiliter. Ratio eſt euidens, quia proprium in communi opinione intelligitur eſſe illud, quòd ità conuenit omnibus ad aliquam ſpeciem pertinentibus, vt alijs non conueniat, prætereà vt ſemper conueniat; ſed ſolum proprium quarto modo acceptum eſt huiuſmodi, ergo &c.

8. Hinc colliges proprium phyſicè, & primò intentionaliter acceptum non conſtituere eſſentiam, ſed connecti cum eſſentia, adeoque conuenire ſemper omnibus habentibus talem eſſentiam; quòd ſi ſumatur logicè, & ſecundò intentionaliter, eſt id quòd prædicatur de omnibus indiuiduis, eiuſdem ſpeciei in quale conuertibiliter. Ratio eſt, quià riſibile prædicatur de omnibus hominibus in quale, conuertibiliter, tùm quià riſibile non ſpectat ad eſſentiam hominis, tùm quià eſſe riſibile, & eſſe hominem ſunt termini conuertibiles.

9. Di-

9. Dico ſecundò, accidens commune, quod conſtituit quintum prædicabile, eſſe id quod poteſt adeſſe, vel abeſſe à ſubiecto citra eius corruptionem, vel id quod neq; eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque proprium, ineſt autem ſubiecto.

10. Vtraque definitio traditur à Porphirio, & explicat naturam accidentis communis: in primis benè definitur accidens commune, per ſecundam definitionem, quæ eſt negatiua; Ratio eſt, quià definitione negatiua ea ſolent definiri, quæ à nobis imperfectè cognoſcuntur, quià verò ab humano intellectu cognoſcuntur imperfectè entia tàm ſuprema, quàm infima, vtraque enim ſunt intelligibilia, *illa ex* abundantia, iſta ex indigentia perfectionis, ideò entia infima, qualia ſunt materia prima, continuum, tempus, & alia eiuſmodi, & entia ſuprema, vt ſubſtantiæ immateriales, & præſertim Deus definiuntur definitione negatiua, vt diſertè docet S. Thomas in prima parte, & Ariſtoteles in primo Phyſicorum: accidens autem, quod eſt vltimum prædicabile, minimum habet entitatis; tùm quià eſt entis ens, tùm quià eſt infimum in genere prædicabilium, adeoque parum inſeruit ad aſſequendam naturam rei, cuius cognitionem intellectus deſiderat. Indè eſt, quòd benè definitur definitione negatiua, dicendo: *neque eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque proprium.*

11. Præterea illæ particulæ, quæ in eadem

defi-

definitione ponuntur poſtremo loco, ſignificant prædicatum poſitiuum accidentis communis, quòd cum ſit eſſentialiter entis ens, debet inhærere ſubiecto, eo modo, quo albedo inhæret parieti, quem denominat. Notandum eſt hic cum Doctore Angelico in quarto diſtinctione 18. huiuſmodi inhærentiam, quæ eſt eſſentialis accidentis, non eſſe actualem, ſed radicalem, quæ formaliſſimè conſiſtit in exigentia, quam habet accidens inhærendi ſubiecto. Ratio petenda eſt ex venerabili Sacramento Altaris, vbi docet fides poſt conſecrationem remanere accidentia panis ſine ſubiecto, quià ſubſtantia panis deſtruitur, & in eius locum ſuccedit corpus Chriſti.

12. Hinc ſequitur accidens primò intentionaliter conſideratum optimè definiri definitione poſitiua, eſſe id quod poteſt adeſſe, vel abeſſe citrà ſubiecti corruptionem: Ratio eſt, quià id quod neque pertinet ad eſſentiam ſubiecti, neque eſt proprietas ipſius, poteſt ſeparari à ſubiecto, quin ſubiectum deſtruatur: ſed accidens commune eſt huiuſmodi, ergo benè explicatur per definitionem traditam: accidens verò commune ſecundò intentionaliter, adeoque directè pertinens ad vltimum prædicabile; eſt vnum aptum prædicari de multis in quale contingenter, hoc eſt, non conuertibiliter hinc eſt, proprium conuenire primariò ſpeciei, ſecundariò indiuiduis, ideò enim riſibile prædicatur de Petro, quià prædicatur de homine,

mine, è contrariò accidens primariò prædicari de indiuiduis,ſecundariò de ſpecie: ideò enim currit homo, quià currit Petrus: ratio eſt,quià proprium emanat à prædicatis eſſentialibus, accidens verò ab indiuidualibus.

13. Obijcies primò. Eſt proprium ſubſtantiæ immaterialis eſſe immortalem: ſed non ſola ſubſtantia immaterialis eſt immortalis, ergo proprium non conuenit omni & ſoli. Minor probatur, quià ſubſtantia materialis eſt immortalis, nimirum homo qui poſt reſurrectionem erit immortalis iuxtà illud Pauli in prima ad Cor. cap. 15. *Opportet mortale hoc induere immortalitatem*, ergo &c.

14. Reſpondeo conc. mai: & nego mi:immortalitas conuenit diuerſimodè ſubſtantiæ immateriali,& homini, illi enim conuenit naturaliter; huic ſupernaturaliter inde eſt quòd eſſe immortale per naturã eſt proprietas ſubſtantiæ immaterialis, nullo modo communicabilis ſubſtantiæ materiali: ratio eſt, quià immortalitas poteſt dupliciter conſiderari, videlicet quatenus eſt debita ſubiecto,& quatenus eidem indebita, ſed gratiosè conceditur à Deo; in primo ſenſu habet immortalitatem ſubſtantia immaterialis, quæ non dependet à materia,in ſecũdò habebit homo, cùm per gratiam redemptoris perueniet ad immortalitatem ſibi naturaliter indebitã, vt ſuppono cũ omnibus ferè Theologis, quidquid contradicat Scotus,qui opinatur reſurrectionẽ corporum eſſe naturalem & debitam homini.

15. Obijc.

15. Obiic. ſecundo: datur accidens, quod non poteſt ſeparari à ſubiecto ſinè eius corruptione, ergo malè definitur accidens. Antecedens probatur, quià nigredo non poteſt ſeparari a Coruo Confirmatur, quià febris eſt accidens: & tamen non poteſt eſſe ſiuè deſtructione ſubiecti; idem contingit in morte, quæ eſt accidens & tamen deſtruit hominem: in mutatione, quà compoſitum deſtruitur.

16. Reſpondeo diſt. antecedens: datur aliquod accidens, quod non poteſt ſeparari realiter & Phyſicè: omitto antecedens formaliter & logicè nego antecedens & conſequentiam. Argumentum petit explicationem definitionis à nobis traditæ, quæ non eſt ità intelligenda, vt ſubiectum deſtruatur phyſicè, quandò ſeparatur phyſicè accidens, quod illi inhæret: id enim eſt euidenter falſum, ſed ſenſus definitionis eſt, quòd ſubiectum non intelligitur deſtrui, eo ipſo quòd intelligitur eſſe ſinè illo accidente, vt eſt euidentiſſimum; quià per hoc præcisè, quòd ſeparetur formaliter nigredo à Coruo, non intelligitur deſtrui eius eſſentia, ſicuti ſeparando rationalitatem ab homine deſtruitur homo.

17. Ad confirmationem, dico febrem eſſe accidens, quod poteſt adeſſe ſine ſubiecti deſtructione, quià quandocumque perſeuerat febris, homo viuit. Prætereà mors & ſimilia accidentia ſunt in materia, tanquam in ſubiecto, vt dicemus in phyſica, neque obſtat ab iſtis accidentibus denominari hominem mortuum, &

com-

compoſitum mutatum; quià homo & compoſitum ſunt ſubiectum denominationis, non inhæſionis, vt ibidem dicemus.

18. Obijcies tertiò; Si ſufficit ad rationem accidentis intelligi ſubiectum ſine accidente realiter inſeparabili, ſequitur confundi accidens cum proprio, quod in eodem ſenſu poteſt abeſſe ſine corruptione ſubiecti, quià poteſt intelligi homo, quin intelligatur riſibilis: ergo &c.

19. Reſpondeo, nego ſequelam maioris. Ratio eſt, quià debemus diſtinguere cum S. Thoma duplicem operationem intellectus, vnum ab alio ſeparantis, vna eſt ſimplex abſtractio, quæ vocatur ſeparatio *præciſiua*; & tunc contingit, quandò vnum *intelligitur ſine alio*, neque affirmando, neque negando vnum de alio; ità intellectus ſeparat animal à rationali, genus à differentijs, quas non negat, ſed ſolum præſcindit, alia eſt abſtractio compoſita, & vocatur ſeparatio negatiua, per quàm vnum ſiuè alio negatiuè intelligitur, negando vnum de alio, ſiuè affirmando prædicatum oppoſitum. Proprietas Metaphiſica, videlicet riſibilitas poteſt ſeparari ab homine ſeparatione præciſiua, quiá non pertinet ad eſſentiam hominis, non poteſt ſeparari ſeparatione negatiua; dicendo hominem non eſſe riſibilem, quià homo qui non eſt riſibilis, eſt Chimæra: accidens verò poteſt ſeparari præciſiuè & negatiuè, quià negando, vel præſcindendo nigredinem à Coruo adhuc remanet tota eius eſſentia.

DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De differentia ſpecifica; & numerica.

NIhil in Philoſophia occurrit frequentiùs, differentia ſpecifica; nihil magis implexum & arduum, quàm definire, quid ſit differre ſpeciè; vnde ſequitur hac de re cæteroquin vtiliſſimâ nimis perfunctoriè agi à Philoſophis noſtræ ætatis. Ad id pro viribus & dignitate præſtandum inſtituo diſputationem præſentem, quæ cadit opportunè in hunc locum vbi ſermo incidit de genere, ſpecie, & indiuiduis.

QVAESTIO I.

An differre ſpecie ſit differre in prædicatio nobiliſſimo.

1. SVper controuerſiâ de differentia ſpecifica tres ſentẽtiæ agitantur à ſcholaſticis, quæ multũ à veritate aberrant iuuat quaslibet ſingillatim recenſere vt eorum argumenta facilius ſoluantur, quibus aerem potiùs videntur ver-

verberare, quam quæſtionis propoſitæ ſcopum attingere.

2. Prima ſententia, quàm docet expreſsè S. Bonauentura in ſecundò diſtinctione 9. quæſtione prima ait, ea differre ſpecie, quæ differunt in prædicato præcipuo, ſiuè nobiliſſimo. Ratio eſt primò, quia rationale eſt prædicatum nobiliſſimum hominis, ſed homo differt ſpecie à cæteris animalibus, per hoc prædicatum, ergo differre ſpecie eſt differre in prædicato nobiliſſimo.

3. Secundò, quià eſſe prædicatum nobiliſſimum, & eſſe prædicatum diſcretiuum vnius eſſentiæ ab alia ſunt termini conuertibiles, ergo differentia ſpecifica eſt differentia *in prædicato* nobiliſſimo; antecedens probatur, tùm quia prædicatum, per quod vna eſſentia diſcernitur ab alia, eſt nobiliſſimum, quia eſt perfectiùs determinare, quàm determinari; forma enim, quæ determinat, eſt perfectior materia, quæ determinatur.

4. Hæc ſententia eſt euidenter falſa, quia plurima ſunt, quæ non differunt in prædicato nobiliſſimo, & tamen differunt ſpecie: equus enim & Leo, qui ſpecie differunt, non differunt in prædicato nobiliſſimo, quia ratio ſenſitiui, quæ eſt vtrique communis, eſt nobiliſſimum prædicatum reſpectu equi & leonis. Prætereà duæ viſiones, quarum vna videt albedinem, & alia nigredinem differunt ſpecie, & non differunt in prædicato nobiliſſimo, quia vtraque

eſt

eſt actus vitalis, & imago intentionalis obiecti quod eſt prædicatum nobiliſſimum cognitionis ſenſitiuę.

5. Ad primam rationem in contrarium, conceſſa vtraq; præmiſſa nego conſequentiam: non eſt vniuerſaliter verum differre in prædicacato nobiliſſimo ea, quæ differunt ſpecie, vt oſtenſum eſt, licet homo differat ſpecie à brutis per prędicatum diſcurrendi, quod eſt prædicatum nobiliſſimum.

6. Ad ſecundum nego antecedens: ad eius probationem falſum eſt illud prædicatum, quòd diſcernit vnam eſſentiam ab aliâ eſſe perfectius prædicato non diſcernente, vt patet in Equo, qui differt à Leone per prædicatum minus nobile, & conuenit per nobilius: præterea licet determinare ſit perfectius, quàm determinari, non proindè ſequitur eſſe perfectius prædicatum determinans, quàm determinatum, quià non valet conſequentia à ſecundùm quid ad ſimpliciter, vt alibi demonſtratum eſt: forma, quæ determinat eſt, quidem perfectior quàm materia, quæ determinatur: ſed diſparitas eſt euidens, quià forma determinat phyſicè, & in ſenſu reali, differentia verò determinat logicè, & in ſenſu formali: materia phyſicè determinata eſt pura potentia, ideoque inferior forma determinante, quæ eſt actus, actus enim eſt nobilior pura potentia: ſecus euenit in materia logica quæ eſt etiam actus.

QVAESTIO II.

Vtrum differre ſpecie ſit differre notabiliter iudicio Prudentum.

1. SEcunda ſententia, quàm tradit Auerſa quæſtione nona de vniuerſalibus, eamque ſequuntur aliqui recentiores, docet ea differre ſpecie, quæ differunt notabiliter iudicio Prudentum. Ratio eſt primò, quià ea quæ differunt ſpecie, magis differunt, quàm ea, quæ differunt numero, ſed ea quæ differunt notabiliter, magis differunt, quàm ea, quæ non differunt notabiliter, ergò differre ſpecie eſt differre notabiliter.

2. Secundò, quià in rebus moralibus, de quibus tradi non poteſt regula certa, ſolemus recurrere ad iudicium hominis prudentis, vt patet in definienda materia, quę ſufficit ad peccandum grauiter contrà præceptum non furandi, in præſcribenda quantitate requiſita ad violandum ieiunium, ergò idem eſt dicendum in præſenti materia, vbi agitur de differentia ſpecifica.

3. Hæc ſententia meritò reiicitur, quià non ſoluit, ſed fugit difficultatem quæ agitatur inter Philoſophos, vt eſt ſatis manifeſtum, iam diù enim eſt, quòd mihi certiſſimò perſuaſum habeo huiuſmodi authores verbis ludere, & Phi-

& Philoſophum nullatenus agentes, propoſitam difficultatem velle potiùs declinare quam ſoluere.

4. Quæro enim ab his Philoſophis, an aliquod prædicatum mouens intellectum viri ſapientis ad definiendum vnum differre ſpecie ab alio, detur in ijs, quæ ſpecie differunt, nec ne? ſi dicunt dari, quæro rurſus, hoc prædicatum eſt ne cognoſcibile à viro ſapiente, an non? ſi dicis hoc ſecundum: cur ergò prudentes ſunt conſulendi, & rerum natura inueſtiganda? ſi dicis primum: ergò ad virum prudentem, cuius eſt naturam rerum ſpeculari, ſpectabit explicare, quid tandem ſit illud, quod facit, vt aliqua duo notabiliter differant, adeoque ſint ſpecie diuerſa? cur ergò ab iſtis authoribus, qui cenſendi ſunt ſapientes, eò quod profitentur Philoſophiam, quæ eſt ſtudium ſapientiæ, nobis non reuelatur hoc arcanum, exponendo illud prædicatum, quod cognitum ab intellectu viri ſapientis eum mouet ad dicendum, differre ſpecie Petrum, & Equum, & differre numero Petrum, & Paulum: quòd ſi dicas nullum dari prædicatum iudicio prudentum cognoſcibile, infero: ergò quicumque iudicat Petrum differre ſpecie ab Equo, & differre numero à Paulo, temerè, & imprudenter iudicat, quid eſt enim aliud iudicare imprudenter, quàm ferre iudicium, nullo ſpectato merito obiecti, & cauſa indicta ſententiam præcipitare? ergò quicumque ità iudicat, im-

prudenter iudicat, adeoque dum dicit conſulendos eſſe prudentes in iudicanda notabili diuerſitate, ſibi euidenter contradicit: addo nihil eſſe minus ferendum in Philoſophia, cui nulla, vel exigua authoritatis ratione habita, vnicè ſunt rationum momenta libranda, quàm ad iudicium ſapientum inſipienter cõfugiendo, rem totam relinquere inexplicatam; quis enim eſt, qui non miretur Philoſophum, qui hominis naturam rogatus, eam eſſe aſſeueret, quam ſapientes fore iudicauerint?

5. Præterquam quòd non eſt vniuerſaliter verum ea differre ſpecie, quæ differunt notabiliter, vt pluribus demonſtro: primò quis eſt, qui non dicat plùs differre Canem Moloſſum à Cane Bononienſi, quàm Lupum, & Canem? & tamen iſti ſpecie differunt, illi differunt numero: Prætereà nonne eſt maius diſcrimen inter hominem præſtantis ingenij, & alium pinguis, ac rudis intellectus, quàm inter triticum, & hordeum? & tamen hordeum differt ſpecie à tritico, homo acutus, & ingenioſus non differt ſpecie ab homine tardæ mentis.

6. Secundò: eſſentiæ rerum inter ſe comparantur, vt numeri, ſicuti frequenter docet ex doctrina Philoſophi S. Thomas: ſed numeri differunt ſpecie per quamcumque minimam diuerſitatem, vt videri poteſt in numero binario, qui differt ſpecie à ternario per hoc, quòd iſti addatur vnica vnitas, ergò ſecluſa notabili diuerſitate vna eſſentia differt ſpecie ab alia:

7. Ad

17. Ad primum argumentum partis contrariæ; concedo maiorem, & minorem, & nego conſ. ex eò quòd magis differunt, quæ differunt ſpecie, quã quæ differunt numero, non ſequitur eſſe explicandam differentiam ſpecificam per differentiam notabilẽ, quià ignotum explicatur per aliquod ignotius, vt ex dictis conſtat.

18. Ad ſecundum non eſt bonum arguere à rebus moralibus.de quibus nulla datur ſcientia, eò quod, vt acutè notat Ariſtoteles, verſantur circa res ſingulares, de quibus non poteſt haberi ſcientia, ad res phyſicas, de quibus eſt ſcientia; ideò paritas eſt nulla.

QVAESTIO III.

Vtrum differentia ſpecifica ſit diſſimilitudo entitatiua.

1. Tertia, & vltima ſententia a nobis reijcienda, quam video multis recentioribus placuiſſe docet ea differre ſpecie, quæ habent diſſimilitudinem entitatiuã; ea uerò differre numero, quæ habent ſimilitudinem entitatiuam abſque vlla diſſimilitudine entitatiua: nomine diſſimilitudinis entitatiuæ intelligitur ab iſtis Philoſophis illa diſſimilitudo, quæ reperitur in aliquo ex prædicatis conſtituentibus per ſe, & neceſſario quamlibet rem; iuxta hanc ſententiam Petrus, & Paulus, qui ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſunt duæ ſubſtantiæ entitatiuẽ di-

diſtinctæ, quia Petrus non eſt Paulus: non ſunt entitatiuè, & per ſe diſſimiles; quia tota diſſimilitudo inter Petrum, & Paulum conſiſtit in illa collectione accidentium indiuidualium, quæ eſt accidentaliter in vno, & non eſt in alio. Petrus, & Equus differunt ſpecie, quia habent diſſimilitudinem entitatiuam, quæ nimirum fundatur in prædicatis per ſe, & neceſſario vtrique conuenientibus.

2. Ratio huius ſententiæ eſt primò, quia differentia numerica, quæ inuenitur inter duo indiuidua pertinentia ad eamdem ſpeciem, eſt minima differētia; ſed differentia quæ eſt minima, per hoc precisè cōſtituitur, quòd aliqua duo ſint diſtincta, & non ſint diſſimilia entitatiuè, ergò differentia numerica cōſiſtit in ſimilitudine entitatiua; ſpecifica verò in diſſimilitudine.

3. Secundò: poſſunt eſſe aliqua diſtincta, & nullam habere diſſimilitudinem entitatiuam: ergò poteſt dari differentia numerica inter ea, quæ habent entitatiuam ſimilitudinem; antecedens probatur: conceptus formalis diſtinctionis, non eſt conceptus formalis diſſimilitudinis, tum quià diſtinctio non ſuſcipit magis, & minus ſicuti diſſimilitudo; tum quià duo eſſe diſtincta eſt duo inuicem eſſe negabilia, & duo eſſe negabilia eſt vnum ab alio poſſe diſcerni: ergò, &c.

4. Tertiò in genere ſimilitudinis non repugnat omnimoda, & ſumma ſimilitudo; ſed omnimoda ſimilitudo inuoluit diſtinctionem ſine diſſimilitudine; ergò, &c. Minor probatur,

tur, quia ea, quæ ſunt ſummè ſimilia, nullam habent diſſimilitudinē: ſed ea quæ ſunt ſimilia, ſunt diſtincta, vt conſtat ex terminis, ergò, &c.

5. Hæc ſententia licet minus recedat à vero, quàm præcedentes, nihilominus verum non attingit, vt his argumentis demonſtro.

6. Primò; ſi ea differrent ſpecie, quæ habent entitatiuam diſſimilitudinem, omnia differrent ſpecie; conſequens eſt falſum; ergò, & antecedens. Sequela probatur, quià omnia habent aliquam diſſimilitudinē in aliquo prædicato per ſe, & neceſſariò ſibi conuenienre, hoc eſt in prædicato indiuiduali; ratio à priori eſt, quià illud prædicatum indiuiduale, per quod Petrus neceſſario eſt hic homo, non eſt ſimile illi prædicato, per quod Paulus eſt alius homo, alioquin Petrus, & Paulus cōuenirent in hoc prędicato, ſicuti conueniunt in prædicato hominis.

7. Vrgeo anguſtius: Petrus, & Paulus, vel conueniunt, vel non cōueniunt in prædicato indiuiduali: ſi non conueniunt; ergò ſunt entitatiuè diſſimiles, quià ſicuti conuenientia eſt formaliſſimè ſimilitudo, ita negatio conuenientiæ, eſt diſſimilitudo: ſi conueniunt, ergò Petreitas eſt prædicabilis de Paulo non minùs, quam de Petro. Probo conſequentiam. Ideò eſt prædicabilis de Petro, & Paulo ratio hominis, quià Petrus, & Paulus conueniunt in prædicato hominis, ſed etiam conueniunt in illo prædicato indiuiduali, per quod Petrus conſtituitur in ratione Petri, ergo, &c.

Præterea repugnat vt homo, & Equus conueniant in prædicato contrahente genus animalis ad vnam determinatam ſpeciem, ergò etiam repugnat, vt Petrus, & Paulus conueniant in eo prædicato, quod contrahit ſpeciem hominis ad vnum indiuiduum determinatum.

8. Secundò: eſſe diſſimile, & eſſe diſcernibile ſunt termini conuertibiles: ſed Petrus eſt diſcernibilis à Paulo ſpectato præcisè illo prædicato, per quod intrinſecè, & indiuidualiter diſtinguitur à Paulo, ergò Petrus eſt diſſimilis entitatiuè Paulo; ergò, &c. Minor probatur, quià Petrus ſpectato præcisè huiuſmodi prædicato habet tale meritum, vt non confundatur cum Paulo ab intellectu comprehendente intrinſecè eius indiuiduationem: ſed huiuſmodi meritum eſt diſcernibilitas Petri à Paulo, ſicuti meritum, quod habet albedo ne confundatur cũ nigredine, eſt diſcernibilitas albedinis à nigredine, ergò, &c. Hinc eſt, quòd Petrus, ſicuti eſt diſcernibilis à Paulo ſecundũ id quod habet per accidens reſpectu intellectus humani accipiẽtis cognitionẽ à ſenſibus, ita eſt diſcernibilis ſecũdũ id quod ſibi cõuenit per ſe, reſpectu Intellectus Angelici, & Intellectus Diuini cõprehendentis intrinſecam eius indiuiduationem.

9. Tertiò: non eſt dubium, quin Petrus cõprehenſiuè cognitus confundi minimè poſſit cum Paulo; alioquin Angelus, & Deus dubitare poſſent, an Petrus ſit Paulus: adeoque interrogati, an Petrus ſit Paulus deberent reſ-

pondere *Neſcio*, ergò Petrus conſtituitur in ratione Petri per aliquod prædicatum diſsimile illi prædicato, per quod Paulus conſtituitur in ratione Pauli: ſed hoc prædicatũ per ſe, & neceſſario conuenit Petro, quia eſt indiſtinctũ à Petro: ergò Petrus eſt diſsimilis intrinſece Paulo.

10 Quartò: Ideo quæ differunt numero nullã habent diſſimilitudinem entitatiuam, quià differentia numerica eſt diſtinctio ſine diſſimilitudine: ſed hoc eſt falſum, ergo &c. Maior continet ſententiam aduerſariorum, quæ aſſerit duo indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe realiter diſtincta, & non eſſe diuerſa, ſiue diſſimilia entitatiue. Minor probatur primò, quia omnis diſtinctio facit, vt ea, quæ ſunt diſtincta, ſint inuicem negabilia, ſed ea quæ ſunt inuicem negabilia, ſũt inuicem diſcernibilia, adeoq; diſſimilia: ergo &c. ſecũdo vnum quodq; prædicatum eſt diſcernibile à ſuo contradictorio, quis enim adeò deſipiat, vt dicat formam, & carentiam formæ lucem, & tenebras non eſſe diſcernibiles, neque eſſe diſſimiles? addo, quod tota ratio, cur albedo, & nigredo ſint diſſimiles, eſt quia vtrique conueniunt prædicata contradictoria. Secundo ea, quæ ſunt diſtincta (ſermo eſt in præſenti de rebus creatis) ſunt talis generis, vt vnum habeat perfectionem, quam aliud non habet, ſed illa, quorum vnum habet perfectionem, quam aliud non habet, ſunt diſſimilia, quia perfectio, & imperfectio non habent ſimilitudinem ergo &c.

11. Vltimo: non eſt tanta ſimilitudo inter cognitionem quæ cognoſcit Paulum, & cognitionem quæ cognoſcit Petrum; quanta eſt inter duas cognitiones, quæ cognoſcunt eumdem Petrum, vt patet, tùm quia poſſunt magis confundi, & minus diſcerni illæ quàm illæ, tum quia magis expedit habere duas cognitiones quarum vna cognoſcat Petrum alia Paulum, quàm habere duas cognitiones eiuſdem Petri, ergo ea, quæ differunt numero ſunt entitatiuè diſſimilia. Præterea, quæ ita diſtinguuntur, vt prædicatum commune pluribus cōueniat vni, & non conueniat alteri, non ſolū habent diſtinctionem, ſed etiam habent *diſſimilitudinem*, vt patet in homine & equo, *ſed duæ* cognitiones, quarum vna repræſentat Petrum, & alia Paulum ita diſtinguuntur, vt eſſe imaginem Petri, quod eſt prædicatum commune pluribus cognitionibus, quæ eumdem Petrum repræſentant vni conueniat, & alteri non conueniat, ergo iſtæ duæ cognitiones, quæ ſine dubio differunt numero habent diſtinctionem, & diſſimilitudinem entitatiuam, adeoque differentia Petri, à Paulo conſiſtit in aliqua diſſimilitudine entitatiua Petri à Paulo. Idem argumētū poteſt fieri in durationibus, & vbicationibus, quę ſunt entitates modales, vt dicemus in phyſica; quæ conſtituunt Petrum in loco & tempore.

12. His argumentis conſtat illud *prædicatum* per quod intrinſecè Petrus differt à Paulo, eſſe prædicatum inuoluens aliquam diſſimilitu-

di-

dinem adeoque malè explicari ab iſtis Philoſophis differentiam ſpecificam per diſſimilitudinem entitatiuam; quid verò ſit hoc prædicatum per quod Petrus diſcernitur à Paulo dicemus in quæſtione ſequenti.

213. Ad primum concedo maiorem,& nego minorem: differentia, quæ eſt minima differentia facit ea differre, inter quæ inuenitur, ſed ſi facit differre, ponit diſſimilitudinem, ergo differentia numerica ponit diſſimilitudinē entitatiuā, minorem, quàm ſpecifica, vt dicetur in quęſtione ſequenti; ideo argumentum retorquetur.

14. Ad ſecundum nego antecedens, cuius falſitas patet ex dictis: ad eius probationem omitto diſtinctionem, & diſſimilitudinem eſſe conceptus diuerſos, nō proinde ſequitur vnū ex alio non inferri; ſicuti rationale & riſibile ſunt conceptus formale, diuerſi ſe mutuo inferentes.

15. Ad tertium nego ma: ratio eſt, quià ſimilitudo ſumma in omni genere non eſt ſimilitudo, ſed identitas; ille enim terminus *ſumma* diſtrahit ſignificationem ſimilitudinis, ſicuti homo pictus nō eſt homo, & creatura perfectiſſima non eſt creatura, quia ille terminus *perfectiſſima* diſtrahit ſignificationem creaturæ: ratio à priori eſt, quia ſumma ſimilitudo (ſermo eſt de ſimilitudine quæ excludit omnem diſſimilitudinem) excludit diſtinctionem, ſed ſimilitudo, quæ excludit diſtinctionem eſt ſimilitudo, quæ non eſt ſimilitudo ergo ſumma ſimilitudo eſt ſimilitudo, quæ nō eſt ſimilitudo, ergo ſimilitudo

tudo ſumma diſtrahit ſignificationem ſimilitudinis. Ma: probatur, quia omnis diſtinctio eſt aliqua diſſimilitudo, hæc enim neceſſario ſequitur diſtinctionem, vt oſtensũ eſt, ergo sũma ſimilitudo non eſt ſimilitudo, ſed identitas; ea enim, quæ habent cõuenientiã in omnibus prædicatis, habent identitatẽ, vt alibi demonſtratũ eſt. Quia vero nomine ſimilitudinis sũmæ poteſt intelligi ſimilitudo non ſumma in omni genere, ſed ſumma in aliquo genere, nimirũ in genere ſimilitudinis eſſentialis, quæ inuenitur inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, ideo iſta ſimilitudo sũma vtiq; datur, quia non excludit omnem diſſimilitudinem, nõ enim excludit diſſimilitudinẽ in prædicatis indiuidualibus, de qua in queſtione ſequẽti.

QVAESTIO IV.

Vtrum differentia ſpecifica ſit formalis, & numerica materialis.

1. EX ijs, quæ huc vſque diximus, patet à nulla ex opinionibus impugnatis verum attingi; ad hoc pro viribus aſſequendum alia via eſt tentanda, quam aperit nobis Doctor Angelicus inhærens doctrinæ Ariſtotelis, qui fuit acutiſſimus in conceptibus formalibus inueſtigandis. Ariſtoteles in 10. Metaphyſicæ textu 25. docet maſculum non differre ſpecie à fœmina, nec hominem album à nigro, quia differentia non eſt in forma, quàm pulchrè ap-

pellat rationem rei, hoc eſt quidditatem rei ſed in materia, videlicet in homine habente iſtas circumſtantias indiuiduales, licet enim pertineat ad quidditatem hominis habere carnes, & oſſa, ſiue conſtare ex anima & corpore; nihilominus habere has carnes, & hæc oſſa, ſiue conſtare ex hac anima, & ex hoc corpore non pertinet ad quidditatem hominis, ſed ſolum ad quidditatem indiuidui, & quià eſſe album, & eſſe nigrum accidit homini habenti huiuſmodi carnes, & huiuſmodi oſſa: Ideò differentia hominis albi à nigro eſt materialis, & numerica; non eſt formalis, & ſpecifica.

2. Ad hanc doctrinam euidentius explicandam vtitur idem Philoſophus exemplo valdè appoſito, quod accipit ex differentia inter circulum ligneum & circulum aureum, quæ differentia eſt numerica, non ſpecifica, eo quòd vterque circulus non habet diſſimilitudinem in forma, ſiue in figura: vterq; enim eſt rotundus: ſed in materia, eo quòd vnus circulus deſcribitur in ligno, alius in auro: inde eſt quod ſicuti circulus à triangulo differt ſpecie, & ratione formæ: circulus verò aureus à circulo ligneo differt numero, & ratione materiæ, ità Petrus differt à Paulo numero, quia differt in materia: ab equo differt ſpecie, quia differt in forma.

3. Id ipſum docet explicatè S. Thomas, qui nobiliſſimas ſpeculationes, quibus primam partem ſummæ Theologiæ illuſtrauit, fundat in

hoc

hoc principio; *differentia numerica eſt materialis differentia ſpecifica eſt formalis*: vnde infert formas indiuiduari per ordinem ad ſubiectum, adeoque albedinem exiſtentem in vno pariete, quod exemplum eſt frequentiſſimnm apud S. Doctorem, diſtingui ab albedine exiſtente in alio pariete, quia albedo, quæ eſt in hoc pariete non eſt omnis albedo, ſed hæc numero albedo, indiuiduata per ordinem ad ſubiectum in quo eſt: ſi enim eſſet vna albedo, quæ foret forma per ſe ſubſiſtens nullum habens ordinem ad ſubiectum, ea eſſet omnis albedo, adeoque diſtingueretur à nigredine propter differentiam formalem. Eamdem doctrinam ex profeſſo tradit, & egregiè illuſtrat Caietanus cum omnibus Thomiſtis, eamque eſſe germanam S.Thomæ ſententiam nemo vocabit in dubium, qui vel mediocriter in eius doctrina fuerit verſatus.

4. Huiuſmodi ſententiam exiſtimo alijs longè probabiliorem, & abſolutè iudico veram, quià nullum eſt euidentius argumentum veritatis, quam mirabilis conſonantia cum vero, quæ ſumma hic inuenitur; vt enim ait egregiè S. Thomas, id tandem eſt verum, cui omnia conſonant: quia tamen ſunt plurimæ difficultates, quibus eadem ſententia ſuccumbit, ad eas ſoluendas neceſſe habeo aliqua præmittere.

5. Præmitto igitur primò omnem compoſitionem, & diuiſionem prouenire ex materiâ: huiuſmodi veritas in hunc modum demonſtratur

tur

tur: res omnes, quò ſunt magis vel minus materiales, eo magis, vel minus habent compoſitionem, & diuiſionem partium. Hinc materia prima, quæ eſt principium totius materialitatis, habet ſummam diuiſionem, adeoque ſummam compoſitionem, quia eſt diuiſibilis in partes minores & minores in infinitũ, in quibus cõſeruari poteſt; elemẽta, quæ ſunt minus materialia, non habent tantam diuiſionem, quia non poſſunt conſeruari in qualibet exigua parte, ſicuti poteſt materia: idem conſtat in mixtis, quæ habent minorem materialitatem, quam elementa, & inter mixta in viuentibus; inter uiuentia in animalibus; inter animalia in homine, qui eſt perfectior cæteris, adeoque minus materialis, anima enim rationalis, quæ eſt forma hominis non pendet à materia. Præterea Angeli non componuntur ex anima, & corpore, adeoque habent minorem compoſitionem, quàm ſubſtantiæ materiales; quia verò componũtur eſſentialiter ex natura, & ſuppoſito & accidẽtaliter ex accidẽte & ſubſtãtia, ideò nõ sũt adeò ſimplices, & immateriales, ſicuti Deus, qui propter infinitã immaterialitatem excludit omnem compoſitionem. Ratio à priori eſt, quia materia prima, vt docet eleganter Auguſtinus, ratione ſuæ imperfectionis accedit maximè ad nihilum, ſed nulla creatura recedit perfectiùs à nihilo, cum eſſentialiter conſtet ex nihilo, ex quo facta eſt, ergò nulla creatura perfectiſſimè diſtat à materia prima, adeò

quo

que habet modum exiſtendi compoſitum, vel ex materia & forma, vel ex ſubſtantia, & accidente. Solus Deus eſt actus puriſſimus,& infinitè diſtat a nihilo adeoque habet naturam ſummè immaterialem, & ſimpliciſſimam.

6. Præmitto ſecundò, nomen materiæ poſſe dupliciter vſurpari: vno modo, quatenus eſt ſubiectum commune receptiuum formarum, in quo ſenſu vocatur materia ſenſibilis, & de ea loquitur Ariſtoteles, cum in phyſica demonſtrat, omnia corpora conſtare materia, & forma; alio modo quatenus ſignificat quædam accidentia ſenſibilia, ſiue circumſtantias loci, temporis, agentis, & ſubiecti, quæ circumſtantiæ vocãtur indiuiduales, tùm quia diuerſa indiuidua cognoſcimus relatè ad ipſa accidentia, tum quia intellectus abſtrahit ab omnibus accidentibus, cum rebus materialibus tribuit eſſe immateriale, formando conceptus vniuerſales & abſtractos à materia. In hoc ſenſu vſurpata materia vocatur ab Ariſtotele, & S. Thoma materia ſignata, quia eſt veſtita accidentibus indiuidualibus.

7. Præmitto tertiò, hoc eſſe diſcrimen inter ſubſtantias materiales &immateriales,quod illæ poſsũt produci à cauſis ſecũdis, iſtæ nõ poſſunt, niſi à Deo: hinc homo producit hominem, ſed Angelus non producit Angelum. Ratio à priori eſt, qua ſubſtantiæ immateriales non poſſunt eſſe, niſi per actionem creantem,ſed ſolus Deus poteſt creare, vt demonſtabimus ſuo loco, er-

go &c. Hinc eſt, quod ſubſtantiæ ſpirituales non poſſunt produci, niſi à ſolo Deo, ſubſtantiæ materiales poſſunt produci à Deo ſimul cum cauſis ſecundis.

8. Præmitto vltimo, omnes res materiales quæ multitudine, ordine, varietate, & perpetua ſucceſſione mirabilem hanc mundi ſcenam efficiunt, eſſe à natura ità conſtitutas, vt in ſingulis indiuiduis pertinentibus ad quamlibet ſpeciem infinitè multiplicabilem, detur quidam ordo ſiue adaptatio ad circumſtantias diuerſas loci, temporis, ſubiecti, & agentis. Hic ordo formaliſſimè eſt exigentia vnius indiuidui, vt procedat potius ab hac cauſâ quàm ab alia, vel vt primo exiſtat in hoc ſubiectò, in hoc loco, in hoc tempore, potius quàm in alio. Iſtæ circumſtantiæ cum ſint infinitæ, conſequens eſt, vt intra quamlibet ſpeciem ſint poſſibiles infinitæ res habentes ordinem diuerſum, adeoque prædicata diſſimilia, quia duplex ordo ad diuerſas circumſtantias eſt ordo diuerſus. Dari huiuſmodi ordinem, ſiue adaptationem cuiuſcumque indiuidui ad certas & determinatas circumſtantias, quæ vulgo appellatur ſeries effectuum, & à multis Recentioribus acriter negatur, aſſumo in præſenti cum Angelico, & alijs Doctoribus, id enim Deo dante probabo, dum agam de ſerie effectuum, neque enim poſſum, nec debeo omnia promiſcuè in logica examinare. Cæterum eſt valdè conſonum rationi inueniri in rebus

omnibus prædictum ordinē ne cogamur aſſerere mundum eſſe tanquam vitioſam & inconnexam tragædiam, quem errorem, merito deteſtatur Philoſophus, qui ſolo naturæ ductu veritatem hanc nobis diuinitus reuelatam agnouit, Deum videlicet omnia condidiſſe in numero, pondere, & menſura. His præſuppoſitis.

9. Dico primo ea differre numero, quæ habent diſſimilitudinem entitatiuam tantum in ordine ad primo exiſtendum modo ſibi ſummè connaturali in circumſtantijs diuerſis ſubiecti, loci, temporis, vel agentis. In hoc ſenſu locutus eſt S. Thomas, dum ait differentiam numericam, quod nos etiam dicimus, eſſe materialem; eamque deſumi ex materia ſignata.

10. Probatur primò, quæcumque differunt numero non habent diſſimilitudinem in prædicatis eſſentialibus alioquin differrent ſpecie, ergo habent diſſimilitudinem entitatiuam in aliquo prædicato non conſtituente eſſentiam,adeoq;materialiter ſe habente ad rationem eſſentiæ, quia vt oſtenſum eſt q.3 n.4.non poteſt dari differentia numerica ſine aliqua diſſimilitudine, ſed hoc prædicatum nihil eſt aliud, quam ordo ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis, ergo &c. Antecedens ſubſumptum probatur, tum quia huiuſmodi ordo ponit aliquam diſſimilitudinem, vt eſt indubitatum, tum quia nullum aliud inueni-

tur

tur prædicatum diſſimile in duobus indiuiduis ad eamdem ſpeciem pertinentibus.

11. Secundo quæ differunt ſolo numero, differunt, velut circulus ligneus, & aureus, vt ex Philoſopho patet, ſed huiuſmodi circuli ſunt diſſimiles relatè ad ſubiectum diuerſum, ergo ea, quæ differunt numero habent diſſimilitudinem relatè ad circumſtantias diuerſas. minor probatur, quia circulus ligneus, & circulus aureus ſunt entitatiuè diſſimiles, ſed non ſunt diſſimiles in forma, ſiue figura: ergo ſunt diſſimiles relatè ad ſubiectum diuerſum.

12 Tertiò. Differentia numerica eſt minima differentia, ea enìm quæ differunt numero conueniunt in genere & ſpecie, ſed diſſimilitudo quæ conſiſtit in ordine ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis eſt minima differentiâ, ergo conſtituit differentiam numericam. Minor. probatur, tùm quià non poteſt inueniri diſſimilitudo minor iſta, tùm quià diſſimilitudo in forma eſt longe maior, vt patet in diſſimilitudine inter circulum & triangulum.

13. Vltimò: In eo prædicato conſiſtit differentia numerica, quod præcisè requiritur, vt aliqua ſpecies poſſit conuenienter multiplicari in plura indiuidua, ſed huiuſmodi ordo ad circumſtantias diuerſas requiritur, vt aliqua ſpecies poſſit conuenienter multiplicari, ergo differentia numerica conſiſtit in diſſimili-

tudine huius ordinis. Min. probatur. Natura humana ideò poteſt multiplicari, quià pertinet ad perfectionem vniuerſi, vt ſemper ſit ſpecies humana, quæ cum ſemper non poſſit in vno indiuiduo permanere, debet æternari quodammodo in alijs indiuiduis, quæ ordinatè naſcendo ſuccedunt morientibus; ſed natura humana non multiplicatur conuenienter, hoc eſt, ordinatè, niſi detur aliqua ratio, cur hoc indiuiduum producatur potiùs in hoc loco, tempore, & ſubiecto, quàm in alio: hæc autem ratio nihil eſt aliud, quàm ordo ſiue exigentia ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis, ergo, &c.

14. Dico ſecundò, ea differre ſpecie, quæ habent diſſimilitudinem entitatiuam, præſcindendo ab omni ordine ad circumſtantias diuerſas: huiuſmodi diſſimilitudinem, quam egregie S. Thomas appellat formalem, conſiſtere in prædicatis eſſentialibus diuerſis cum eodem S. Doctore & Ariſtotele opinamur.

15. Probatur concluſio, quæ differunt ſpecie differunt ſicuti circulus & triangulus, ſed huiuſmodi figuræ habent diſſimilitudinem entitatiuam præſcindendo ab ordine ad circumſtantias diuerſas, ergo, &c. Minor patet, quià circulus non differt à triangulo, per hoc præcisè, quod huiuſmodi figuræ ſint in loco, tempore, & ſubiecto diuerſo, ſed per hoc præcisè, quòd figura ſiuè forma, quæ eſt eſſentia circuli ſit longè diuerſa ab eſſentia trianguli. Ratio

à prio-

à priori eſt, quia ſi poſſet reperiri circulus independens & abſtractus ab omni loco, tempore, & quocumque ſubiecto, adhuc poſſet diſcerni à triangulo ſeparato ab omni materia. Ideo intellectus, qui conſiderat per abſtractionem circulum abſtractum ab omni materia ſenſibili, non confundit illum cum triangulo conſiderato ſub eadem abſtractione, adeoquè definitione diuerſa definit circulum, ac triangulum.

16. Hinc eſt, quòd ea quæ differunt differentia ſpecifica habent eſſentiam diſſimilem, adeoquè definiuntur definitione diuerſa. Ratio eſt, quià habere diſſimilitudinem præſcindendo ab ordine ad diuerſas circumſtantias indiuiduales, eſt habere eſſentiam diſſimilem, ergo prędicata eſſentialia, quę per definitionem, explicantur, abſtrahunt ab illà materià ſignatà relate ad quam omnia indiuiduantur, ergo, &c.

17, Dico tertiò, ea differre genere phyſico, quæ habent diſſimilitudinem in materià ſenſibili, ſiue in modo materialitatis: hanc ſententiam docet Ariſtoteles, & S. Thomas, cùm quibus pono genus logicum fundari in aliquo genere phyſico, quià quæcùmque continentur ſub aliquo genere logico, hoc eſt ſub aliquo prædicato vniuocè prædicabili in quid incompletè, continentur etiam ſub aliquo genere phyſico.

18. Probatur Concluſio: omnia corpora, quæ conſtant ex materià mutabili in omnes

formas, ſunt in eodem genere phyſico, ergo ea,quæ conſtant ex materiâ mutabili iu quamcumque formam, non conueniunt in genere phyſico cùm ijs, quæ conſtant ex materiâ non mutabili, ergo differre in materiâ ſenſibili eſt differre in genere phyſico: formæ artificiales, quæ conueniunt in eadem materiâ, ſunt eiuſdem generis phyſici: omnes colores pertinent ad idem genus: præterea omnes figuræ videlicet circulus, triangulus, & quadratum pertinent ad idem genus, quià ſubiectum cuiuſcumque coloris eſt ſuperficies, quæ ab vno colore poteſt tranſire ad alium, & ſubiectum figuræ eſt quantitas, quæ ab vnâ figurâ poteſt ad aliam migrare,ergo formæ materiales, quarum materia poteſt tranſire ab vnà forma ad aliam formam, ſunt eiuſdem generis phyſici.

19. Confirmatur, quià hæc tota mundi vniuerſitas diſtinguitur in tria rerum genera, iuxta triplicem modum materialitatis diuerſæ; in primo & ſupremo genere ſunt omnes ſubſtantiæ ſpirituales creatæ, quæ pertinent ad idem genus phyſicum, quià conueniunt in eodem genere compoſitionis, omnes enim conſtant ex ſubſtantiâ & accidente. In ſecundò genere ſunt omnia corpora Cœleſtia, quæ iuxta philoſophi ſententiam ſunt incorruptibilia, & conſtant ex materiâ incapaci mutationis. In tertio & vltimo genere ſunt omnes res ſublunares, quæ ſunt corruptibiles, & conſtant ex materiâ mutabili, ſuprà hæc tria genera inue-

nitur.

nitur Deus, qui non continetur in aliquo genere phyſico, vel logico, quià eſt ſubſtantia ſummè immaterialis.

20. Ex hàc doctrinà colliges primò Petrum & Paulum differre ſolo numero; Petrum verò & Equum differre ſpecie, quià Petrus & Paulus definiuntur eàdem definitione, adeòq; ſunt diſſimiles in prædicatis non eſſentialibus, ſed indiuidualibus, hoc eſt in ordine ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis; è contrario Petrus & Equus ſunt diſſimiles, præſcindendo ab iſto ordine, cum vnus ſit rationalis, alius hinnibilis. Idem patet de Cane & Lupo ſpecie differentibus, de Cane Moloſſo ac Bononienſi numericè differentibus,

21. Colliges ſecundò, in noſtrà ſententià optimè explicari, quomodò ſingulæ partes materiæ, quibus totum Mundum Deus impleuit, differant ſolo numero, quomodò indiuiduentur forma & accidentia tàm materialia, quàm immaterialia: Materia prima non poteſt indiuiduari relatè ad diuerſam cauſam, neque relatè ad diuerſum tempus, quià totam creauit Deus in ipſo Mundi exordio, prætereà non poteſt indiuiduari relatè ad hoc, vel illud ſubiectum, quia ipſa eſt ſubiectum cuiuſcumque formæ, ergo ſolùm poteſt habere exigentiam, vt ponatur in hoc, vel illo loco, ergo vna pars materiæ, quam voco materiam. A. differt numerò ab alia parte, quam voco materiam B. quià ſingulæ habet exigentiam, vt in prima ſui

origine ponantur in loco diuerſo: formæ & accidentia etiam ſpiritualia indiuiduantur, per ordinem ad primò exiſtendum in ſubiecto diuerſo, licet enim ſubſtantia ſpiritualis non componatur ex materia, tamèn accidentia ſpiritualia, quæ indiuiduantur per ordinem ad circumſtantias diuerſas, dicuntur indiuiduari per ordinem ad materiam, quià ſubiectum accidentis habet rationem materiæ reſpectu accidentis, cuius eſt ſubiectum.

22. Colliges tertiò, quodcùmque indiuiduum per ſe differre ab alio, quià ſingula indiuidua habent ſecum identificam exigentiam, vt primò ponantur, vel in tali determinato loco & tempore, vel ſint à tali agente: hæc exigentia identificata cùm ſingulis indiuiduis eſt diſſimilis in vno & in alio, vt patet: eſt indiuiduatio intrinſeca, per quam vnum indiuiduum diſcernitur ab alio, adeòque omnia indiuidua relatè ad hoc prædicatum poſſunt nominari nomine proprio, licet ab humano intellectu, qui accipit cognitionem à ſenſibus, hoc prædicatum non poſſit cognoſci. Ratio autem, cur intellectus humanus non poſſit cognoſcere huiuſmodi ordinem, eſt quià intellectus humanus non cognoſcit illas certas & determinatas circumſtantias, ad quas ordinantur omnia indiuidua.

23. Objicies primò: circumſtantiæ loci, temporis, ſubiecti, & agentis ſunt aliquid extrinſecum reſpectu Petri, ergo Petrus non

poteſt

poteſt indiuiduari per iſtas circumſtantias, ergo differentia numerica non eſt ordo ad circumſtantias diuerſas. Conſequentia probatur; quià nihil eſt magis intrinſecum Petro ipſa Petreitate, quæ eſt indiuiduatio.

24. Reſp. concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: non poteſt indiuiduari per iſtas circumſtantias formaliter: concedo conſequentiam exigitiuè, & radicaliter; nego conſequentiam. Indiuiduatio Petri non eſt locus, tempus, & aliæ circumſtantiæ, ſed eſt ordo ſiue reſpectus ad locum & tempus, inde eſt, huiuſmodi circumſtantias non eſſe ipſam Petreitatem ſiue formalem indiuiduationem, ſunt enim termini illius ordinis, qui eſt formalis indiuiduatio: eodem modo creatura conſtituitur eſſentialiter per dependentiam à Deo, etiamſi Deus ſit extrinſecus creaturæ.

25. Obijcies ſecundò Petrus eſt indifferens ad exiſtendum in hoc vel illo loco, & tempore, ergo non habent ordinem ad vnam potiùs, quàm ad aliam circumſtantiam materialem, ergo non indiuiduatur per iſtum ordinem.

26. Reſp. diſt. antecedens: eſt indifferens ad exiſtendum ſimpliciter in hoc vel illo loco: concedo antecedens: ad primò exiſtendum nego antecedens, & conſequentiam: quælibet res materialis indiuiduatur per ordinem ad primò exiſtendũ in circumſtantijs materialibus, quod eſt ità intelligendum, vt exigat primò eſſe, hoc eſt produci in tali loco, & tempore, vt dictum eſt.

27. Ob-

27. Obijc. tertiò Deus poteſt facere, vt Petrus, qui habet ordinem ad iſtas circumſtantias, ponatur in alijs circumſtantijs, ſed non poteſt facere, vt Petrus non ſit Petrus, ergo Petrus non indiuiduatur per ordinem ad circumſtantias diuerſas.

28. Reſp. concedo Maior. & Minor. & nego conſequentiam. Petrus etiamſi poneretur in alijs circumſtantijs, adhuc retineret ordinem ad illas circumſtantias, relatè ad quas indiuiduatur, ſicuti duo corpora, quæ non poſſunt eſſe in vno loco, retinerent eamdem exigentiam, ſi ponerentur miraculosè in eodem loco.

29. Obijc. quartò: pro hoc, quod Deus produceret Petrum in diuerſis circumſtantijs ab illis, ad quas ordinatur, non operaretur miraculosè, ſicuti ponendo duo corpora in eodem loco, ergo paritas eſt nulla.

30. Reſp. Concedo antec. & nego conſeq. dictum eſt differentiã eſſe diſſimilitudinem numericam in ordine ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis modo ſummè connaturali, quæ particulæ de induſtriâ poſitæ ſunt, vt explicaretur, quomodò Deus poſſit citrà miraculum ponere idem indiuiduum in circumſtantijs diuerſis, ab illis quas exigit, quià indiuiduum non exigit eſſe primò in circumſtantijs diuerſis quomodocumque, ſed modo ſummè connaturali, hinc eſt, quòd poſitum in alijs circumſtantijs non eſſet in loco ſibi naturali-

taliter indebito, ſed in loco ſibi minùs debito, vt dicemus cùm erit ſermo de ſerie effectuum.

31. Obijcies vltimò: ea, quæ differunt eſſentialiter, differunt ſpecie; ſed Petrus & Paulus qui differunt entitatiuè in ordine ad circumſtantias diuerſas differunt eſſentialiter, ergo differunt ſpecie: ergo differentia numerica eſt ſpecifica: Minor probatur, quià Petro conuenit eſſentialiter habere huiuſmodi ordinem, ſicuti conuenit eſſe hominem, ergo, &c.

32. Reſp. Concedo Maior. & nego Minor. Ad eius probationem diſtinguo antecedens Petro conuenit eſſentialiter habere huiuſmodi ordinem hoc eſt conuenit perſe, & neceſſariò: concedo antecedens: eſt de eſſentia Petri habere talem ordinem: nego antecedens & conſeq. Eſſentia Petri eſt tantum animal rationale, adeòque interroganti quid ſit Petrus, reſpondetur eſſe Animal rationale. Indiuiduatio Petri, per quam diſtinguitur Petrus à Paulo, eſt ordo ad circumſtantias materiales, adeòque interroganti quis Petrus ſit, reſpondetur eſſe indiuiduum naturæ humanæ ordinatum ad primò exiſtendum in circumſtantijs diuerſis à quocùmque alio indiuiduo. Inde eſt huiuſmodi ordinem perſe & neceſſariò conuenire Petro, etiamſi non conſtituat eſſentiam Petri, quam conſtituit ſolum Animal rationale: Ideò differre in hoc ordine non eſt differre in eſſentia, ſed tantum in indiuiduatione.

QVÆ-

QVAESTIO V:

Vtrum omnes ſpecies habeant inæqualem perfectionem.

1. DVo in præſenti ſunt inueſtiganda. Primò vtrum duæ res poſſint differre ſpecie per differentiam purè negatiuam, ità vt vna differat ab alia per ſolum defectum perfectionis in alia exiſtentis: ſecundò vtrum poſſint inueniri duæ res differentes ſpecie, quæ habeant æqualem perfectionem.

2. Prima concluſio eſt: nulla ſpecies poteſt differre ab alia differētia pure negatiua, hoc eſt ſolo defectu perfectionis exiſtentis in alia ſpecie.

3. Probatur primò nullum genus poteſt determinari ad aliquam ſpeciem per differentiam pure negatiuam, ergo nulla ſpecies poteſt differre ab alia, differentia purè negatiua. Antecedens probatur; ità ſe habet genus ad ſpeciem, quæ eſt totum logicum, ſicuti materia ad compoſitum materiale, quod eſt totum phyſicum, ſed materia non poteſt determinari per ſolam negationem formæ ignis ad conſtituendum compoſitum diuerſum ſpecie ab igne, ergo &c. mi: patet tùm quia materia, quæ eſt ſubſtantia incompleta, non poteſt fieri completa per ſolam carentiam alterius ſubſtantiæ incompletæ, tùm quia materia perfectibilis

lis á forma, eatenus eſt indifferens ad omnes formas, quatenus ſi non poteſt perfici ab vna forma, debet perfici ab alia: ſed non poteſt amittere hanc indifferentiam per carentiam cuiuſcumque formæ, quæ nullum bonum tribuit materiæ, ergo non poteſt determinari à negatione cuiuslibet formæ: Ratio à priori huius diſcurſus eſt, quia eſt bonum materiæ habere indifferentiam ad quamcumque formam, ergo materia non poteſt amittere iſtam indifferentiam per carentiam cuiuslibet formæ, alioquin moueretur à bono ad purum malum, quòd eſt contra rationem cuiuſcumque agentis, quòd agit propter finem, hoc eſt propter bonum: nemo enim operatur intendens ad malum.

4. Confirmatur idem argumentum, quia materia itá eſt indifferens ad formas, à quibus perficitur, vt ſolum vniatur cum forma, genus verò determinatur per differentiam, itàvt cum illa habeat identitatē, ergo multo magis repugnat determinari genus per differentiā pure negatiuam, adeoque habere identitatem cum eo, quod eſt purum ipſius malum, quàm materiam determinari per carentiam omnis formæ, adeoque vniri termino, qui nullum bonum ipſi affert,

5. Probatur ſecundò, omnis perfectio eſt prædicatum poſititiuum, quia perfectio formaliſſimè eſt ens & imperfectio non ens, ſed qualibet ſpecies differt ab alia ſpecie per ali-

aliquam perfectionem, ergo per prædicatũ poſitiuum, ergo differẽtia ſpecifica non eſt aliquod purè negatiuum. Mi: probatur; quia animal irrationale non poteſt differre ab animali rationali per ſolam negationem perfectionis exiſtentis in homine, ergo differt ſpecie per aliquam perfectionem: antec: probatur. Per illud prædicatnm differt ſpecie animal irrationale à rationali, per quòd animal irrationale diſtinguitur ab omnibus imperfectionibus animalis rationalis; ſed hoc prædicatum, per quòd diſtinguitur, eſt formaliſſimè perfectio, repugnat enim diſtingui ab imperfectione per defectum perfectionis, ergo animal irrationale differt à rationali per aliquam perfectionem: ſed huiuſmodi perfectio non eſt perfectio generis, quia animal irrationale non differt à rationali quatenus animal, ergo eſt perfectio differentiæ.

6. Hinc ſequitur differre non ſpecie, ſed potiùs defectu ſpeciei ea, quæ differunt præcisè defectu perfectionis, vt patet in creatura reſpectu Dei; nulla enim creatura diſtinguitur formaliter à Deo ex capite perfectionis, ſed ſolum ex capite imperfectionis: ideò acutè probat S. Auguſtinus omnem creaturam eſſentialiter componi ex nihilo huiuſmodi argumento: quæcumque res creata eſſentialiter diſtinguitur à Deo, ſed non diſtingnitur formaliter propter eſſe, quod habet, quia Deus habet omne eſſe: ergo diſtinguitnr propter non eſſe: ergo

eſſen-

eſſentialiter componitur ex nihilo. Eodem modo Chimæra differt à rebus exiſtentibus non ſpecie, ſed defectu ſpeciei, quiá non differt perfectione, quam nullam habet, ſed imperfectione quam ſummam habet.

7. Oijc. primò: datur aliqua ſpecies, quæ differt ab alia ſolo defectu perfectionis, ergo differt differentia pure negatiua: antec: probatur: cognitio, quæ cognoſcit tantum hominem, differt ſpecie à cognitione cognoſcente hominem & equum, ſed differt per negationem perfectionis, quiá vtraque repræſentat hominem, vna enim habet hanc perfectionem, quæ conſiſtit in repræſentando equum, quam perfectionem non habet alia, ergo &c.

8. Reſpondeo: nego antecedens: ad eius probationem concedo mai: & diſtinguo min: differt tantum per negationem perfectionis: nego mi:, non tantum concedo minorem: & nego conſequentiam, Prædicatum poſitiuum, per quod differt cognitio cognoſcens tantùm hominem à cognitione cognoſcente hominem, & equum, eſt independentia ab equo tanquam ab obiecto ſui ſpecificatiuo: hoc prædicatum ſine dubio eſt poſitiuum, & inuoluit perfectionem, quia Deus eſt perfectiſſimus, eo quòd eſt ſummè independens: indè eſt, quòd cognitio cognoſcens hominem & equum, quæ habet eſſe dependens ab homine ſimul & equo, caret aliqua perfectione, quam habet cognitio cognoſcens tantum hominem: licet habeat

aliam

aliam perfectionem maiorem, propter quam eſt ſimpliciter & abſolutè perfectior.

9. Obijc. Secundò: eſſentiæ rerum ſiuè ſpecies ſe habent ſicuti nnmeri, vt Philoſophus dicit; ſed vnus numerus differt ab alio per ſolam negationem, quia numerus binarius differt à ternario per ſolam negationem tertiæ vnitatis, ergo etiam ſpecies.

10. Reſpondetur concedo ma: & nego minorem, quia eodem modo philoſophandum eſt de numeris ac de cæteris ſpeciebus: numerus minor non differt à maiori, videlicet binarius à ternario, præcisè per negationem, differt enim per aliquod prædicatum; per quod imitatur magis diuinam perfectionem, huiuſmodi prædicatum eſt maior ſimplicitas fundata in minori compoſitione, quæ inuenitur in numero binario reſpectu ternarij: conſtare enim ex duplici vnitate eſt habere naturam ſimpliciorem, quàm conſtare ex triplici vnitate vt eſt certiſſimum, adeoque eſt magis accedere ratione huiuſmodi perfectionis ad infinitam Dei ſimplicitatem. Hinc colliges cum S. Dyoniſio mirabilem ordinem Diuinæ Sapientiæ, quæ in rebus maximis & minimis nouit adumbrare quamdam ſimilitudinem ſui, adeo vt in mundo nihil ſit adeò tenuè ac exiguum, quod pro ſuo modulo non explicet aliquam Dei perfectionem.

11. Obijc. tertiò. Quicumque intelligit numerum binarium differre à ternario, non intel-

telligit differre per aliquod prædicatum poſitiuum, vt patet ex multis Philoſophis, qui negant omnes ſpecies habere differentiam poſitiuam, ergo idem quòd prius.

12. Reſpondeo diſt: antecedens: non intelligit ſignatè concedo antecedens: non intelligit exercitè: nego antecedens, & conſequentiam: hoc prædicatum, quod conſiſtit in negatione tertiæ vnitatis habet identitatem cum maiori ſimplicitate], quæ magis imitatur perfectionem Diuinam; vt oſtenſum eſt: quicumque ergo intelligit hanc negationem, intelligit exercitè aliquod prædicatum poſitiuum, & aliquam perfectionem, licet ſignatè, hoc eſt reflexè non intelligat, quia non exiſtimat dari iſtam identitatem, quæ verè datur. Non eſt autem mirum, ſi non intelligat ſignatè quod intelligit exercitè, quià poteſt eadem res affirmari exercitè, & negari ſignatè, ſicuti contingit quandò idem affirmatur & negatur ſub diuerſo conceptu.

13. Secunda concluſio. Omnes ſpecies habent perfectionem inæqualem. Hanc ſententiam, quæ eſt Ariſtotelis in 10. Metaphyſicæ, & S. Thomæ in 3. contra gentes cap. 19. docet expreſsè Suarius diſputatione 19. Metaphyſicæ ſect. 2. num. 18. Vaſquez, & alij contra Arriagam, & Ouiedum.

14 Probatur ea, quæ participant inæqualiter perfectionem diuinam habent inæqualem perfectionem; ſed omnes ſpecies participant

inæqualiter perfectionem diuinam, ergo habent inæqualem perfectionem. Minor probatur; omnes ſpecies habent diſſimilitudinem in prædicatis eſſentialibus, ergo inæqualiter participant perfectionem diuinam. Conſequentia probatur, quià magis, vel minùs accedere ad illud quod eſt perfectiſſimum, adeoque eſt menſura omnis perfectionis, & illud inæqualiter participare, ſunt termini conuertibiles, ſed ſpecies, quæ habent diſsimilitudinem in perfectionibus eſſentialibus, magis, vel minùs accedunt ad Deum, qui eſt ſupremus in genere boni, & perfectionis, ergo, &c.

15. Confirmatur primò iſte diſcurſus; quæ ſunt in aliquo genere diſſimilia, magis, vel minùs accedunt ad imitationem illius quod eſt primum in tali genere; adeoque eſt menſura cæterorum, vt patet inductione quam S. Thomas ingenioſè in hunc modum facit: in genere luminoſi datur ſol, qui habet maximam lucem, & eſt menſura omnium rerum, quæ participant lucem: in genere calidi datur ignis, qui eſt primum calidum habens maximum calorem in genere motus localis datur motus primi mobilis, qui eſt primus, & velociſſimus motus adeoque eſt regula cuiuſcumque inferioris, patet autem experientia, quòd ea quæ ſunt diſsimilia in ratione luminoſi, magis, vel minùs accedunt ad imitandam lucem ſolis, ſicuti ea quę ſunt diſsimilia in ratione calidi, magis, vel minùs imitantur calorem ignis, ergo ſpecies,

quę

quæ habent diſſimilitudinem in perfectione eſſentiali, magis, vel minùs accedunt ad imitandam perfectionem diuinam, quæ eſt menſura omnis perfectionis, adeoque inæqualiter eam participant.

16 Confirmatur ſecundò, quià omnis diſſimilitudo eſt quædam inæqualitas, ita datur diſsimilitudo inter vnam formam, & aliam, nimirùm inter albedinem, vt octo, & albedinem vt duo, quià vna eſt magis intenſa, quàm alia, ergo perfectiones diſſimiles ſunt inæquales, ergo habere perfectionem eſſentialem diſſimilem eſt habere inæqualem perfectionem.

17 Confirmatur tertiò: quià omnes ſpecies componunt mundum, cuius elegantiæ, & mirabili perfectioni inſeruiunt, ergò ſunt inæquales in perfectione. Conſequentia probatur, tum quia pulchritudo conſiſtit in ordine, & harmonia diuerſarum partium ſuis locis aptè congruentium, ergo pulchritudo mundi, quam efficiunt tot, & tantæ rerum ſpecies diuinam perfectionem imitantes, naſcitur ex rebus habentibus perfectionem inæqualem ſuo loco eleganter diſpoſitis, tum quià tota hæc mundi machina ordinatur ad enarrandam Dei gloriam, adeoque noſtris mentibus imprimendam notitiam illius infinitæ pulchritudinis, quæ nullis oculis cerni poteſt: ſed ad hunc finem conſequendum magis conducunt ſpecis inæquales quam æquales in perfectione, quià per vnam ſpeciem relucet vna perfectio, per aliam relucet

alia, & ſic de ſingulis. Id conſtat manifeſtè diſcurrendo per omnes ſpecies, quæ ſunt in mundo, vnde ſequitur Ariſtotelem diligentiſſimum interpretem naturæ in ea fuiſſe ſententia, quod eſſentiæ rerum, ſiue ſpecies ita ſe habeant, ſicuti numeri, quemadmodum enim non poteſt inueniri diſsimilitudo formalis in numeris ſine inæqualitate, ità non poteſt inueniri diſſimilitudo eſſentialis, quæ eſt formalis, ſine perfectione inæquali.

18. Obijc. quarto: vbicatio, quæ conſtituit Petrum in vno loco, differt ſpecie ab vbictione, quæ conſtituit Petrum in loco diuerſo, ſed iſtæ vbicationes æqualiter participant perfectionem immenſitatis diuinæ, ergo habent eamdem perfectiouem. Idem argumentum vrgetur in duabus durationibus, quæ participant æqualiter diuinam æternitatem.

19 Reſp. Concedo maiorem, & nego minorem, ratio huius eſt, quià participare inæqualiter diuinam immenſitatem, eſt eam inæqualiter exprimere, & repręſentare, ſed duæ vbicationes inæqualiter repræſentant immenſitatem diuinam, ergo inæqualiter participant: ergo habent perfectionem inæqualem, adeoque argumentum retorquetur. Minor probatur ratione vniuerſaliſſima qua probatur fuiſſe congruum, vt Deus produceret Creaturas inęquales mũdum componentes. Nulla res creata poteſt imitari perfectè Deum, qui eſt perfectiſſimum rerum omnium exemplar, ergo debuit

Deus

Deus res creatas multiplicare,hoc eſt producere viuas, & ſpirantes imagines ſui, vt ille gradus perfectionis, qui non exprimitur ab vna, reluceat in alia. Poſito hoc diſcurſu, ita debemus in rem noſtram arguere. Vbicatio eſt vtilis ad repræſentandam immenſitatem diuinam, ſiue perfectionem quam Deus habet exiſtendi vbique, ſed vnica vbicatio non poteſt ſufficienter repræſentare hanc perfectionem, ergo debent eſſe poſſibiles infinitæ vbicationes, quarum ſingulæ repræſentent aliquam peculiarem perfectionem, quæ ab aliis non repræſentatur: ergo vbicatio A inæqualiter participat diuinam immenſitatem, ac vbicatio B.

20. Obijc.ſecundò: poſſunt in aliquo genere dari duæ ſpecies, quarum vna excedat aliã in perfectione, & alia excedatur, ergo poſſunt dari duæ ſpecies, quarum vna neque excedat, neque excedatur, ergo poſſunt dari duæ ſpecies habentes æqualem perfectionem.Conſequentia probatur, quià vbi inuenitur magis, & minùs, inuenitur æqualitas, ſed in genere perfectionis ſpecificæ inuenitur magis, & minùs per maiorem,& minorem perfectionem, ergo inuenitur inæqualitas.

21. Reſp: conc; antec: & nego conſeq. Ad eius probationem nego vniuerſaliter ma: quam eſſe falſam pluribus oſtendo. Certum eſt poſſe dari ſatisfactionem pro peccato lethali, quæ ſit maior, vel minor quam offenſa, & tamen non poteſt dari ſatisfactio æqualis: Ratio eſt

quia ſatisfactio pro peccatis vel prouenit à ſuppoſito pure creato, vel à ſuppoſito non pure creato, nimirum à Chriſto, qui eſt Deus & homo: ſed ſatisfactio creaturæ eſt minor quam offenſa, & ſatisfactio Chriſti eſt infinitè maior, vt Theologi demonſtrant, ergo repugnat ſatisfactio æqualis. Rurſus in rebus mathematicis certum eſt nullum eſſe angulum, qui non poſſit eſſe maior, vel minor altero, & tamen non eſt certum, quemlibet angulum poſſe cuilibet angulo coæquari: immò eſt certum oppoſitum, quià Euclides demonſtrat in lib. 3. Problem. 16. angulum ſemicirculi non poſſe eſſe æqualem angulo rectilineo, etiam ſi poſſit angulus ſemicirculi eſſe maior, vel minor angulo rectilineo. Non eſt igitur mirum, quòd duę ſpecies ità poſſint comparari, vt vna excedat, alia excedatur, quin reperiantur duæ ſpecies perfectionis æqualis: vt demonſtrauimus.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum detur ſpecie immultiplicabilis.

1. QVæſtio hæc de ſpecie immultiplicabili, quæ opportunè hic agitatur, & ſolet à recentioribus omitti, non eſt prætereunda, cum ſit pulcherrima, & vtiliſſima, eaque magna cum laude agitatur à ſcholaſticis antiquioribus, nimirum à S. Bonauentura in 2. diſt. 9.

diſt. 9, quæſt. 1. à S. Thom. in prima parte, quæſt. 50. art. 4. & in 2. contra gentes cap. 93 à Scoto in ſecundo diſt. 3. Caietano Durando, & Capreolo alijſque.

2. Certum eſt poſſe multiplicari numero omnes ſubſtantias adæquatè materiales, quæ componuntur ex materia, & forma materiali, vel inadæquatè materiales, quæ conſtant ex materia, & forma immateriali: dubium eſt de ſubſtantijs adæquatè immaterialibus, quæ ſunt Angeli, nimirum formæ per ſe ſubſiſtentes, ab omni materia abſtractæ, & vocantur ab Ariſtotele intelligentiæ deſtinatæ mouendis corporibus cæleſtibus. Dubium eſt, inquam, vtrum ſingulæ Angelorum ſpecies poſſint multiplicari in plura indiuidua ſolo numero diuerſa, ſicuti ſpecies rerum materialium.

3. Noſtra ſententia eſt, non poſſe multiplicari numero ſubſtantias adæquatè immateriales, adeoque dari ſpeciem immultiplicabilem, & tot eſſe ſpecies diuerſas Angelorum, quot ſunt Angeli. Hæc ſententia eſt S. Thomæ loco citato, Caietani ibidem, Ferrarienſis, & Capreoli contrà Scotum, & totam eius Scholam: fauet huic ſententiæ, vt ipſe Scotus fatetur: Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ vbi demonſtrat intelligentias mouentes Cœlum differre ſpecie inter ſe, quià non habent materiam, quæ apud Peripateticos eſt vnica cauſa differentiæ indiuidualis.

4 Probatur primo: il'ę ſubſtãtiæ, quę non poſ-

 ſunt

ſunt habere diſſimilitudinem entitatiuã relatè ad circunſtantias materiales, non poſsunt multiplicari numero, ſed ſubſtantiæ adæquatè immateriales non habent hanc diſſimilitudinem, ergo non poſſunt multiplicari numero. Maior conſtat ex doctrina noſtra de differentia numerica, & ſpecifica in qu. 4. nu. 7. minor probatur: Angeli non poſſunt indiuiduari per ordinem ad ſubiectum diuerſum, quià non habent materiã, neque per ordinem ad diuerſum agens, quiá debent produci à ſolo Deo, ad quẽ ſpectat creare, neque per ordinem ad locum,& tempus diuerſum, tum quià omnes fuerunt ſimul producti in prima mundi formatione, tum quià non debent ordinari per loca, & tempora, adeoque poſſunt eſſe in eodem loco, & tempore,quod contingere nõ poteſt in ſubſtantijs materialibus. Ratio à priori eſt, quià ſubſtantiæ materiales ſunt corruptibiles, ergo vt conſeruentur in mundo ſpecies rerum omnium, quas voluit natura nunquam perire in perituris indiuiduis; debent ita ordinari quoad locum, & tempus, vt per continuam generationem, & corruptionem, aliæ alijs ſuccedant: hæc ratio non poteſt militare in ſubſtantijs immaterialibus, quæ ſunt immortales, & incorruptibiles. Ex huiuſmudi immortalitate ſabſtantiæ immaterialis fundata in eius immaterialitate demonſtrat acutè S. Thomas Angelos non poſſe multiplicari numero.

5. Probatur ſecundò: ſubſtantiæ adęquatè imma-

Immateriales ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, ſed huiuſmodi formæ non poſſunt multiplicari numero; ergo ſubſtantiæ adequatè immateriales non poſſunt multiplicari numero. Maior eſt certa quià nomine formæ ſubſiſtentis intelligitur ſubſtantia, quæ neque componitur ex alia ſubſtantia, neque eſt pars ſubſtantiæ, adeoque eſt forma quæ nullum ſubiectum informat: minor probatur primò, quià forma abſtracta à ſubiecto, qualis eſt forma ſubſiſtens, non poteſt differre niſi differentia formali, ſicuti circulus abſtractus ab omni ſubiecto non differt niſi differentia formali, hoc eſt in ratione figuræ, ergo non poteſt differre differentia materiali, quià non eſt in ſubiecto, ergo non poteſt multiplicari in plura, quæ habeant differentiam numericam, ſiue materialem. Secundò: ideò poteſt numericè multiplicari forma non abſtracta à ſubiecto, quià non habet totam perfectionem ſpecificā formæ, cum forma, quæ eſt coniuncta materiæ, limitetur à materia, vt in pluribus locis docet S. Thomas; ſed forma abſtracta ab omni materia habet totam perfectionem ſpeciei quià non limitatur à materia, eo enim ipſo quod exiſtit, & conſtituit ſuppoſitum, hoc eſt ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio habet totam perfectionem debitam tali ſpeciei, ergo non poteſt multiplicari numericè.

6. Confirmatur primò: forma materialis indiuiduata per hanc numero materiam non poteſt vlterius diuidi in aliud indiuiduum, quià habet

habet totam perfectionem formæ indiuiduatæ; ergò forma immaterialis non poteſt numericè multiplicari, quia in ſe continet omnem perfectionem debitam tali formæ.

7. Confirmatur ſecundò: ſubſtantiæ immateriales ſunt formæ intellectiuæ, ſed inter formas intellectiuas non poteſt dari differenria niſi ſpecifica, ergo, &c. Minor probatur, quia vna forma intellectiua, quæ non habet neceſſitatem ſpeculandi phantaſmata, differt ab alia forma per diuerſum modum intelligendi, hoc eſt per ſpecies magis, vel minus vniuerſales; quæcumque autem ita differunt, differunt ſpecie, habent enim eſſentiam diſſimilem, ergo formæ abſtractæ à materia, adeoque nullum ordinem habentes ad materiam non poſſunt multiplicari numero, ideò S. Thomas in prima parte qu. 53. docet vnum Angelum differre ab alio per modũ intelligendi magis, vel minùs vniuerſalem.

8. Obijc. primo: eſt de ratione entis eſſentialiter finiti poſſe habere aliud ſibi ſimile, ſed omnis ſubſtantia immaterialis creata eſt eſſentialiter fi. ita, ergo poteſt habere aliam ſubſtantiam ſibi ſimilem; ſed duæ ſubſtantiæ eſſentialiter ſimiles pertinent ad eamdem ſpeciẽ, ergo ſunt poſſibiles duæ ſubſtantiæ immateriales intra eamdem ſpeciem. Ma: probatur, quia eſt proprim entis infiniti, & increati non poſſe habere aliud ſimile propter perfectionem infinitam, iuxtà illud Regij vatis. *Deus quis ſimilis* tibi: ergo &c.

7 Reſp.

7 Reſp. Nego ma: ad eius probationem: non eſt de ratione entis eſſentialiter finiti poſſe multiplicari, adeoque habere aliud ſimile, quia quodlibet indiuiduum in ratione indiuidui eſt finitum, & tamen non poteſt in ratione indiuidui multiplicari, quia non poteſt habere aliud ſimile in prædicatis indiuidualibus. Quòd ſi dicas eſſe de ratione entis finiti, poſſe multiplicari, & habere aliud ſimile in prædicatis eſſentialibus, petis principium, & aſſumis tanquam indubitatum id, quod eſt controuerſum. Ego quidem libentiſſimè tibi concedo eſſe proprium entis eſſentialiter infiniti, eſſe tantę perfectionis, vt repugnet aliud ens, vel magis, vel æque perfectum, ſed quid indè? an repugnabit conceptui entis creati non poſſe habere aliud ſimile in eſſentia? Hanc conſequentiam ego non video, nulla enim eſt: ſubſtantia immaterialis, quæ eſt increata ſubſtantia, non poteſt habere aliam ſubſtantiam magis, vel æquè perfectam, quia nulla res creata eſt perfectiſſima. Ad hoc ni fallor voluit alludere Regius vates loco citato.

10. Obijcies ſecundo. Non minùs poteſt diuidi ratio entis intellectiui in plures ſpecies, quàm ratio talis intellectiui in plura indiuidua, ſed ratio intellectiui poteſt multiplicari ſpecificè, ergo etiam ratio talis intellectiui poteſt multiplicari numericè: Maior probatur: ideò ratio intellectiui poteſt diuidi in plures ſpecies, quia nullus eſt intellectus creatus, & finitus, qui

con-

contineat in ſe omnem perfectionem intelligendi, ſicut nullum eſt ens creatum, quod habeat omne eſſe; ſed nulla eſt ſubſtantia creata, & finita, quæ habeat totam perfectionem alicuius gradus intelligendi conſtituentis peculiarem ſpeciem; aliter haberet perfectionem infinitam, ſicuti homo qui contineret perfectionem omnium hominum poſsibilium, eſſet infinitè perfectus, ergo &c.

11 Reſp. nego ma: Illa eadem ratio, quæ probat non poſſe multiplicari numero ſubſtantias immateriales, probat poſſe multiplicari ſpecie, vt hoc argumento oſtendo. Ideò forma abſtracta ab omni materia eſt immultiplicabilis, quia habet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei, nimirum perfectionem intelligendi per cognitionem magis, vel minus vniuerſalem, quod ſine dubio non inuoluit perfectionem repugnãtem Creaturę, hoc eſt perfectionem infinitam ſimpliciter, quę ſola repugnat Creaturæ: inuoluit enim perfectionem ad ſummum infinitam ſecundum quid, quæ perfectio non repugnat Creaturæ. E contrario nullum ens creatum poteſt habere omnem perfectionem intelligendi, quæ cõtinetur in genere entis intellectiui, adeoque hoc genus debet poſſe multiplicari in ſpecies infinitas; Quod ſi vrgeas in hunc modum. Subſtantia, quæ habet omnem perfectionem intelligendi in genere entis intellectiui eſt infinitè perfecta, ergo ſubſtantia, quæ habet omnem perfectionem intelligendi in aliqua ſpecie eſt infini-

finitè perfecta; malè arguis, cum antecedens ſit verum, & conſequens falſum propter conſequentiam, in qua committitur fallacia accidentis, arguendo à ſimpliciter ad ſecundũ quid vt diximus ſum.part.3.cap.vlt.num.15. Eodem modo homo, qui haberet totam perfectionem ſpeciei humanæ, eſſet infinitus non ſimpliciter, ſed ſolum ſecundùm quid, quia haberet omnes perfectiones pertinentes ad aliquam ſpeciem eſſentialiter imperfectam eo modo, quo infiniti homines non habent perfectionem ſimpliciter infinitam, adeoque non habent tantam perfectionem, quantam habet Deus. Cæterum ratio, cur non detur vnus homo, qui habeat omnem perfectionem ſpeciei humanæ, ſicut datur Angelus, qui habeat totam perfectionem ſuæ ſpeciei, non eſt petenda ex infinitate in ratione entis, quæ nulla eſt tam in Angelo, quàm in homine, ſed ex limitatione, per quam forma hominis habens ordinem ad materiam limitatur à materia, cum forma Angeli non limitetur à materia, ad quem nullum ordinem habet.

12 Obijc. tertio, Animæ rationales ſunt ſubſtantiæ immateriales inter ſe differentes differentia numerica, ergo idem dicendum de Angelis: conſequentia probatur, quia non minus ſunt immateriales, & immortales animæ hominum, quam Angeli, ergo ratio immaterialitatis, vel pro omnibus, vel pro nullis ſufficit ad excludendam multiplicationem.

13 Reſp.

13 Reſp. Concedo antecedens, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt euidens, quia anima rationalis eſt forma corporis, adeoque debet creari in ſtatu vnionis cum corpore. Indè eſt animā rationalē eſſe materialem, & mortalem tranſitiuè, quatenus in genere cauſæ formalis conſtituit ſubſtantiam materialem, & mortalem, videlicet hominem, licet eadem anima ſit immaterialis, & immortalis intranſitiue, quia homine extincto ipſa viuit. Indè eſt, quòd animæ rationales habent diſſimilitudinē eu itatiuam relatè ad circumſtantias materiales diuerſas, adeoque omnes differunt numero iuxta doctrinam à nobis traditam:hanc diſſimilitudinem non habent Angeli,qui non ſunt forma corporis, adeoque ſunt ſubſtantiæ tranſitiue, & intranſitiue immaterales, eſt igitur diſpar ratio inter animam, & Angelum.

14 Ob. quarto. In ſingulis Angelis inuenitur ordo ad mouenda corpora cœleſtia, ergo ſi animæ indiuiduantur per ordinem ad corpora quæ informant, Angeli poſſunt indiuiduari per ordinem ad corpora, quæ mouent, & quibus præſunt. Antecedens probatur, quia Cœlum mouetur ab intelligentijs, quæ ſunt Angeli, vt docet Ariſtotiles, ergo Angelus, qui mouet ſupremum Cœlum poteſt habere ordinem ad illud mouendum, adeoque differre numero ab alio Angelo, qui mouet globum inferiorem, ſiue aliud Cœlum.

15. Reſpondeo nego antecedens: ratio cur

An-

Angeli non poſſunt indiuiduari per ordinem ad mouenda corpora cæleſtia, quibus mouendis & gubernandis ſunt deſtinati, eſt multiplex: primò, quia ſequentur tot tantùm eſſe Angelos, quot ſunt corpora cœleſtia, quæ mouentur ab intelligentijs, ſicuti tot ſunt animæ, quot ſunt corpora, id autem eſt manifeſtè falſum; docent enim ſacræ paginæ numerum Angelorum eſſe innumerabilem, iuxta illud Danielis *millia millium miniſtrabant ei & decies centena millia aſſiſtebant ei*. Secundò: neque poſſunt indiuiduari Angeli, qui pertinent ad vltimam Hierarchiam, eo quòd ſinguli ordinantur ad cuſtodiam ſingulorum hominum, quibus eſt certum de fide deſignari à Deo Angelos tutelares quia iuxta opinionem quam ex doctrina Dyoniſij docet S. Thomas in prim. part. qu. 50. ar. 3. Angeli ſpectantes ad vltimam hierarchiam ſunt multo plures quàm homines præteriti, præſentes, & futuri: immò quam omnia corpora, quæ in mundo reperiuntur; tertiò etiam ſi tot eſſent Angeli, qui deſtinantur regendis hominibus, quot ſunt ipſi homines, adhuc falſum eſt debere Angelos indiuiduari per ordinem ad corpora, quibus præſident, quia vt rectè docet idem S. Thomas loco citato, ſubſtantiæ immateriales non debent ordinari relatè ad ſubſtantias materiales, alioquin ſubſtantia materialis eſſet finis ſubſtantiæ immaterialis, quod repugnat. Quarto: Angelos mouere corpora cœleſtia & gubernare homines ſupponit ordinem

conſtitutum inter ipſos Angelos antecedenter ad talem motum ; ergo Angeli non poſſunt diſtingui indiuidualiter per ordinem ad mouenda corpora . Antecedens probatur : quia deſtinatio eorum qui ſunt in præſenti deſtinati ad regenda corpora facta fuit poſt liberam voluntatis electionem, quà perſeuerarunt in bono alijs non perſeuerantibus .

16. Obijc. quinto . Principium differentiæ numericæ eſt limitatio, ſed natura angelica eſt limitata, ergo natura angelica eſt multiplicabilis numero. Confirmatur: quia principium totius limitationis,& diſtinctionis, quæ inuenitur in rebus materialibus, eſt materia, ſed omnes Angeli magis accedunt ad imperfectionem materiæ, quam ad perfectionem Dei, propter defectum quem habent perfectionis infinitæ, ergo debēt magis à materia accipere multitudinem, quàm à Deo vnitatem .

17. Reſpondeo:diſtinguo mai: Principium differentiæ numericæ eſt quæcumque limitatio. ſiue limitatio abſtractiſſimè accepta: nego mai: eſt talis limitatio ſiuè limitatio ſpecifica : concedo maior : & diſtincta mi: nego conſequentiam. Sciendum eſt duplicem inueniri in rebus materialibus limitationem : alia eſt, quæ tranſcendit & vagatur per omnes res creatas, adeoque poteſt appellari limitatio abſtractiſſimè accepta,ſiuè in ratione entis,huiuſmodi limitatio non ſufficit ad hoc, vt vnum ens poſſit multiplicari in alia diuerſa numero,alioquin omnes

indi-

indiuiduum eſſet multiplicabile in alia indiui. dua alia eſt limitatio particularis & determinata, per quam forma limitatur in ratione formæ: iſta limitatio eſt fundamentum multiplicandi ſpeciem, quià forma, quæ habet huiuſmodi limitationem nō habet in ſingulis indiuiduis totā perfectionem formæ. Primum genus limitationis procul dubio reperitur in ſubſtantijs immaterialibus: ſed inde non poteſt argui multiplicatio numerica: ſecundum genus non datur in ſubſtantijs adæquatè immaterialibus, quia non ſunt formæ informantes materiam, à qua limitatur forma. Hinc eſt, quòd ſpecies Angelorum non pertinent ad ſpeciem logicam, quæ eſt prædicabilis de pluribus. Ad confirmationem dico materiam, vt docet Ariſtoteles, eſſe principium diſtinctionis numericæ, ſiue materialis, quæ ſola conuenit rebus materialibus: ideò multitudo numerica ſiue indiuidualis excluditur à ſubſtantijs adęquate immaterialibus, quæ non habent eſſe in materia per dependentiam, vel vnionem cum materia, quia verò ſubſtantię immaterialeshabent aliquam analogiam cum ipſa materia, conſtant enim ex ſubſtantia, & accidente ideo poſſunt multiplicari multiplicatióne ſpecifica & formali: quià repugnantia cuiuſcumque multiplicationis conuenit ſoli Deo propter ſummam immaterialitatem.

8. Obijc: vltimo: inter Angelos datur naturaliter amicitia: ſed inter ea, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei non datur naturaliter amicitia, ergo

Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei mi: probatur, ideò homines poſſunt ſecum inire amicitiam, quam non poſſunt inire cum brutis animantibus quià differunt ſpecie à brutis.

5. Reſpondeo concedo mai: & nego minor: ad eius probationem nego cauſalem: ratio cur homo non poteſt inire amicitiam cum brutis, non eſt diuerſitas ſpecifica, ſed quià non poteſt conuenire brutis natura amicitiæ, quam definit Ariſtoteles eſſe mutuum amorem non latentem communicatiuum arcanorum & omnium bonorum. Hinc eſt amicitiam non poſſe inueniri niſi inter ſubſtartias rationales, quæ poſſunt amicabiliter viuere: ſequitur præterea poſſe dari amicitiam inter Angelos diuerſæ ſpeciei, quia habent quidquid requiritur ad contrahendam amicitiam. In primis quilibet Angelus cognoſcit intuitiuè alium Angelum, adeoque poteſt eſſe certus de amore alterius: deinde vnuſquiſque Angelus habet aliquod peculiare bonum alteri communicandum, nimirum ſecreta cordis: prætereà datur inter Angelos mutua indigentia, quæ ſecundùm Philoſophum eſt fundamentum amicitiæ.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

IN

IN DECEM ARISTOTELIS PRAEDICAMENTA.

CEleberrimum librum,quem Ariſtoteles de prædicamentis ſcripſit, tribuunt in tres partes latini eiuſdem interpretes: prima pars complectitur ea, quæ debent præmitti tamquā neceſſaria ad intelligenda ſingula prædicamenta, adeoque vocantur anteprædicamenta. In ſecunda parte ſermo eſt de omnibus & ſingulis prædicamentis. In tertia continentur quædam, quæ conſequuntur ad ipſa prædicamenta atque adeo vocantur poſt prædicamenta. Nos ſequentes ordinem, quem Philoſophus in hoc libro obſeruauit, ſingillatim diſputabimus de ante prædicamentis, prędicamentis, & poſt prædicamentis,

DISPVTATIO OCTAVA.

De antepredicamentis.

TRactatum de ante prædicamentis diuidit Ariſtoteles in quinque capita: in primo & ſecundo agit de vniuocis & æquiuocis, in tertio & quarto tradit duas leges valdè vtiles ad ordinanda omnia prædicamenta. In poſtremo capite res omnes, quæ poſſunt cadere in controuerſiam, partitur in decem categorias: nobis non eſt animus pluribus exponere, quæ ibi Philoſophus agit, tùm quòd multa de hac re diximus in prima parte Summularum, tùm quòd ſunt adeò clara, vt cenſeamus eorum expoſitionem ſuperuacaneam, præſertim poſt nobiliſſimã Siluestri Mauri paraphraſim, quæ Ariſtoteli lucem, & mundo reddidit Ariſtotelem. Nos itaque vna cum Ruuio, Toleto, Suario, cæteriſque Philoſophis ea paucis in hac diſputatione perſtringemus, quæ ſpectant ad regulas prædicamentales, & nominum analogiam, de qua ſcripſit ſatis acutè Caietanus in ſuis opuſculis tom. 3. tract. 5. Hinc enim pendent ea, quæ à nobis erunt in metaphyſica diſputanda cum Ariſtotele de Analogia entis.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid ſit et quotuplex ſit nomen analogum:

1. NOmen pluribus commune, de quo hic eſt ſermo, aliud eſt vniuocum, aliud æquiuocum, aliud analogum, vt ex Philoſophi doctrina in ſummulis docuimus parte prima cap: 5. numer. 2. & 3. Omnia hæc nomina in eadem voce conueniunt, vt ſatis conſtat in hac voce *canis*, quæ eſt æquiuoca, & in hac voce *animal*, quæ eſt vniuoca, ſicuti enim omnia animalia communi nomine vocantur animal, ità omnes canes, maritimus nimirum, & terreſtris, eodem nomine appellantur: quid inter nomen vniuocum & æquiuocum interſit, abundè ſignificat vtriuſque definitio, quia ratio ſubſtantiæ per nomen ſignificata eſt omnino eadem in vniuocis, omnino diuerſa in æquiuocis; hæc ratio ſubſtantiæ, de qua loquitur Philoſophus in vtriuſque definitione, nihil eſt aliud quàm eſſentia ſiue conceptus formalis rei explicatus per eius definitionem, quià neceſſe eſt vt eadem ſit eſſentia in rebus vniuocè conuenientibus, è cotrariò non debet in rebus æquiuocè conuenientibus eſſe vna eademque natura, immò debet eſſe natura in omnibus diuerſa. Hinc eſt, quòd omnia animalia conueniunt vniuocè in voce animalis, quià principium ſentiendi, quod eſt eſſentia animalis, eſt

vnum & idem in omnibus animalibus, omnes homines conueniunt vniuocè in voce hominis, quia hominis natura per hanc vocem ſignificata eſt vna & eadem in omnibus hominibus; è contrario canis maritimus & canis terreſtris conueniunt æquiuocè in hac voce *canis*, quia non eſt eadem vtriuſque natura, vt ſatis conſtat: eodem pacto Petrus Italus,& Petrus Hiſpanus conueniunt æquiuocè in ea voce quæ Petrum ſignificat, quià Petreitas ſignificata per Petrum Italum eſt omnino diuerſa à Petreitate ſignificata per Petrum Hiſpanũ;vtraque enim eſt diuerſus ordo ad circumſtantias diuerſas iuxta doctrinam de differentia numerica à nobis traditam diſp. 8. quæſt. 5. nu.6. quo fit æquiuocationem non eſſe in conceptibus, ſed tantum in vocibus, atque adeò æquiuoca, vt ait Philoſophus, priùs eſſe diſtinguenda, quam definienda,vniuocationem è contrariò eſſe tùm in vocibus, tùm in conceptibus, atque adeo vniuoca priùs eſſe definienda, quàm diſtinguenda. Idcirco rogatus quid ſit animal, debes prius reſpondere eſſe principium ſentiendi antequã illud in varias ſpecies, nimirum hominem, & equum partiaris: rogatus autem quid ſit Petrus debes priùs diſtinguere inter Petrum Italum, & Petrum Hiſpanum, deinde diuerſam vtriuſque deſcriptionem tradere.

2. Hinc eſt eſſentiam, quæ nomine vniuoco ſignificatur, eſſe vnam & eamdem in pluribus rebus, quæ hoc nomine appellantur. Hæc

duo

duo prædicata, quæ videntur prima ſpecie opponi, nimirum habere vnam eſſentiam, & habere realem diſtinctionem, non modò non opponuntur, ſed vnum potius ex alio ſequitur; ſi ea recolantur, quæ docuimus in tract. de vniuerſalibus, vbi conati ſumus componere vnitatem cum multitudine, ex quibus conſtat vniuerſale: vnitas formalis, & præciſiua, quæ eſt vnitas requiſita ad conſtituendam naturam vniuerſalem, nullam habet oppoſitionem cum reali multitudine, adeoque cum reali diſtinctione, quia non repugnat, quo minùs ab intellectu cognoſcantur indiſtinctè ea, quæ ſunt realiter diſtincta. Hinc eſt: quòd omnia animalia, quæ ſunt realiter diſtincta, habent vnam, & eamdem eſſentiam; quatenus illa ſimilitudo, quæ inuenitur in omnibus animalibus, præbet fundamentum intellectui cognoſcendi omnia confusè, adeoque vnum ab alio non diſtinguendi: ex qua doctrina ſequitur non eſſe neceſſariam, vt falsò contendit Silueſter Maurus quæſt. 45. logicæ de analogia entis, diſtinctionē obiectiuā inter gradus metaphyſicos ad ponendam veram vniuocationem omnium animalium in ratione animalis, & omnium hominum in ratione hominis; præciſio enim formalis fundata in reali ſimilitudine ſatis eſt, vt omnia animalia definiantur vna definitione, quæ explicat naturam animalis, & omnes homines definiantur vna definitione; quæ explicat naturam humanam.

3. Ex iis quæ huc vſque diximus de vniuocis, & æquiuocis, poteſt facilè intelligi, quid de analogis dicendum ſit: ea enim medium habent locum inter vniuoca, & æquiuoca, adeoque à plurimis philoſophis cum vtriſque confunduntur: analoga, quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen eſt partim eadem, & partim diuerſa, ab aliquibus diuiduntur in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionis: analogia inæqualitatis ibi inuenitur, vbi differentiæ inæquales contrahunt aliquam rationem ſuperiorem: quia verò omnis ratio generica contrahitur per differentias inæquales, vt oſtenſum eſt in diſp. 7. qu. 6. num: 13. ideò hæc analogia inæqualitatis inuenitur in omnibus prædicatis genericis, adeoque huiuſmodi analogia non excludit vniuocationem: alioquin omnia genera eſsēt analoga quod eſt apertè falſum. Hinc eſt falli illos Philoſophos, qui cenſent inæqualitatem in differentijs contrahentibus rationem ſuperiorem eſſe cauſam, cur huiuſmodi ratio non ſit vniuoca, ſed analoga. Hunc errorem plurimi imponunt Caietano, quaſi fuerit in hac ſententia; ego tamen quantum potui ex illo tractatu conijcere, quem ſcripſit de nominum analogia; exiſtimo non fuiſſe in hac ſententia Caietanum, quia cum ait genera eſſe analoga inæqualitatis, nihil aliud intellexit per analogiam inæqualitatis, niſi analogiam phyſicam, quæ ad rem præſentem non ſpectat. Analoga attributionis ſunt illa, quæ ſigni-

gnificant vnam rationem eamdem in omnibus per ordinem ad vnum, itá ſanum eſt analogum attributionis, quia ſignificat ſanitatem prædicabilem de pluribus in ordine ad animal ſanum. Analoga porportionis ſunt illa, quæ ſignificant vnam rationem proportionaliter eādem in omnibus, vt hoc nomen *riſus* quod eſt analogū proportionis inter hominem ridentem, & pratum floribus veſtitum. Hinc eſt in quolibet nomine analogo inueniri principale analogatum pro quo, vt loquuntur Dialectici, ſupponit nomen analogum: hoc principale analogatum eſt illa res, in ordine ad quam prædicatur de cæteris analogatis ratio ſignificata per nomen analogum.

4. Hæc ſunt ſatis certa: dubium eſt vtrum neceſſe ſit ad rationem abſtractiſſimam nominis analogi, vt ea denominatio, quæ conuenit omnibus analogatis ſit tantum intrinſeca principali analogato, cæteris verò extrinſeca: An verò poſſit eſſe omnibus intrinſeca: aliqui ſunt in ea ſententia, quòd illud nomen non ſit analogum, cuius ratio eſt intrinſeca omnibus, quibus tale nomen conuenit.

5. Ratio, quæ mouet ad hoc opinandum, eſt primo, quia hoc nomen ſanum eſt analogum reſpectu animalis medicinæ & pulſus, ſed ratio ſignificata per hoc nomen eſt intrinſeca tantum animali, quod eſt principale analogatum, cæteris enim eſt extrinſeca, vt patet, ergo analogia abſtractiſſimè conſiderata formaliſſi-

liſſimè conſiſtit in eo, quòd ratio per nomen ſignificata eſt intrinſeca vni analogato, cæteris verò extrinſecà.

6. Secundò: ratio formalis, quæ diſtinguit analogum ab vniuoco eſt ratio formalis, quæ cõſtituit analogum in eſſe analogi: ſed ratio formalis, quæ diſtinguit analogum ab vniuoco eſt denominatio intrinſeca tantùm vni analogato, ergo ratio formalis, quæ conſtituit analogum in eſſe analogi eſt denominatio intrinſeca tantùm vni analogato, ergo &c. Minor probatur: quia omnia vniuoca ſignificãt rationem intrinſecam omnibus rebus, de quibus prędicantur, vt cõſtat inductione in omnibus terminis vniuocis

7. Tertio: illa nomina, quorum ratio eſt omnino eadem in omnibus, ſunt vniuoca, non analoga: ſed omnia nomina, quorum ratio eſt omnino eadem in omnibus, ſignificant rationem intrinſecam omnibus, ergo huiuſmodi nomina ſunt vniuoca, non analoga, ergo ad conſtituendum nomen analogum neceſſe eſt, vt ratio ſignificata non ſit omnibus intrinſeca.

8. Vltimo: ratio formalis analogi formaliſſimè conſiſtit in ratione partim eadem, & partim diuerſa: ſed ratio partim eadem, & partim diuerſa non poteſt inueniri, vbi ratio ſignificata eſt omnibus intrinſeca, ergo ratio formalis analogi non poteſt conſiſtere in denominatione omnibus intrinſeca. Minor probatur, quià non poteſt explicari, in quo conſiſtat diuerſitas raionis per nomen ſignificatæ

ſi ra-

ſi ratio per nomen ſignificata eſt intrinſeca vni non minus, quam alteri. Contra hanc ſententiam

9. Dicendum cum omnibus Philoſophis recentioribus non requiri ad rationem abſtractiſſimam nominis analogi, vt ratio ſignificata ſit formaliter, & intrinſecè in principali analogato, & in cæteris ſit ſolum denominatiuè, & extrinſecè. Hanc ſententiam docet S.Thomas in primo diſt. 19. qu. 5,

10. Ratio à priori deſumi debet ex natura ipſius nominis analogi in hunc modum. Analoga ſunt illa, quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen eſt partim eadem, & partim diuerſa: ſed ratio ſignificata poteſt eſſe partim eadem, & partim diuerſa; etiam ſi formaliter, & intrinſecè ſit in omnibus rebus quibus hoc nomen conuenit: ergo ratio formalis nominis analogi poteſt inueniri, vbi ratio ſignificata per tale nomen eſt omnibus rebus intrinſeca: ergo ratio formalis nominis analogi præſcindit à ratione intrinſeca omnibus analogatis. Minor probatur, quià per hoc præcisè, quòd ratio ſignificata per aliquod nomen prædicetur de vno in ordine ad aliud; huiuſmodi ratio eſt partim eadem, & partim diuerſa in omnibus de quibus prædicatur, illa enim ratio, quæ eſt omnino eadem. non debet prædicari de vno in ordine ad aliud, vt eſt manifeſtum in ratione animalis, quæ cum ſit omnino eadem in homine, & in equo, non præ-

prædicatur de equo in ordine ad hominem; adeoque in definitione, quæ explicat naturam equi, nullo modo ponitur homo, qui eſt perfectiſſima ſpecies animalium. Hinc eſt, quòd illa ratio, quæ prædicatur de vno in ordine ad aliud, licet ſit vtrique intrinſeca, & in vtroque formaliter inueniatur, non eſt omnino eadem adeoque non prædicatur vniuocè, cum ratio, quæ prædicatur vniuocè, debeat eſſe omnino eadem in omnibus de quibus prædicatur: quia verò illa ratio, quæ non eſt omnino eadem, eſt ratio prædicabilis analogicè, idcirco fieri poteſt, vt aliqua ratio ſit formaliter, & intrinſece in pluribus. & tamen huiuſmodi ratio ſit analogice prædicabilis de pluribus; inde eſt, quòd conceptus rationis analogice prædicabilis inuenitur in illa ratione, quæ eſt intrinſecè, & formaliter in omnibus, de quibus peradicatur, dummodo prædicetur de vno in ordine ad ad aliud, quod eſt principale analogatum: ratio igitur abſtractiſſima nominis analogi neque formaliter inuoluit rationem intrinſecam omnibus analogatis, neque formaliter inuoluit rationem intrinſecam tantum principali analogato, & cæteris extrinſecam, præſcindit enim à ratione intrinſeca omnibus analogatis, & a ratione vni tantum intrinſeca.

11. Ratio à priori huius diſcurſus eſt, quia conceptus formalis rationis genericæ, & abſtractiſſimè conſideratæ debet præſcindere ab omnibus differentijs eamdem contrahentibus ad

ad varias ſpecies, ſed denominatio omnibus intrinſeca,&denominatio vni intrinſeca,& cæteris extrinſeca ſunt differentię cõtrahẽtes rationẽ abſtractiſſimã nominis analogi ad varias eiuſdem ſpecies,ergo ratio abſtractiſſima nominis analogi præſcindit à denominatione omnibus analogatis intrinſeca,&à denominatione vni intrinſeca cæteriſq;extrinſeca.Maior eſt certa,tum inductione facta in õnibus rationibus genericis,in quibus,nõ includũtur formaliter differentiæ,quę cõtrahunt genus ad varias ſpecies,tũ quia ratio generica includitur formaliter in qualibet ſpecie, nulla igitur differentia , quæ conſtituit formaliter ſpeciem,includitur formaliter in ratione generica. Minor probatur, quià præter illã ſpeciem nominis analogi , quæ conſtituitur per denominationem tantum intrinſecam principali analogato,datur alia ſpecies nominis analogi, quæ conſtituitur per denominationem intrinſecam omnibus , & de omnibus prædicabilem in ordine ad vnum principale analogatum .

12. Ex hac doctrina colliges rationem formalem nominis analogi in eo formaliſſimè conſiſtere, quòd ratio ſignificata per nomen analogum non poſſit prædicari de inferioribus analogatis niſi in ordine ad vnum principale analogatum , pro quo ſupponit nomen analogum : quidquid deinde ſit an omnia analogata formaliter , & intrinſecè habeant in ſe rationem ſignificatam per nomen analogum, an verò vnum tantum , nimirum principale

ana-

analogatum eam in ſe habeat formaliter, & intriſece, cætera verò extrinſecè, & denominatiuè.

13. Ad primum: conc; ma: & min: & nego conſequentiam: Hoc nomen *ſanum* eſt vna ſpecies nominis analogi, quæ conſtituitur per vnam differentiam contrahentem rationem abſtractiſſimam nominis analogi, ſicuti homo eſt vna ſpecies animalis; quæ conſtituitur per vnam differentiam contrahentem rationem abſtractiſſimam animalis ad vnam potius, quam ad aliam ſpeciem. Non eſt igitur mirùm, quòd hoc nomen *ſanum* ſignificet rationem intrinſecam tantum animali, & nomen analogum non ſignificet in ſuo formali conceptu denominationem vni tantum analogato intrinſecam, quià nomen *ſanum* præter rationem genericam nominis analogi cuicumque analogo communem includit etiam rationem differentialem, à qua præſcindit nomen analogum abſtractiſſimè conſideratum. Quemadmodum igitur ratio animalis præſcindit à rationalitate, quam formaliter includit ratio hominis, nimirum ratio animalis contracti: ità ratio nominis analogi præſcindit à demominatione vni tantum intrinſeca, quam formaliter includit ratio ſani, nimirum ratio analogi contracti, adeoque argumentum retorquetur.

14. Ad ſecundum: conc: ma: & nego mi: ratio formalis, quæ diſcernit nomeu analogum à nomine vniuoco eſt illa ratio, quæ poni-

tur

tur in vtriuſque definitione, huiuſmodi autem ratio præſcindit ab eo, quòd denominatio ſit intrinſeca omnibus analogatis, vel vni tantum: illa igitur ratio, quæ formaliter cõſtituit analogum in eſſe analogi, præſcindit à denominatione, vel omnibus, vel vni tantum intrinſeca. Quòd autem ab hoc prædicato præſcindat ratio formalis, quæ ponitur in vtriuſque definitione, eſt manifeſtum, quia vniuoca ſunt illa quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata eſt omnino eadem; analoga vero ſunt illa quorum nomen eſt commune, & ratio per nomen ſignificata eſt partim eadem, & partim diuerſa. Huiuſmodi prædicatum, per quod diſtinguitur analogum ab vniuoco, præſcindit á denominatione vni tantum, vel omnibus intrinſeca, vt ſatis conſtat: vniuoca igitur differunt ab analogis per hoc præcisè, quòd nomen vniuocum non prædicatur de vno in ordine ad aliud, vt contingit in analogis; etiam ſi ratio ſignificata per nomen analogum ſit omnibus intrinſeca.

15. Ad tertium; conc. ma; & nego mi: ratio eſt, quia poteſt vnum prædicatum eſſe intrinſecum alicui rei, & tamen prædicari de illá in ordine ad aliud. Hinc eſt poſſe vnum prædicatum eſſe intrinſecum pluribus rebus, & tamen prædicari de omnibus analogicè, quia nimirum poteſt de vno in ordine ad aliud prædicari, quod ſatis eſt ad prædicationem analogicã.

16. Ad vltimum ex dictis conſtat, ratio enim

enim partim diuerſa in eo formaliſſimè conſiſtit, quòd ratio de vtroque prædicabilis ſit prædicabilis de vno in ordine ad aliud, quod profecto non contingit in illa ratione, quæ eſt omnino eadem in omnibus, de quibus eſt prædicabilis. Ita ratio animalis, quæ eſt omnino eadem in omnibus animalibus, non prædicatur de vno in ordine ad aliud.

QVAESTIO II.

Vtrum conceptus formalis vel obiectiuus nominis analogi ſit conceptus ſimpliciter vnus et perfectè præciſus ab omnibus analogis.

1 HÆc controuerſia de vnitate conceptus formalis, vel obiectiui in omnibus analogis multum conducit ad intelligendam naturam nominis analogi, ideò ſolet à philoſophis agitari in hoc tractatu de nominum analogia. Eadem controuerſia magna ex parte pendet ab ijs, quæ docuimus in tractatu de vniuerſalibus, vbi oſtenſum fuit nomen commune eſſe nomen, quod ſignificat vnum conceptum formalem, vel obiectiuum pluribus cõmunem, & ab eiſdem perfectè præciſum. Diſp. 4. qu. vlt. num. 27.

2. Sunt, qui opinantur philoſophandum eſſe in re præſenti de nomine analogo, ſicuti de no-

nomine vniuoco; quemadmodum enim ratio ſignificata per nomen vniuocum eſt vna ratio ſimpliciter vna, & perfectè præciſa ab omnibus inferioribus: ita ratio ſignificata per nomen analogum eſt ratio ſimpliciter vna, & perfectè præciſa ab omnibus inferioribus.

2 Iuxta hanc ſententiam, quam docent ex Thomiſtis Dominicus Sotus, & Iauellus; ex noſtris Franciſcus Suarius tomo primo metaphyſicæ diſp. 2. ſect 3. intellectus perfectè præſcindit vnam formalitatem ab omnibus analogatis, ſicuti perfectè præſcindit vnam formalitatem ab omnibus vniuocatis.

3 Argumenta, quæ ſuadent hanc ſententiã ſunt primo, quia nomen analogum non poteſt ſignificare plura formaliter, vt plura; ergo ſignificat plura formaliter vt vnum: ſed ſignificare plura formaliter vt vnum eſt formaliſſimè ſignificare vnam rationem perfectè præciſam ab omnibus inferioribus, ergo nomen analogum ſignificat vnam rationem perfectè præciſam à ſuis inferioribus. Antecedens probatur, quia nomen æquiuocum ſignificat plura formaliter, vt plura: ergo nomen analogum, quod differt ab æquiuoco non ſignificat plura formaliter, vt plura: tum quia nomen *Sanum*, quod eſt nomen analogum, non ſignificat plura formaliter, vt plura, vt patet, ergo.

4 Secundo: ratio, quæ formaliter non includit differentias, eſt perfectè præciſa ab omnibus inferioribus: ſed ratio ſignificata per

nomen analogum,non includit formaliter differentias: ergo ratio ſignificata per nomen analogum eſt perfectè præciſa ab omnibus inferioribus. Maior eſt certa, quia ratio ſignificata per hoc nomen *animal* eſt perfectè præciſa ab omnibus inferioribus, eo quòd non includit formaliter differentias animalium: minor probatur, quia ratio ſignificata per hoc nomen *ſanum* non includit formaliter differentias, quæ contrahunt eamdem rationem ad animal ſanũ ad medicinam ſanam, & ad pulſum ſanum, ergo &c.

5 Tertiò,non minus non apparent differenrentiæ in conceptu formali *Sani*, quam non apparent differentiæ in conceptu formali animalis, ſed conceptus formalis animalis non includit formaliter, neque determinate, neque indeterminatę ipſas differentias, ergo conceptus formalis *Sani* non includit formaliter determinatè, vel indeterminatè ipſas differentias, ergo conceptus formalis, vel obiectiuus qui ſignificatur per nomen analogum, eſt conceptus ſimpliciter vnus, & perfectè præciſus ab omnibus inferioribus. Ma: probatur, quia ſicuti intellectus cognito animali non cognoſcit formaliter animal rationale, vel animal irrationale, ita intellectus cognita illa ratione formali,vel obiectiua, quæ ſignificatur per hoc nomen *ſanum* non cognoſcit formaliter animal ſanum, vel medicinam ſanam.

6 Quarto

6. Quarto ſi ratio ſignificata per nomen analogum non eſt perfectè præciſa à ſuis inferioribus, eadem debet formaliter continere omnia analogata, ſed ratio ſignificata per nomen analogum non continet formaliter omnia analogata, ergo huiuſmodi ratio eſt perfectè præciſa ab omnibus inferioribus, Mi: probatur, quia non poteſt explicari ille modus, quo nomen analogum continet formaliter omnia analogata.

7. Quinto: ratio ſignificata per nomen analogum eſt ratio ſuperior omnibus analogatis: ſed ratio ſuperior omnibus analogatis eſt ratio perfectè præciſa ab omnibus analogaris, ergo ratio ſignificata per nomen analogum eſt ratio perfectè præciſa ab omnibus analogatis. Ma: probatur, tum quia præciſio eſt illa forma, quæ formaliter conſtituit vnum prædicatum logicè ſuperiùs alio prædicato, ita præciſio ab omnibus animalibus conſtituit formaliter prædicatū animalis ſuperiùs prædicato hominis, tum quia conceptus ſuperior eſt conceptus præciſus à conceptu inferiori.

8 Vltimo: ratio ſignificata per nomen analogum poteſt eſſe ratio intrinſecè, & formaliter prædicabilis de omnibus analogatis, vt patet ex quæſt. 1. num. 10. & 11. ergo ratio formalis ſignificata per nomen analogum poteſt eſſe perfectè præciſa ab omnibus analogatis. Conſequentia probatur, quia ratio formaliter, & intrinſecè prædicabilis de multis eſt perfectè vna,

& perfectè præciſa ab inferioribus: ſed ratio analoga poteſt eſſe intrinſecè, & formaliter prædicabilis de omnibus analogatis, ergo poteſt eſſe perfectè vna, & perfectè præciſa ab omnibus.

9 Alij opinantur conceptum formalem, vel obiectiuum, qui ſignificatur per nomen analogum, non eſſe præciſum ab inferioribus, adeoque non eſſe vnum in omnibus analogatis; cenſent enim hanc eſſe naturam nominis vniuoci, vt intellectus, qui concipit vnam rationem vniuocè prædicabilem de omnibus, præſcindat ab omnibus inferioribus, de quibus eadem ratio eſt prædicabilis. Ita ſentiunt Caietanus in opuſc. de nominum analogia, Gabriel Vaſquez in prima parte, Antonius Ruuius in tract. de nominum analogia. Quid ſit in hac controuerſia verè opinandum dicam in ſequentibus Concluſionibus, in quibus oſtendam, quomodo poſſint inter ſe componi iſtæ ſententiæ, quæ videntur viciſſim opponi.

10 Prima concluſio. Conceptus formalis, vel obiectiuus ſignificatus per nomen analogũ non eſt ſimpliciter vnus, nec perfectè præciſus ab omnibus inferioribus.

11. Ratio, quam tradit S. Thomas in prima parte quæſt. 13. art. 5. eſt ſatis manifeſta hoc argumento. Conceptus formalis, vel obiectiuus, qui ſignificatur per nomen analogum, non eſt omninò idem in omnibus analogatis, ſed conceptus, qui non eſt omninò idem in omnibus

ana-

analogatis, non eſt conceptus ſimpliciter vnus, nec perfectè præciſus ab omnibus analogatis; ergo conceptus formalis, vel obiectiuus, quem ſignificat nomen analogum, non eſt conceptus ſimpliciter vnus, nec perfectè præciſus. Ma. conſtat ex natura nominis analogi, hoc enim eatenùs differt à nomine vniuoco, quatenùs ratio ſignificata per nomen analogum non eſt omninò eadem in omnibus analogatis, ſicuti ratio ſignificata per nomen vniuocum eſt omninò eadem in omnibus vniuocatis. Mi: probatur, quia idem formaliſſimè eſt vnam rationem eſſe perfectè præciſam, & eſſe eamdem in pluribus realiter diſtinctis, hæc enim eſt natura præciſionis perfectæ, vt ea, quæ ſunt realiter diſtincta, cognoſcantur formaliter indiſtinctè, adeoque cognoſcantur conuenire in vna, & eadem ratione. Hinc eſt, quòd intellectus, qui cognoſcit vnam rationem animalis eamdem in omnibus animalibus, perfectè præſcindit ab omnibus differentijs, quæ contrahunt rationem formalem animalis ad varias animalium ſpecies. Ratio à priori eſt, quia identitas, & vnitas ſunt termini conuertibiles, vt oſtenſum eſt diſput. 3. quæſt. 1. num. 5. & 6. ſumma igitur vnitas, & ſumma identitas inter ſe reciprocantur, adeoque vbi datur ſumma identitas, ibi etiam datur ſumma vnitas: illa igitur ratio, quæ eſt omninò eadem in ſenſu formali in pluribus, de quibus prædicatur, eſt etiam ſummè vna in ſenſu formali, adeoque illa ratio, quæ

non eſt omninò eadem, neque eſt ſimpliciter vna; quia verò ratio ſimpliciter vna eſt ratio perfectè præciſa, ideò ratio, quæ non eſt ſimpliciter vna, neque eſt perfectè præciſa; perfecta enim præciſio eſt cauſa, cur aliqua ratio ſit perfectè, & ſimpliciter vna. Ex quo diſcurſu efficitur, conceptum formalem, vel obiectiuum, qui ſignificatur per nomen analogum, non eſſe conceptum ſimpliciter vnum, nec perfectè præciſum ab omnibus inferioribus. Hinc conſtat diſcrimen inter nomen analogum, & nomen vniuocum, intellectus enim dum cognoſcit vnã rationem vniuocè prædicabilem de inferioribus debet præſcindere perfectè ab omnibus inferioribus, adeoque debet ita confundere omnia, inferiora, vt nullo modo cognoſcat formaliter ipſa inferiora: è contrario quando cognoſcit vnam rationem analogicè prædicabilem de inferioribus, non debet perfectè præſcindere ab inferioribus, ſi enim perfectè præſcinderet, abſtraheret ab inferioribus vnam rationem formalem, non analogicè, ſed vniuocè prædicabilem.

12 Secunda Concluſio. Conceptus formalis, vel obiectiuus, qui ſignificatur per nomen analogum, non eſt conceptus perfectè multiplex, & perfectè diuerſus.

13 Ratio huius ſententiæ demonſtratur ex doctrina S. Thomæ eodem fermè argumento. Illa ratio, quæ non eſt omninò diuerſa in rebus, de quibus prædicatur, non eſt perfectè multi-

plex

plex, neque perfectè diuerſa; ſed ratio ſignificata per nomen analogum non eſt omninò diuerſa in omnibus analogatis; ergo ratio ſignificata per nomen analogum non eſt ratio perfectè multiplex, nec perfectè diuerſa. Mi: eſt certa, quia nomen analogum eſt valde diuerſum à nomine æquiuoco, ſicuti ergo ratio ſignificata per nomen æquiuocum eſt omninò diuerſa in omnibus, quæ tali nomine appellantur; ita ratio ſignificata per nomen analogum non debet eſſe omninò diuerſa in omnibus analogatis. Ma: etiam eſt manifeſta ex doctrina huc vſque tradita, quia ſicuti omnimoda identitas. (ſermo eſt de identitate in ſenſu formali, quæ eſt identitas alicuius rationis formalis de pluribus prædicabilis) eſt argumentum ſummæ vnitatis, ità diuerſitas rationis formalis eſt argumentum multitudinis, & diſtinctionis in eiſdem rationibus formalibus, adeoque illa ratio, quæ non eſt omninò diuerſa in pluribus, non eſt ratio perfectè multiplex, nec perfectè diuerſa.

14 Hinc patet, quid interſit inter nomen analogum, & nomen æquiuocum; ratio enim ſignificata per nomen æquiuocum eſt omninò diuerſa in rebus hoc nomine appellatis, ratio verò ſignificata per nomen analogum non eſt omninò diuerſa in omnibus analogatis, quæ tali nomine appellantur. Hinc eſt, quòd hoc nomen *canis* non ſignificat vnam rationem perfectè, vel imperfectè præciſam à cane maritimo, & terreſtri, quia ratio formalis canis ma-

ritimi eſt omninò diuerſa à ratione formali canis terreſtris: Intellectus igitur, quando concipit canem maritimum, & canem terreſtrem ſub vnico nomine canis, habet plures conceptus formaliter diuerſos, quorum vnus repræſentat canem maritimum, alius repræſentat canem tereſtrem, adeoque non confundit vtrũque canem in vna ratione communi, quæ ſit perfectè, vel imperfectè eadem in vtroque: è contrario dum concipit medicinam ſanam, & animal ſanum, eadem cognoſcit ſub vna ratione formali, quæ neque eſt omninò eadem, neque omnino diuerſa in animali, & medicina, adeoque præſcindit aliquo pacto ab animali, & medicina vnam rationem formalem prædicabilem aliquo pacto de animali, & medicina.

15 **Tertia Concluſio. Ratio formalis, vel obiectiua, quæ ſignificatur per nomen analogum eſt ſecundum quid vna, & imperfectè præciſa ab omnibus inferioribus. Hanc ſententiam docet expreſsè S. Thomas, qui nullam aliam agnoſcit diuerſitatem inter nomen analogum, & nomen vniuocum, niſi illam, quæ naſcitur ex præciſione perfecta, quæ inuenitur in vniuoco, & imperfecta, quæ reperitur in analogo. Idem ſentiunt ex mente S. Thomæ Ruuius, & Caietanus loco citato.**

16 Hæc ſententia facilè demonſtratur ex prima, & ſecunda concluſione, quia ratio, quæ neque eſt formaliter vna, neque eſt formaliter multi-

multiplex, eſt ratio ſecundum quid vna, ſed ratio ſignificata per aomen analogum non eſt ratio formaliter vna, vt demonſtratum fuit in prima concluſione, neque eſt formaliter multiplex, vt demonſtratum fuit in ſecunda, ergo eſt ratio ſecundum quid vna. Addo, quòd illa ratio, quæ neque eſt omninò eadem, neque omninò diuerſa in pluribus, eſt ratio ſecundum quid vna, ratio enim omninò eadem eſt ſimpliciter vna, & ratio omninò diuerſa eſt ſimpliciter multiplex: ſed ratio ſignificata per nomen analogum, neque eſt omninò eadem, neque omninò diuerſa in omnibus analogatis, ergo huiuſmodi ratio eſt ratio ſecundum quid vna. Quòd ſi petas, quid ſit ratio ſecundum quid vna, dico eſſe illam rationem, quæ ita eſt prædicabilis de pluribus, vt de vno ſit prædicabilis in ordine ad aliud: in huiuſmodi enim ratione relucent aliquo modo differentiæ, quæ non relucent in ratione de omnibus eodẽ modo prędicabili, adeoque in ratione, quæ eſt ſimpliciter vna. Indè eſt, rationem ſani eſſe rationem ſecundùm quid vnam, rationem verò animalis eſſe rationem ſimpliciter vnam, quia ratio Sani eſt prædicabilis de medicina in ordine ad animal, ratio verò animalis non eſt prædicabilis de equo in ordine ad hominem.

17 Quia verò ratio ſecundùm quid vna, eſt ratio imperfectè præciſa ab omnibus infe-

rio-

tioribus, ideò conceptus formalis, vel obiectiuus nominis analogi eſt conceptus imperfectè præciſus ab omnibus analogatis, atque adeò requiritur imperfecta præciſio ad abſtrahendam ab omnibus analogatis vnam rationē communem, & logicè ſuperiorem. Quòd autem illa ratio, quę eſt ſecundùm quid vna in omnibus, ſit ratio imperfectè præciſa, eſt ſatis manifeſtum, quia ex vna parte opus eſt aliqua præciſione ad abſtrahendam vnam rationem aliquo modo vnam, hoc eſt ſecundùm quid vnam, à pluribus realiter diſtinctis. Ex alia parte non opus eſt ad hoc munus præſtandum præciſione perfecta, quæ ibi tantùm eſt neceſſaria, vbi debet abſtrahi à pluribus realiter diſtinctis vna ratio ſimpliciter vna, neceſſe eſt igitur illam rationem, quæ eſt ſecundùm quid vna, eſſe imperfectè præciſam ab omnibus, de quibus prædicatur.

18. Ex ijs, quæ huc vſque docuimus, ſatis conſtat quomodò intellectus procedat, dum à pluribus realiter diſtinctis abſtrahit vnam rationem prædicabilem de ipſis vniuocè, vel analogicè: cum abſtrahit vnam rationem prædicabilem vniuocè, omnia perfectè confundit, neque cognoſcit in ſenſu formali differentiam, quæ intercedit inter vnam & aliam rem, non cognoſcit inquam determinatè vel indeterminatè, quià perfectè præſcindit, adeòque conſtituit naturam vniuerſalem, quæ eſt natura perfectè præciſa ab omnibus ſingularibus, vt demon-

ſtra-

ſtratum eſt in diſput.4. quæſt.vlt. num.7. Cùm verò abſtrahit vnam rationem analogicè prædicabilem de pluribus, confundit imperfectè plura, quià cognoſcit formaliter indeterminatè differentiam, quæ eſt inter vnum & aliud, licet determinatè non cognoſcat eamdem differentiam, ſi enim determinatè cognoſceret, nullo modo præſcinderet. Ità qui cognoſcit aliquod animal, cognoſcit indeterminatè differentiam vnius animalis ab alio, qui verò cognoſcit animal rationale cognoſcit determinatè differentiam vnius animalis ab alio, adeòque iſte nec perfectè, nec imperfectè præſcindit, ille verò imperfectè præſcindit, licet perfectè non præſcindat: vnde patet quid ſit dicendum ad argumenta partis contrariæ.

19. Ad primum: diſt. Antec. nomen analogum non poteſt ſignificare perfectè plura vt plura: concedo antecedens: non poteſt ſignificare imperfectè plura vt plura: nego antecedens & diſtinguo conſequens: ergo ſignificat plura vt vnum ſimpliciter & perfectè: nego conſequentiam: vt vnum ſecundùm quid, & imperfectè: concedo conſequentiam: Ex doctrina huc vſque tradita ſatis conſtat, vnde differat analogum ab æquiuoco, hoc enim non ſignificat vnam rationem perfectè vel imperfectè abſtractam ab omnibus inferioribus, illud verò ſignificat vnam rationem imperfectè abſtractam ab omnibus inferioribus. Hinc eſt, rationem ſignificatam per nomen æquiuocum

cum eſſe omninò diuerſam in omnibus, rationem verò ſignificatam per nomen analogum eſſe partim eamdem, & partim diuerſam, vt ſatis conſtat ex hoc nomine *ſanum*. Ratio enim ſignificata per hoc nomen eſt partim eadem & partim diuerſa in omnibus, quæ denominantur ſana, adeòque hoc nomen ſignificat plura vt plura imperfectè, licet non ſignificet plura vt plura perfectè, ſicuti ſignificat nomen *Canis*.

20. Ad ſecundum diſt. maior. ratio, quæ formaliter non includit neque determinatè neque indeterminatè differentias, eſt perfectè præciſa: concedo ma; ratio, quæ nō includit tantùm determinatè: nego ma. & diſt. min. ſed ratio ſignificata per nomen analogum non includit determinatè differentias; concedo minor: non includit indeterminatè: nego minor. & conſequentiam. Ratio ſignificata per nomen analogum includit indeterminatè differentias quæ contrahunt rationem de omnibus analogicè prædicabilem, quià cum talis ratio ſit prædicabilis de vno in ordine ad aliud, neceſſe eſt vt intellectus, qui abſtrahit hanc rationem ab omnibus inferioribus, cognoſcat in actu exercito ordinem vnius ad aliud, adeòque cognoſcat in actu exercito differentias, quæ inueniuntur inter vnum analogatum, & aliud analogatum. Ratio à priori eſt, quià diuerſimodè intellectus abſtrahit ab inferioribus vnam rationem vniuocam, ac vnam rationem analogicam, alioquin

nullum

nullum eſſet diſcrimen inter rationem vniuocè prædicabilem, & rationem analogice prædicabilem: quando ergo abſtrahit vnam rationem vniuocam, non cognoſcit differentias determinatè vel indeterminatè, adeòque præſcindit perfectè, quandò verò abſtrahit vnam rationem analogam, cognoſcit indeterminatè ipſas differentias, adeòque non præſcindit perfectè.

21. Ad tertium: nego maior. quià in conceptu formali animalis neque determinatè neque indeterminatè apparent differentiæ contrahentes rationem formalem animalis; in conceptu verò ſani apparent indeterminatè differentiæ, quæ contrahunt rationem formalem *ſani*. Ratio autem, cur appareant differentiæ apparentia indeterminata in conceptu ſani, & non appareant in conceptu animalis, eſt duplex, vna à priori, & alia à poſteriori; Ratio à priori deſumitur ex natura præciſionis, quæ eſt diuerſa in præciſione animalis ab omnibus animalibus, & in præciſione ſani ab omnibus rebus ſanis. Ratio à poſteriori eſt, quià ſanum diuerſo modo prædicatur de omnibus inferioribus, quàm ratio animalis prædicatur de ſuis inferioribus: Animal enim non prædicatur de Equo in ordine ad hominem, ſicuti ſanum prædicatur de medicina in ordine ad hominem. Debet ab omnibus agnoſci aliquod diſcrimen inter conceptum formalem illius rationis, quæ eſt vniuocè prædicabilis, & ratio-

nem formalem quæ eſt prædicabilis analogice, alioquin nulla eſſet diuerſitas inter nomen analogum & nomen vniuocum: hoc diſcrimen conſiſtit in diuerſâ præciſione, quæ requiritur ad abſtrahendam rationem vniuocam & analogam, ad abſtrahendam enim rationem vniuocam requiritur præciſio perfecta, ad abſtrahendam verò rationem analogam ſatis eſt imperfecta.

22. Ad quartum; concedo mai. & diſt. minor. non continet formaliter determinatè: concedo min. indeterminatè; nego min. & conſequentiam. Ad explicandum modum, quo nomen analogum continet formaliter omnia analogata, debet explicari modus, quo terminus indeterminatus continet plura, quæ ſignificat. Hoc eſt diſcrimen inter terminum vniuerſalem, & terminum indeterminatum, quod terminus vniuerſalis non ſignificat formaliter plura, eſt enim perfectè præciſus ab omnibus ſingularibus terminus verò indeterminatus, quià non eſt perfectè præciſus ab omnibus ſingularibus, continet indeterminatè plura quæ indeterminatè ſignificat; eodem pacto nomen analogum continet indeterminatè omnia analogata, quià non præſcindit perfectè ab omnibus analogatis, ſicuti præſcindit perfectè nomen vniuocum ab omnibus inferioribus, quæ proindè non continentur neque determinatè, neque indeterminatè in ratione ab omnibus inferioribus abſtracta.

23. Ad

23. Ad quintum. diſt. maior. eſt ratio perfectè ſuperior nego maior. imperfectè ſuperior: concedo maior. & diſtincta eodem pacto min. nego conſequentiam. Ratio ſuperior eſt duplex, alià ſuperior perfectè; huiuſmodi eſt ratio ſignificata per nomen vniuocum, quià eſt ratio perfectè præciſa, & perfectè vniuerſalis, aliæ eſt ratio imperfectè ſuperior, quià eſt imperfectè præciſa ab omnibus inferioribus. Huiuſmodi eſt ratio ſignificata per nomen analogum, quià eſt imperfectè præciſa ab omnibus analogatis, ideò eſt diſpar ratio inter conceptum animalis, qui eſt ſuperior conceptu hominis, & conceptum ſani qui eſt ſuperior conceptu medicinæ ſanæ, ille enim eſt conceptus vniuocè ſuperior, iſte verò analogicè ſuperior. Hinc Caietanus ex doctrina S. Thomæ diſtinguit duplicem modum, quo intellectus præſcindit; vnum, quo ità præſcindit, vt cognoſcat vnum ſine alio, alium quo ità præſcindit, vt non cognoſcat modum quo ratio ſuperior eſt in inferioribus; primus modus præſcindendi, qui inuoluit præciſiònem perfectam, conſtituit vnam rationem perfectè ſuperiorem & perfectè præciſam ab omnibus inferioribus. Secundus modus præſcindendi non conſtituit vnam rationem perfectè præciſam, neque perfectè ſuperiorem, quià differentiæ quæ contrahunt rationem ſuperiorem hoc modo præciſam, non tàm ſunt differentiæ, quàm diuerſi modi, quibus eadem ratio ſuperior eſt in omnibus inferiori-

rioribus, vt docet eleganter Sanctus Thomas.

24. Ad vltimum: concedo antecedens & nego conſequentiam. Ratio enim intrinſeca pluribus poteſt eſſe de vno prædicabilis in ordine ad aliud, quod ſatis eſt ad tollendam vniuocationem,& ponendam analogiam, vt oſtenſum fuit in quæſt.1. & clariùs conſtabit ex ijs, quæ à nobis ſunt dicenda in Metaphyſica de analogia entis.

QVAESTIO III.

Quæ ſint, et quot ſint regulæ prædicamentales.

1. ARiſtoteles in eo tractatu, quem tradit de ante prædicamentis mentionem facit de aliquibus regulis, quæ vulgo ſolent à Dialecticis appellari regulæ prædicamentales, neceſſe habeo poſt earum rerum tractationem quæ ſpectant ad nominum analogiam pauca ſummatim attingere circa huiuſmodi leges, quæ pertinent ad notitiam omnium prædicamentorum, vt nihil ſit in præſenti deſiderandum de ijs, quæ cenſentur neceſſaria ad intelligendam Ariſtotelis logicam. Duo igitur in hac quæſtione opus eſt definire; primum circa naturam legis prædicamentalis; de qua poteſt eſſe dubiũ,quid ea eſſe debeat,& quid intellexerit Ariſtoteles nomine illius regulę,quam vocauit prædicamentalem, Alterum, quod debet

hic

hic definiri, eſt circa numernm huiuſmodi regularum: hinc enim pend nt ea, quæ cum eodem Ariſtotele ſunt à nobis de omnibus prædicamentis diſputanda.

2. Quod ad primum ſpectat ex ijs quæ debent in hac quæſtione definiri; dico ex mente Ariſtotelis, regulā prædicamentalem nihil aliud eſſe, quam modum quemdam ordinandi prædicata magis, vel minus vniuerſalia ſecundum debitam ſubiectionem, & prædicationem. Ratio eſt, quià cum nihil ſit in rerum natura (ſermo eſt de rebus finitis, & creatis, quæ ſolæ ſpectant ad decem Ariſtotelis categorias, vt deinceps dicam) cum nihil, inquam, ſit, à quo non poſſint beneficio præciſionis formalis abſtrahi plurima prædicata magis, vel minùs vniuerſalia, quæ habent communia cum pluribus rebus à ſe diſtinctis, neceſſe eſt inueniri aliquam certam regulam ordinandi huiuſmodi prædicata, ſicuti enim ex eo, quòd poteſt intellectus omnes res definire, quæ ſub ſcientiam cadunt neceſſe eſt eſſe aliquem modum definiendi, qui modus vocatur regula definitionis, ità ex eo quòd poſſunt plurima prædicata ab omnibus rebus abſtrahi magis, vel minùs vniuerſalia, neceſſe eſt aliquem modum exiſtere huiuſmodi prædicata ordinandi, qui modus vocatur regula prædicamentalis, eſt enim vtilis ad omnia prædicamenta conſtituenda & ordinanda. Quòd autem huiuſmodi modus ordinandi hæc prædicata, appellari debeat regula prædicamentalis,

eſt ſatis manifeſtum ex alijs regulis, quæ tradit dialectica circa ens intentionale, quod eſt ens definitum, diuiſum, & ſyllogizatum: vt oſtenſum fuit in diſputatione prima quæſt. 1. num.5. & 6. Quemadmodum ille modus, qui traditur circa rectam argumentationem, ſiue, quod eodem reuoluitur, circa ens rectè ſyllogizatum vocatur regula argumentandi, de qua agit Philoſophus in primo, & ſecundo lib. priorum; itâ ille modus, qui debet tradi circa ordinem obſeruandum in prædicatis magis, vel minùs vniuerſalibus, quæ intellectus abſtrahit ab omnibus rebus creatis, habet nomen legis prædicamentalis: quia eſt neceſſarius ad prædicamenta ordinanda. Hinc eſt, quòd hanc regulam debet tradere ſcientia intentionalis; nimirum dialectica, ad quam ſpectat cognoſcere ſecundas intentiones, & prædicata, quæ conueniunt rebus dependenter à cognitione præſcindente, & vniuerſalizante.

3. Hæc ſatis ſunt ad intelligentiam regulæ prædicamentalis; de qua mentionem facit Ariſtoteles in hoc tractatu de ante prædicamentis. Hanc regulam prædicamentalem in duas partitur idem Philoſophus, de prima agit in cap. 3. his verbis. *Quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcumque de eo, quod prædicatur dicentur, omnia etiam de ſubiecto dicentur, vt homo de homine quodam prædicatur, animal vero de homine, ergo & de quodam homine, animal prædicabitur: quidam enim homo, & homo eſt & animal.*

4. Huc

4. Huc vſque Ariſtoteles, vnde ſequitur primam regulam prædicamentalem (quod erat alterum huius quæſtionis inſtitutum) eſſe huiuſmodi. Quando vnum de aliquo prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque dicuntur de eo, quod prædicatur, dicuntur etiam de ſubiecto. Ad hanc regulam explicandam opus eſt videre, quid intelligat Ariſtoteles pro illo, quod de altero prædicatur, tanquam de ſubiecto: hinc enim pendet perfecta huius legis notitia. In qualibet prædicatione duo debent attendi, vt dictum eſt in prima parte ſummularum cap. 1. num. 2. Illud nimirum, quod prædicatur, & habet nomen prædicati; & illud de quo aliquid prædicatur, & habet nomen ſubiecti. Ad prædicationem formalem, quæ ſola attenditur à dialecticis, prædicatum debet eſſe terminus ſuperior, & ſubiectum terminus inferior, poſito, quòd iſti termini; quorum vnus de alio prædicatur, non ſunt mutuo conuertibiles. Hinc eſt, quòd prædicatum debet eſſe talis naturæ, vt inferatur ex ſubiecto, non verò, vt inferat ſubiectum, è contrario ſubiectum debet habere talem naturam, vt inferat prædicatum, non verò inferatur ex prædicato, quià terminus inferior, vt dictum eſt in ſummulis part. 1. cap. 7. num. 4. infertur non infert, terminus verò ſuperior infert, non infertur: ratio à priori, cur in prædicatione formali ex terminis non conuertibilibus prædicatum debeat eſſe terminus ſuperior, qui infertur, &

non infert, ſubiectum verò terminus inferior, qui infert, & non infertur, eſt manifeſta, quia omnis prædicatio æquiualenter continet conſequentiam vnius ex alio, nimirum prædicati ex ſubiecto, illud enim quod prædicatur, induit naturam conſequentis, & illud quod prędicatur, naturam antecedentis. Quemadmodum ergo conſequens infertur ex antecedenti, & illud non infert: antec: verò infert & infertur, ita prædicatum non debet inferri ex ſubiecto, ſubiectum verò debet inferre prædicatum.

5. Explicato, quid intelligatur nomine illius quod de ſubiecto dicitur, facile eſt intelligere hanc primam regulam prædicamentalem ab Ariſtotele traditam: quia quidquid prædicaur de termino ſuperiori, ſiue de ipſo conſequenti, debet prædicari de termino inferiori, ſiuè de ipſo antecedenti: quidquid enim inuenitur formaliter in genere, debet formaliter inueniri in ſpecie. Ratio à priori eſt, quià non poteſt eſſe conſequens falſum, & antecedens verum, vt oſtenſum fuit in Summulis part. 3. cap 3. numer. 2. quidquid ergo ſequitur ex conſequenti, ſequitur etiam ex antecedenti; ſi enim aliquid ſequeretur ex conſequenti, quòd non ſequitur ex antecedenti, conſequens eſſet verũ, & antecedens falſum, quod repugnat. Quia verò id, quod eſt ſubiectum in prædicatione formali, habet naturam antecedentis, & id, quod eſt prædicatum, naturam conſequentis, ideò quidquid dicitur de prædicato, dicitur

etiam

etiam de ſubiecto. Inde eſt, quòd animal dicitur de Petro, quia dicitur de homine, qui de Petro prædicatur.

6. Huic doctrinæ non poteſt opponi, niſi prædicatum generis, vel ſpeciei, quod dicitur verè de prædicato, & non dicitur verè de ſubiecto in hac duplici propoſitione *homo eſt animal: Petrus eſt homo*; quia animal denominatur genus, etiam ſi homo non ſit genus. Hæc difficultas facilè ſoluitur ex ijs, quæ docuimus de prædicatis primæ intentionis, & ſecundæ intentionis, quià prædicata primæ intentionis, quæ verè dicuntur de prædicato, ſiue de termino ſuperiori, debent verè dici de ſubiecto, ſiue de termino inferiori, ſunt enim prædicata realia, & rebus intrinſeca: è contrariò prædicata ſecundæ intentionis, quià non ſunt realia, nec rebus intrinſeca, non debent verè dici de ſubiecto, etiam ſi verè dicantur de prædicato. Huiuſmodi prædicata ſunt eſſe genus & ſpeciem, vtſatis conſtat: argumentum igitur eſt nullum. Ex hac itaque doctrina conſtat, eſſe veriſſimam hanc regulam, quam de prædicamentis tradidit Ariſtoteles, eamque eſſe neceſſariam àd ordinanda ea prædicata, quæ ponuntur in linea prædicamentali.

7. Alteram regulam tradit idem Philoſophus in cap. 4. his verbis; *diuerſorum generum, non ſubalternatim poſitorum differētiæ ſunt diuerſæ ſpecie vt animalis & ſanitatis, animalis enim differentiæ ſunt volatilæ, & aquatile, ſcientiæ verò ni-*

hil eorum eſt: neque enim ſcientia à ſcientia differt in eo quod volatilis eſt. Subalternorum verò generum nihil prohibet eaſdem eſſe differentias, ſuperiora enim de his, quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicantur.

8. Ex his verbis Ariſtotelis conſtat, quid ſit ſecunda regula prædicamentalis, quæ eſt vtilis ad cognoſcendas differentias, quæ debent contrahere prædicata ſuperiora & vniuerſalia, ex quibus componitur prædicamentum: ad eiuſdem regulæ intelligentiam neceſſe eſt paucis exponere, quæ ſpectant ad genera ſubalternatim poſita, & genera non ſubalternatim poſita; de vtriſque enim loquitur promiſcue ibidem Philoſophus.

9. Sciendum igitur genera, quæ ſunt prædicata vniuerſalia & abſtracta à prædicatis ſpecificis, alia eſſe, quæ ſunt talis naturæ vt vnum ab altero contradiſtinguatur; alia verò talis naturæ, vt vnum ab altero non contradiſtinguatur. Quid autem ſit vnum genus ab altero non contradiſtingui, vel contradiſtingui, opus eſt altioris indaginis, quod in præſenti breuiſſimè complectar. Genera contradiſtincta ea ſunt, quorum vnum non includit aliud; neque inter ſe ità comparantur, ſicuti excedens & exceſſum. Genera non contradiſtincta ſunt illa, quorum vnum includit aliud, vel inter ſe comparantur, ſicuti excedens & exceſſum. Genera contradiſtincta ſunt genus ſcientiæ, & genus animalis, quia neque genus ſcientiæ includit

in

in ſe genus animalis, neque genus animalis includit genus ſcientiæ, vt eſt omnibus manifeſtum. Præterea huiuſmodi genera inter ſe non comparantur, ſicuti ſolent comparari excedens & exceſſum, quemadmodum enim nulla eſt ſcientia, quæ contineat in ſe rationem formalem animalis, ità nullum eſt animal quod in ſe contineat rationem formalem ſcientiæ: adeoque ſcientia non ſe habet ad animal, ſicuti excedens ad exceſſum, quia ſicuti ex nullo capite excedit genus animalis, ità ex nullo exceditur. Huiuſmodi genera vocantur genera non ſubalternatim poſita iuxta phraſim Philoſophi.

10. Genera non contradiſtincta, quæ nimirũ ſunt talis naturæ, vt vnum alterũ includat, ſunt huiuſmodi, nimirũ genus animalis, & genus viuentis: quia ratio animalis includit formaliſſimè rationem viuentis; etiam ſi ratio viuentis non includat formaliter rationem animalis, vt eſt perſpicuum. Genera non contradiſtincta, quæ ſunt talis naturæ, vt inter ſe comparentur, tanquam excedens & exceſſum, ſunt genus animalis & genus entis intellectualis, ſicuti enim in genere animalis datur aliquod animal, quod habet facultatem intelligendi, nimirum animal ratione præditũ; ità in genere entis intellectualis datur aliquod intellectuale, quod habet vires ſentiendi. Huiuſmodi genera appellantur à Philoſopho genera ſubalternatim poſita.

11. Illæ igitur differentiæ, quæ contrahunt genera non ſubalternatim poſita, ſunt ſpecie di-

uerſæ,vt manifeſtū eſt in differentijs contrahentibus genus animalis , & genus ſcientiæ , quia cum huiuſmodi genera non ſint talis naturæ,vt vnum alterum includat, neceſſe eſt contrahi per differentias diuerſas . E contrariò poſſunt eſſe eædem differentiæ , quæ contrahunt genera ſubalternatim poſita,vt patet in differentijs, quæ contrahunt genuus viuentis & in differentijs , quæ contrahunt genus animalis, eadem enim differentia, quę contrahit genus viuentis, contrahit etiam genus animalis . Hinc nullum poteſt eſſe animal , quod formaliter non includat illa prędicata,quę ſpectant ad vnam ex differentijs contrahentibus genus viuentis .

12. Ex hac doctrina , quę eſt ſatis certa optimè conſtat, quare hæc regula prędicamentalis debuerit ab Ariſtotele tradi in ante prædicamentis . Ratio eſt , quia prædicamenta non poſſunt ordinari, niſi cognoſcantur differentiæ, quæ debent contrahere prædicata ſuperiora & generica , ſed ad cognoſcendas iſtas differentias eſt valdè vtilis, immò & neceſſaria huiuſmodi regula , ergo fuit neceſſarium hanc regulam tradi ad habendam notitiam omnium prædicamentorum .

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACUMBAS

DIS-

DISPVTATIO NONA.

De diuiſione entis in decem prędicamenta.

AGgredimur alteram partem eius libri, quem Ariſtoteles ſcripſit de prædicamentis ſiuè categorijs, eo quòd ibi totus eſt Philoſophus in rebus omnibus ordinandis,& rectè cognoſcendis in ordine ad ens rectè cognitum; neque enim iudicandus eſt Ariſtoteles temerè, & inconſultò de rebus in logica egiſſe, quia cum nullum aliud obiectum logicæ recognoſcat, quam ens cognitum, ſiue ens rationis logicum,vt nos cum ipſo docuimus diſp. 1. qu.1. num. 10. iure meritò debuit de rebus,quæ ſunt obiectum materialé logicæ agere in ordine ad conceptus, ſiue cognitiones,quæ tanquam formalogica conſtituunt ens cognitum.Videantur hac ſuper re commentaria Cardinalis Toleti in hunc Ariſtotel s librum, hanc enim rationem egregiè tradit, propter quam debuit Philoſophus de rebus omnibus agere in logica.

QVAESTIO I.

Quid ſit, & quotuplex ſit prędicamentum.

1. PRædicamentum, de quo in præſenti ſermo eſt, nihil aliud eſt, quàm ordinata ſeries prædicatorum eſſentialium ſecundum debitam ſubiectionem & prædicationem: dicitur ſeries ordinata, quia prædicamentum formaliſſimè eſt aliquod totum logicum, quod componitur ex pluribus prædicatis eſſentialibus, quæ inter ſe itá comparantur, vt vnum ſit logicè ſuperius, & aliud logicè inferiùs. Quia verò in omni propoſitione formali & directá, quæ non conſtat ex terminis ſe mutuò inferentibus, prædicatum debet latiùs patere, quàm ſubiectum, ideò prædicata eſſentialia itá debent ordinari, vt in linea prædicamentali vltimum locum occupet indiuiduum, quod infert cætera prædicata ſuperiora, & á nullo infertur, primum verò locum habeat ſupremum genus, quod non infert aliud prædicatum vniuocè prædicabile, ſed á cæteris infertur: medium teneant locum ſpecies ſubalternæ, quæ reſpectu prædicati ſuperioris ſunt ſpecies ſubijcibilis, reſpectu inferioris ſunt genus. Id totum perſpicuè patet ex ſequenti figura, in qua ordinatè á ſupremo genere ſubſtantiæ per alia genera intermedia deſcendit intellectus ad cogno-

gnoſcendum vltimum prædicatum, quod de alijs non eſt prædicabile.

	Subſtantia.	
Corporea		Incorporea
	Corpus	
Animatum		Inanimatum
	Viuens.	
Senſibile		Inſenſibile
	Animal	
Rationale		Irrationale
	Homo	
Petreitas	Petrus	Pauleitas

3 In hac figura, vt optimè conſtat, vltimo loco ponitur Petrus, qui non eſt prædicabilis de alijs, & vocatur ab Ariſtotele prima ſubſtantia, quã definit hic cap. 1. eſſe illam, quæ neque de ſubiecto dicitur, neque eſt in ſubiecto: per vltima verba, *quę neque eſt in ſubiecto*, diſtinguitur prima ſubſtantia à quocumque accidente, quod eſt in ſubiecto per inhærentiam non actualem, ſed radicalem, vt dicam quæſt. 4. huius diſput. numer. 7. per verba antecedentia diſtinguitur prima ſubſtantia à ſecundis ſubſtantijs, quæ ab Ariſtotele vocantur ſpecies, & genera, ſiue prædicata vniuerſalia, in primis ſubſtantijs incluſa, & formaliter contenta. Hinc eſt, quòd prima ſubſtantia nimitum *Petrus* ponitur in prędicamento præcisè, vt ſubiectum, & ſecundæ ſubſtantiæ, quæ ſunt prædicata vniuerſalia, ponuntur in prædicamento tùm vt ſubiectum, tùm vt prædicatum, ita

ita *homo*, qui eſt ſpecis adeoque ſecunda ſubſtantia, ita ponitur in prædicamento, vt habeat ſub ſe aliquod prædicatum inferius, de quo poteſt prædicari, & ſupra ſe aliquod prædicatum ſuperius,quod de ipſo eſt prædicabile, ſed illa, quæ ita ponuntur in prædicamento,habent rationem ſubiecti reſpectu termini ſuperioris, & rationem prædicati reſpectu inferioris, ergo, &c.

4. Quòd autem bona ſit coordinatio ſubſtantiæ patet, quià ad rectam lineæ prædicamentalis coordinationem requiritur, vt in vltimo loco ponatur ille terminus, qui ſolum habet rationem ſubiecti, adeoque eſt omnium infimus: in ſupremo loco ponatur ille terminus, qui habet ſolum rationem prædicati, adeoque eſt terminus ſupremus; ſed in coordinatione ſubſtantiæ à nobis tradita ponitur in vltimo loco *Petrus*, qui non habet ſub ſe alium terminum inferiorem, de quo prædicari poſſit,in loco ſupremo ponitur ſubſtantia vt ſic, quæ ſupra ſe non habet aliquem terminum ſuperiorem,qui poſſit de ipſa vniuocè prædicari; ratio enim entis, quæ eſt prædicabilis de ſubſtantia, non prædicatur, niſi analogicè, vt docet Philoſophus, & nos cum ipſo in Metaphyſica, ergo coordinatio prædicamentalis, quod ad primum, & vltimum prædicatum ſpectat,eſt optima: quià verò ſupremum in quolibet genere eſt menſura cæterorum, quæ ſunt in illo genere, ideò conſtat bonitas, quæ inuenitur in or-

natio.

natione aliorum terminorum, qui ponuntur in prædicamento ſub termino ſupremo, & ſupra terminum infimum, illi enim termini, qui ſunt magis propinqui termino ſupremo, adeoque magis recedunt ab infimo; debent eſſe logicè ſuperiores alijs terminis, qui magis diſtant à primo, & minùs ab vltimo, vt patet in hoc prædicato *corpus* quod magis latè patet, quàm hoc prædicatum *viuens*.

5. Hinc colliges primò cum Ariſtotele ibidem primam ſubſtantiam eſſe maximè, & propriiſſimè ſubſtantiam. Ratio eſt, quià ſubſtantia dicitur à ſubſtando, vt dicemus fuſius qu. 3. huius diſp n.9. hoc eſt ſtando ſub: ergo quod maximè, & propriiſſimè ſubſtat, eſt maximè, & propriiſſimè ſubſtantia, ergo, &c. Antecedens ſubſumptum probatur: prima ſubſtantia eſt ſubiectum, & non prædicatum, quià de ea dicuntur omnia, quæ dicuntur de ſecundis ſubſtantijs: ita de Petro, de quo prædicatur homo, prædicatur etiam quid quid prædicatur de homine, & quià de homine prædicatur animal, de Petro etiam prędicatur animal, & ſic de alijs, prędicatis deueniendo vſq;ad genus ſupremum quod optimè prædicatur de Petro: prætereà nullum eſt accidens in ſecundis ſubſtantijs, quod non ſit in prima ſubſtantia, tanquam in ſubiecto, ita color qui eſt in homine, eſt etiam in aliqua prima ſubſtantia nimirum in Petro.

6. Colliges ſecundo deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſſe quòd remaneāt ſecūdę

ſub-

ſubſtantiæ, ratio eſt euidens, quià quid quid eſt præter primas ſubſtantias, vel eſt ſecunda ſubſtantia, vel accidens, ſed deſtructis primis ſubſtantijs deſtruitur ſecunda ſubſtantia, quæ nihil aliud formaliſſimè eſt quàm prædicatum vniuerſale, quod deſtructis ſingularibus neceſſe eſt deſtrui, vt alibi docuimus; prætereà impoſſibile eſt remanere accidẽtia tam ſingularia, quàm vniuerſalia, quia deſtructa ſubſtantia, quæ eſt ſubiectum accidentis, deſtruitur etiam accidens, ergo deſtructis primis ſubſtantijs nihil remanet.

7. Colliges tertiò, ſecundas ſubſtantias tanto magis accedere ad proprijſſimam rationem ſubſtantiæ, quanto magis appropinquant primę ſubſtantiæ, &. quià prædicata minus vniuerſalia ſunt magis propinqua primæ ſubſtantiæ, quàm prædicata magis vniuerſalia, ideò prædicata minùs vniuerſalia, quæ ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, ſunt magis propriè ſubſtantia, quàm prædicata magis vniuerſalia.

8. Tradita definitione prædicamenti, quod liquido conſtat eſſe formaliſſimè ens cognitum, quià eſt denominatio ſecundæ intentionis proueniens à noſtris cognitionibus, quæ diſtinguunt diſtinctione formali prædicata eſſentialia cuiuſcumque indiuidui, eaque inuicem ordinant ſecundum maiorem, & minorem vniuerſalitatem, reliquum eſt, vt oſtendamus numerum prædicamentorum, eo enim oſtenſo vnicui

cuique facile erit de qualibet re ſibi propoſita ſtatim definire, ad quam categoricam ſiue prædicamentum pertineat.

9. Diuidit ibidem Ariſtoteles ens vniuerſaliſſimè acceptum, quod dicitur de rebus etiam non exiſtentibus, hoc eſt poſſibilibus, & impoſſibilibus, quæ poſſunt ab intellectu concipi, vt dicam in Metaphyſica, dum ibi erit ſermo de ente impoſſibili: in decem prædicamenta; ſiue in decem claſſes rerum, in quibus aliquo modo continentur omnia intelligibilia, vno excepto Deo, qui non continetur ſub vllo genere, quià eſt ſupra quodlibet genus. Huiuſmodi ſunt Subſtantia quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, vbi, duratio, ſitus, & habitus.

10 Nominė ſubſtantiæ, quæ conſtituit primum prædicamentum ſignificatur id quod per ſe exiſtit, prout contra diſtinguitur ab omni, eo quod eſt in alio, & vocatur accidens: de hac vberius diſputabimus quęſt. 2. & 3. cętera nouem prædicamenta ſunt accidentia, quæ inhęrent ſubſtantię, eique tribuunt varias denominationes eo modo, quo forma dènominat ſubiectum, in quo eſt, vt dicam qu. 5. art. 6.

11 Quantitas eſt accidens, quod reddit corpus impenetrabilis cum alio corpore, & reperitur in omnibus rebus materialibus, quæ non poſſunt naturaliter eſſe in eodem loco.

12. Qualitas ſignificat id quo aliquid dicitur quale, ità albedo eſt qualitas quià denominat

minat ſubiectum album. In hac categoria inueniuntur omnes primæ qualitates, nimirum calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, & alia accidentia, quæ ex primis permiſtis naſcuntur.

13. Relatio eſt ordo, ſiue reſpectus vnius ad aliud, ità reſpectus, qui eſt inter patrem, & filium, & inter duos parietes albos vocatur relatio paternitatis, & filiationis. Actio eſt id, quo agens agit, & paſsio eſt id, quo paſſum patitur: ita quando ignis calefacit manum, ignis qui eſt agens agit media actione, & manus, quæ eſt paſſum, patitur media paſsione.

14 Vbi, ſiue vbicatio ſignificat exiſtentiam rei in loco, quæ mutatur quoties res ab vno loco tranſit ad alium.

15. Duratio ſignificat exiſtentiam rei in tempore, quæ mutatur, & fluit fluente tempore, in quo res exiſtit.

16. Situs ſignificat diſpoſitionem corporis in ordine ad locum, vt patet in homine ſedente, iacente, & ſtante, qui vtique habet diuerſum ſitum, dum ſedet, ac dum iacet.

17. Habitus ſignificat indumenta quibus induimur. Hanc diuiſionem qua diuiditur ens in decem prædicamenta dicitur Ariſtoteles accepiſſe ab Archita Tarentino, eamque ſecuti ſunt S. Auguſtinus in lib. 10. categorrarum, & S. Thom. in tertio phyſicorum, & in quarto Metaphyſicorum, alijque Philoſophi.

18. Ratio cur prædicta diuiſio ſit optima trà-

traditur ibidem à S. Thoma, quià eodem modo philoſophandum eſt de diuiſione entis in decem prædicamenta, ac de diuiſione termini ſuperioris qui eſt Analogus, in analogata inferiora cum ex mente Ariſtotelis, & S. Thomæ ens ſit analogum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis: id autem eſt diſcrimen inter diuiſionem termini vniuoci, & analogi, quòd vniuocus diuiditur in varias ſpecies, quæ per hoc formaliſſimè conſtituuntur, quod eidem rationi genericæ adduntur variæ differentiæ non continentes formaliter ipſam rationem generis, terminus verò analogus diuiditur per diuerſos modos, quibus diuerſimodè prædicatur de ſuis inferioribus: ita animal, quod eſt vniuocum diuiditur in varias animalium ſpecies per hoc, quòd eidem rationi animalis adduntur variæ differentiæ, nimirum hinnibilitas, & rationalitas: ſanum verò, quod eſt analogum diuiditur in hominem ſanum, medicinam ſanam, & cibum ſanum iuxta varios modos quibus aliquid dicitur ſanum. Inde eſt, quòd res diuidi debet per diuerſos modos, quibus res dicuntur eſſe, adeoque tot debent enumerari prædicamenta, in quæ diuiditur ens, quot ſunt modi diuerſi, quibus res dicuntur eſſe; ſed huiuſmodi ſunt decem, quià de prima ſubſtantia, quæ eſt indiuiduum, & eſt primum fundamentum omniũ prædicationum, vel prædicatur aliquid eiuſdem conſtitutiuum, vel non; ſi prædicatur aliquid conſtitutiuum, pertinet ad prædicamen-

tum ſubſtantię; ſi non prędicatur aliquid eius conſtitutiuum, prędicatur vt aliquid accidentale denominans intrinſecè,vel extrinſecè ipſam ſubſtantiam,adeoq;pertinet ad aliquod ex nouē ſequentibus prędicamentis, quę prędicantur eo genere prędicationis, quo accidensabſolutum, vel relatiuū prędicatur de ſubſtantia,quam aliquo modo afficit, atque denominat.

19. Hinc colliges primo: principale analogatum in his decem prędicamentis, de quibus prędicatur ratio entis, eſſe ſubſtantiam: ratio eſt, quia illud eſt principale analogatum, in ordine ad quod definiuntur cætera analogata, ſed nouem prędicamenta definiuntur in ordine ad ſubſtantiam, ergo ſubſtantia eſt principale analogatum. Minor probatur, quia nouem prędicamenta continent accidens, quod ſemper definitur in ordine ad ſubſtantiam,quia eſt entis ens.

20. Colliges 2. modum quo debent ordinari cætera prædicamenta,deſumendum eſſe ex modo,quo fuit à nobis ordinatum prędicamentum ſubſtantiæ: ſicuti enim ad coordinandam ſubſtantiam fuit poſitum vltimo loco prędicatum infimum, & ſingulare, in primo ſupremū, & vniuerſaliſsimum, inter ſummum, & infimum prædicata magis, vel minus vniuerſalia, ità in prędicamento qualitatis debet habere vltimum locum hæc numero albedo, deinde albedo, quæ eſt ratio ſpecifica prædicabilis de omni albedine, & ſic de alijs prædicatis, do-

nec

nec perueniatur ad prædicatum ſupremum, & vniuerſaliſſimum prædicabile de omni qualitate.

21. Obijc. primò: ſubſtantia vt ſic non eſt ſupremum genus prædicabile de prima ſubſtantia, ergo non debet tenere primum locum in prædicamento ſubſtantiæ. Antpatet, tùm quià ſubſtātia vt ſic præſcindit à materiali, & immateriali, quæ tamen nō ſunt in eodē genere, eo quod non conueniunt in eodem genere materialitatis; tùm quià ratio ſubſtantiæ non eſt vniuoca eo quod eius differentiæ eam formaliter includunt, ergo &c.

22. Reſp. nego antecedens: ad eius probationem dico ſub genere ſubſtantiæ contineri omnes ſubſtantias creatas, & finitas tam materiales, quàm immateriales: neque obſtat eas eſſe in diuerſo materialitatis genere, quià inde ſolum arguitur non eſse in eodem genere phyſico, vt ſupra demonſtratum eſt, cæterum ea quæ ſunt ſub diuerſo genere phyſico, vtique poſſunt eſſe ſub eodem genere logico, quià vt ſint ſub eodem genere logico, ſatis eſt ſi contineantur ſub aliquo genere phyſico: inde eſt, quòd ſub hoc genere logico ſubſtantiæ continentur omnes ſubſtantiæ creatæ, quæ ſpectant ad aliquod genus phyſicum: non continetur Deus, qui ratione ſuæ immaterialitatis in nullo genere eſt. Subſtantia, quæ eſt genus ſupremum in prædicamento, eſt ſubſtantia completa, eaque diuiditur per differentias,

quæ non ſunt formaliter ipſa ſubſtantia completa, ſed ſunt ſubſtantiæ incompletæ.

23. Obijc. ſecundo; dantur plurimæ res, quæ non continentur in aliquo prædicamento, ergo diuiſio entis in decem prædicamenta non complectitur omnia: antecedens probatur, quià differentiæ, quæ diuidunt ſubſtantiam ſunt aliquid, ſed non pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ, ergo &c.

24. Reſp. diſtinguo antecedens: quæ non continentur directè, vel indirectè, nego antecedens: directè: concedo antecedens, & nego conſequentiā duobus modis poteſt aliquid poni in prædicamēto, directè; & indirectè ità ponũtur differentiæ, quæ diuidunt genera, & conſtituunt ſpecies; in hoc ſenſu pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ eius differentiæ, quæ diuidunt ſubſtantiam, & conſtituunt corpus.

25. Obijc. tertio. Negationes rerum, quæ nihil aliud ſunt quàm carentia rerum, nec directè, nec indirectè ponuntur in prædicamento: idem dico de prædicatis chimæricis, quæ poteſt intellectus pro libito fingere: ergo falſum eſt, omnia pertinere ad aliquod prædicamentum.

26. Reſp. conc: antec: & diſt. conſeq: ergo falſum eſt, omnia pertinere formaliter ad aliquod prædicamentum: concedo conſequentiam formaliter, vel reductiuè; nego conſequentiam. Negationes, & prædicata chimærica ponuntur reductiuè in prædicamento, quiá reducuntur ad illud prædicamentum, adquod pertinent for-

mæ oppoſitæ, itá negatio hominis reducitur ad prædicamentum ſubſtantiæ; quia homo, quem excludit huiuſmodi negatio, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ: negatio lucis, ſiue tenebræ, pertinent reductiuè ad prædicamentum qualitatis, quià lux pertinet ad huiuſmodi prædicamentum: idem dico de homine chimærico, de hircoceruo, & ſimilibus. Hinc eſt nihil poſſe fingi in rerum natura, quod ſit cognoſcibile ab intellectu, & non contineatur in decem prædicamentis, vt clarius conſtabit, ex dicentis in ſequenti quæſtione.

QVAESTIO II.

Vtrùm diuiſio entis in decem prædicamenta ſit immediata, & adęquata.

1. QVid intelligendum ſit nomine prædicamenti, ſatis conſtat ex præterita quæſtione, vbi explicuimus celebrem illam in decem categorias partitionem, quam ab Archita Tarentino acceptam Ariſtoteles deinceps tradidit Auditoribus ſuis, eamque diligenter obſeruatam à cæteris Philoſophis vniuerſa ſchola Peripatetica tranſmiſit ad poſteritatem. De huiuſmodi categorijs mentionem facit in ſuis confeſſionibus S. Auguſtinus qui lib. 4. cap. 16. ingenuè fatetur ſe incidiſſe, cum annum ageret ferè vigeſimum, in categorias Ariſtotelicas, eas

quæ ſibi optimè fuiſſe perſpectas ſine alicuius præceptoris opera, qui Philoſophi mentem ſibi aperiret de rebus, quæ ab omnibus arduæ, ac ſpinoſæ cenſebantur. Hæc ſunt Auguſtini verba: *Et quid mihi proderat, quod annos natus ferme viginti cum in manus meas veniſſent Ariſtotelica quædam, quas appellant decem categorias quarum nomine cum eas Rhetor Carthaginenſis Magiſter meus buccis typho crepantibus commemoraret, & alij qui docti habebantur tanquam in neſcio quid magnum, & diuinum ſuſpenſus inhiabam, legi eas ſolus, & intellexi.*

2. Hucuſque Auguſtinus, ex quo licet intelligere, quantò in pretio ea fuerint ætate hæc decem prædicamenta, quæ ab Ariſtotele ad noſtra vſque tempora emanarunt. De modo, quo ſingula debent ordinari, nihil dicendum arbitror, præter ea, quæ ſunt dicta, cum egimus de prædicamento ſubſtantiæ qu. 1. num. 2. poteſt enim vnuſquiſque facile intelligere, quomodo ſint ordinanda cætera prædicamenta, quæ ſpectant ad quantitatem, qualitatem, relationem, & alia id genus. Opus eſt in præſenti diuiſionem entis in hæc decem prædicamenta pluribus argumentis confirmare, eſt enim apud aliquos Philoſophos dubium, & controuerſum, an hæc diuiſio ſit adæquata, & immediata.

3. Rationes dubitandi ſunt primo: ens, quod diuiditur in decem categorias, non eſt ens abſtractiſſimè acceptum, Deus enim, qui

con-

continetur in ratione abſtractiſſima entis, nullum habet locum in iſtis prædicamentis; hæc igitur diuiſio non eſt immediata: conſequentia eſt euidens, quià opus erat priùs diuidere ens abſtractiſſimè acceptum in ens increatum, ſiue ens à ſe, & in ens creatum, ſiue ens ab alio, deinde diuidere ens creatum in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem, quæ sũt diuerſi modi exiſtendi reſpectu entis creati.

4. Secundò; neque propoſitam difficultatem eludit, qui ait hanc eſſe diuiſionem entis contracti ad rationem entis creati, quæ ſola eſt ratio illius entis, quod poteſt intellectum creatum impellere ad ſcientiam parandam, quia diuiſio entis creati in ſubſtantiam, quantitatem, relationem, & alia prædicamenta non eſt immediata, priùs enim debuit diuidi ens creatum in ens per ſe, & ens in alio, deinde ens in alio in quantitatem, qualitatem &c. ergo diuiſio entis in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem &c. non eſt immediata.

5. Tertiò: diuiſio in partes, quarum vna includit aliam, non eſt adæquata; huiuſmodi eſt diuiſio entis in decem prædicamenta; ergo diuiſio entis in decem prædicamenta non eſt adæquata. Minor probatur, quia inter actionem, & paſſionem, non datur realis diſtinctio, vt enim ait Philoſophus, eadem eſt via, quæ ducit Thebis Athenas, & via quæ ducit Athenis Thebas, quod exemplum ſatis tritum ſignificat eamdem eſſe formam, quæ facit, vt

agens agat, & formam, quæ facit, vt paſſum patiatur, ergo actio includit paſſionem, & paſſio viceuerſa actionem, adeoque actio, & paſſio non conſtituunt duo prædicamenta diuerſa; prædicamenta igitur non ſunt decem, atque adeo hæc diuiſio non adæquat ipſum diuiſum.

6. Quarto: diſtinctio formalis inter actionē, & paſſionem non ſatis eſt, vt prædicamentum actionis ſit diuerſum à prædicamento paſſionis, non eſt igitur adæquata diuiſio ab Ariſtotele tradita. Antecedens probatur; tum quia diuerſitas vnius prædicamenti ab alio debet eſſe realis, vt ſatis conſtat ex cæteris prædicamentis, de quibus nulla eſt controuerſia, tum quia ſi diſtinctio formalis vnius rei ab alia ſatis eſt ad multiplicanda prædicamenta, non eſt cur non ponantur longè plura quam decem, ſunt enim plurima, quæ poſſunt formaliter diſtingui, ex iis, quæ ſpectant ad prædicamentum ſubſtantiæ, vt omnibus ſatis conſtat; vel igitur non ſufficit formalis diſtinctio, vel tradita diuiſio non eſt cenſenda adæquata. His tamen argumentis non obſtantibus.

7. Dicendum cum omnibus Peripateticis, & præſertim cum S. Thoma rationem entis diuidi adæquatè, & immediatè in decem enumerata prædicamenta.

8 Ratio, cur diuidatur immediatè eſt, quia licet ratio entis ſit ſuperior ratione entis creati, nihilominus illa ratiò, quæ hic diuiditur non

eſt

eſt ratio abſtractiſſimè accepta, ſed eſt ratio contracta, & limitata ad rationem entis creati, quę eſt ratio illius entis, de quo ſolum formantur omnia prædicamenta. Ratio autem à priori eſt, quia de illis tantum rebus formantur prædicamenta, quæ continentur ſub aliquo genere logico, ſed in genere logico non continentur niſi res creatæ, Deus enim ſiue ens increatum eſt ſupra quodlibet genus ob infinitam ſuam perfectionem, vt docet S. Thomas, & nos etiam docebimus ex eiuſdem doctrina in Metaphyſica: ſolæ igitur res creatæ debent in prædicamentis collocari, adeoque ratio entis, quæ in decem prædicamenta diuiditur, eſt ratio abſtractiſſima entis, non abſtractiſſimè accepti, ſed contracti ad ens creatum. Huiuſmodi ratio non debet diuidi in rationem entis per ſe, & rationem entis in alio, antequam diuidatur in varias ſpecies entis in alio, tùm quia ipſa ratio entis in alio non eſt perfectè præciſa ab omnibus accidentibus, vt conſtabit in quæſtione quinta huius diſputationis, tùm quia quantitas, qualitas, relatio, cæteraque prædicamenta diſtincta à prædicamento ſubſtantiæ ſunt diuerſi modi, quibus ens per ſe diuerſimodè denominatur. Subſtantia enim à quantitate denominatur impenetrabilis, à qualitate calida, frigida, &c. & à relatione relatiua: neceſſe igitur fuit poſt ſubſtantiam, quæ in hac diuiſione primum habet locum, ponere varios modos, quibus eadem ſubſtantia diuerſimodè denominatur: huiuſmo-

iuſmodi modi ſunt illæ formæ accidentales, quæ phyſicè, vel logicè inhærentes ſubſtantiæ eam denominant quantam, qualem, relatiuam, exiſtentem in loco &c. Hinc eſt diuiſionem entis in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem &c. eſſe immediatam, quod erat oſtendendum.

9. Ratio, quæ demonſtrat eamdem eſſe adæquatam, eſt, quia nihil poteſt in hac rerum creatarum vniuerſitate inueniri, quod ad aliquod ex decem prædicamentis non ſpectet, vt obiter demonſtratū fuit quæſtione prima.nu. 8. Diuiſio autem adæquata ibi inuenitur, vbi omnes partes, in quas aliquid diuiditur, toti diuiſo coæquantur: Qui ergo diuidit rationem abſtractiſſimam entis creati in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, cæteraque prædicamenta à nobis recenſita, diuidit totum in partes, quæ toti coæquantur, adeoque diuidit diuiſione adæquata. Vndè conſtat ad argumenta partis oppoſitæ.

10. Ad primum: Id, quod ibi arguens aſſumit, eſt apertè falſum, quia ratio, quæ diuiditur in decem categorias, non eſt ratio abſtractiſſima entis præſcindentis à creato, & increato; alioquin Deus eſſet in aliquo prædicamento collocandus, quod tamen repugnat communi omnium Patrum, ac Theologorum doctrinæ, vt dicam in quæſtione vltima. Ratio igitur, quæ diuiditur, eſt ratio abſtractiſſima entis creati, adeoque entis contracti ad illud peculiare ens, quod in prædicamētis collocatur.

11. Ad

11. Ad ſecundum, ratio accidentis licèt ſit ratio ſuperior cæteris prædicamentis à ſubſtantia diſtinctis, eſt analoga reſpectu inferiorum; vt conſtabit in quæſtione ſexta. Hinc eſt, quòd non debuit diuidi ratio entis priùs in ſubſtantiam, & accidens, quiâ cum diuerſa accidentia, quæ conſtituunt cætera prædicamenta, ſint formaliſſimè diuerſi modi, quibus ſubſtantia denominatur à diuerſis formis, quæ ſunt eiuſdem appendices, vt deinceps conſtabit; poſt illud prædicamentum, ad quod ſpectat ſubſtantia, illud nimirum, pro quo ſupponit omnis denominatio, neceſſe fuit ponere immediatè diuerſos modos, quibus eadem ſubſtantia à diuerſis formis ſibi diuerſimodè inhærentibus denominatur. Exemplum habes ſatis opportunum in ratione abſtractiſſima ſani, quæ diuiditur in animal ſanum, in medicinam ſanam, & cætera, quæ denominantur ſana, relatè ad ſanitatem animalis, cuius medicina eſt cauſa.

12 Ad tertium: ſatis eſt ad diſtinctionem, & diuerſitatem vnius prædicamenti ab alio diſtinctio formalis; non enim eſt neceſſaria diſtinctio realis inter ea, quæ ſpectant ad diuerſa prædicamenta, ſicuti ſatis eſt ad ſpecificam diuerſitatem vnius ſcientiæ ab alia formalis diſtinctio inter duas formalitates, quæ à diuerſis ſcientijs conſiderantur. Hinc eſt actionem, & paſſionem ſpectare ad duo prædicamenta, etiamſi inter actionem, & paſſionem inueniatur realis identitas, de qua in præſenti non diſputo, quia eſt

apud

apud omnes certum inter actionem, & paſſionem inueniri diſtinctionem ſaltem formalem.

13 Ad vltimum: diſtinctio formalis ſatis eſt ad diuerſitatem vnius prædicamenti ab alio, vt dictum eſt; non eſt tamen ſatis quælibet formalis diſtinctio, ſicuti vna ſcientia differt ab alia ob diſtinctionem formalem, quæ reperitur inter obiectum formale vnius, & obiectum formale alterius, & tamen quælibet diſtinctio formalis vnius formalitatis ab alia non eſt ſatis, vt vna ſcientia ab alia differat.

QVAESTIO III.

Quid ſit, & quotuplex ſit ſubſtantia, quæ ſpectat ad primum prædicamentum.

1. PRimum locum in illis prædicamentis ſibi vindicat ſubſtantia, quæ omnium prima enumeratur ordine, non ſolùm loci, ſed etiam dignitatis, eſt enim id, ad quod omnia referuntur, quæ in cæteris prædicamentis collocantur. De ſubſtantia, de qua ità omnibus conſtat, vt vix poſſit reperiri quid ſit magis notum, in tota philoſophia diſputabimus, erit nihilominus opportunum ea in præſenti ſummatim attingere, quæ pluribus diſputat Ariſtotiles tùm in Logica, tùm etiam in octauo Metaph. quod attinet ad formandam aliquam notionem ſubſtantiæ, cum præſertim ſit munus pro-

proprium dialecticæ definire quænam ſubſtantia in hoc prædicamento collocetur, & vtrum ratio abſtractiſſima ſubſtantiæ ſit genus vniuocè prædicabile de qualibet ſingulari ſubſtantia; Hinc enim pendet alia controuerſia hic decidenda de vniuerſalitate ſubſtantiæ.

2. Vt autem inueſtigemus conceptum ſubſtantiæ; neceſſe eſt paucis exponere celeberrimam eius partitionem, de qua aliquid diximus ex ipſius Philoſophi doctrina quæſtione prima. n 6. in primam,& ſecundam ſubſtantiam:huius partitionis fundamentum eſt in facultate,quam habet intellectus ſeparandi intentionaliter, & præciſiuè prædicata vniuerſalia à prædicatis indiuidualibus. Intellectus, cui repræſentatur certa, & ſingularis ſubſtantia, nimirum Petrus, non eſt contentus eam cognoſcere, ſed appetens infinita ſimul cognoſcere, hominem ab hoc homine præſcindit, & in eo ſpeculatur rationem hominis ab hoc homine formaliter abſtractam, & de omnibus, qui ſunt infiniti, promiſcuè prædicabilem. Hinc Petrum appellat primam;hominem verò ſecundam ſubſtantiam, cum enim ſit ſubſtantia id, quod repræſentatur conceptu tàm hominis, quàm Petri, ad vnum conceptum ab alio ſecernendum, quod repræſentat vnus conceptus, vocat primam ſubſtantiam, quod autem alter repræſentat, appellat ſecundam ſubſtantiam.

3. Hinc habes, hanc partitionem ibi locũ non habere, vbi non poteſt ab intellectu ſepa-

parari

rari ratio perfectè vniuerſalis, adeoque vniuocè prædicabilis de inferioribus; quæ duo reciprocantur. Quia verò relatè ad illam ſubſtantiam, quæ eſt prima, & ſumma ſubſtantia, eamque vocat vnam ſummam rem, ex doctrina Petri Lombardi Conc. Lateranenſe, Cap. Firmiter de ſumma Trinitate, non poteſt ab intellectu abſtrahi aliqua ratio communis vniuocè prædicabilis de ſubſtantia increata,& creata; Idcircò in diuina ſubſtantia non datur prima, & ſecunda ſubſtantia, ſed tantùm prima, quæ ob imperfectam ſimilitudinem cum cæteris ſubſtantijs creatis, poteſt ità cognoſci, vt ab ipſa abſtrahatur aliqua ratio prædicabilis analogicè de omnibus.

4. Ex hac ſubſtantiæ partitione deducit Philoſophus aliquas proprietates eidem congruentes, quarum aliæ ad primam tantum, aliæ ad vtramque ſpectant. Prima proprietas, quæ ſubſtantiam ab accidente diſcernit, & in primis perindè, ac ſecundis reperitur, eſt non eſſe in ſubiecto, quia non tantùm Petrus, qui eſt prima ſubſtantia, ſed etiam homo, qui eſt ſecunda ſubſtantia, non eſt in ſubiecto: homo enim licet ſit prædicabilis de Petro, non eſt in Petro,tanquam in ſubiecto ob realem identitatem cum Petro. Quo fit non eſſe idem dici de ſubiecto, & eſſe in ſubiecto, dici enim de ſubiecto conuenit homini, qui eſt ſecunda ſubſtantia, eſſe verò in ſubiecto eidem non conuenit; aliter non eſſet ſubſtantia, quod repugnat.

5. Al-

5 Altera proprietas, quæ ſolis ſecundis ſubſtantijs conuenit, eſt vniuocè prædicari de primis ſubſtantijs, non ſolum ſecundùm nomen, ſed etiam ſecundùm rationem: quid autem ſit prædicari vniuocè ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem explicat Philoſophus in cap. de ſubſtantia, vndè hanc totam doctrinam hauſimus. Prædicari de prima ſubſtantia vniuocè ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem eſt ita prædicari de prima ſubſtantia, vt eidem eſſentialiter conueniat id, quod prædicatur. Ità homo prędicatur de Petro, quia ratio formalis Petri eſt ratio formalis hominis, & præciſa ratione formali hominis præſcinditur à ratione formali Petri: idem conſtat in cæteris prædicatis vniuerſalibus, quæ prædicantur de Petro. Prædicari de prima ſubſtantia ſecundùm nomen, & non ſecundùm rationem eſt aliquid prædicari de prima ſubſtantia, quod eidem non conuenit eſſentialiter, vt eſſe muſicum, quod prædicatur de Petro, eſt enim accidentale Petro eſſe muſicum.

6 Tertia proprietas, quæ ſoli primæ ſubſtantiæ conuenit, ſignificatur ab eodem philoſophio ibidem his verbis. *Omnis autem ſubſtantia videtur hoc aliquid ſignificare.* Eſſe igitur hoc aliquid ſpectat ad tertiam ſubſtantiæ proprietatem, & conuenit primæ ſubſtantiæ, quæ ab accidentibus denominatur hoc quantum, quale, relatiuum &c. Hoc enim aliquid, quod denominatur quantum, & quale, eſt ſubſtantia, for-

ma

ma verò, quæ denominat, eſt accidens.

7. Quarta proprietas tàm primæ, quàm ſecundæ ſubſtantiæ, eſt carere contrario, quia ſubſtantiæ nihil proximè, & immediatè opponitur; tota enim oppoſitio in accidentibus reperitur. Hinc eſt, quòd vna ſubſtantia corrumpitur, non quia aliquid ſit, quod ipſi immediatè opponatur, ſed quia eſt aliquod accidens, quòd habet immediatam oppoſitionem cum eo accidente, ſine quo ſubſtantia non poteſt eſſe, vt ſatis conſtat in igne, & aqua.

8 Quinta proprietas, quæ primis perindè, ac ſecundis ſubſtantijs conuenit, eſt non ſuſcipere magis, & minùs, licet enim prima ſubſtantia ſit maximè ſubſtantia, vt docet Ariſtoteles in hoc cap. num. 6. hoc non obſtat, quominus ratio formalis ſubſtantiæ non ſuſcipiat magis, & minus, quia ea forma, quæ non poteſt intendi, nec remitti, non ſuſcipit magis, & minus: nulla autem ſubſtantia eſt huiuſmodi forma, id enim eſt proprium qualitatis: nulla igitur ſubſtantia ſuſcipit magis, & minus. Hinc eſt, quòd ſicuti Petrus, qui eſt prima ſubſtantia, non eſt magis ſubſtantia, quàm Paulus: Ita Petrus non eſt magis homo, quàm Paulus, adeoque homo, qui eſt ſecunda ſubſtantia, non ſuſcipit magis, & minus.

9 Sexta, & vltima proprietas, quæ ad primam ſubſtantiam ſpectat, eſt poſſe ſuſcipere contraria. Ità paries, qui eſt prima ſubſtantia poteſt ſuſcipere albedinem, & nigredinem, quæ

ſunt

ſunt formæ contrariæ; hoc non conuenit accidenti, quia idem color non poteſt eſſe modo albus, modo niger.

10. Ex iſtis proprietatibus, quas inhærentes doctrinæ Ariſtotelis hucuſque explicuimus, eſt facile habere veram & germanam ſubſtantiæ notionem, eiuſque naturam venari: Subſtantia enim, quod ad vocis etymologiam ſpectat, dicitur à ſubſtando, vel à ſubſiſtendo, vt videtur ſignificare ipſum nomen ſubſtantiæ, quæ eſt aliquid ſubſiſtens. Hinc Regiùs vates in perſona Verbi Diuini humanam carnē induti hæc habet. *Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia*, Alij legunt *& non eſt ſubſiſtentia*, quæ verba ſignificant fuiſſe Diuino Verbo copulatam naturam non ſubſiſtentem. Hinc Aug. cenſet ſubſtantiam denominari à ſubſiſtendo, vt conſtat ex cap.4. lib.1. de Ciuit. *Sicuti ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ità ab eo, quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus*. Ariſtoteles autem in 5. metaph. cap.8. dicit aliquid denominari ſubſtantiam, quià ſtat ſub accidentibus, adeòque eſt eorum ſubiectum. Hinc duas formalitates habes in ſubſtantia, vnam ex aliâ conſequentem, eaſque in nobis ipſis omnes experimur: nemo enim eſt, qui non cognoſcat ſe eſſe, qui videt, qui intelligit, & qui mouetur, atque adeò ſe eſſe id, quod à cognitione denominatur cognoſcens. Vna formalitas eſt ratio ſtandi ſub alio, nimirum ratio ſubiecti. Alia formalitas eſt ratio per ſe ſtandi, ſiue ratio non

exiſtendi in alio: huiuſmodi rationes ſunt rationes formaliter diuerſæ; vt ſatis conſtat; vna tamen ex aliâ ſequitur, quià ratio ſtandi per ſe, ſiuè non exiſtendi in alio ſequitur ex hac alia ratione; quæ eſt ratio primi ſubiecti; quià non poteſt aliquid eſſe in ſubiecto, & eſſe primum ſubiectum, adeòque ſubſtantia ex eo quòd eſt primum ſubiectum, non eſt in ſubiecto, & conſequenter perſe exiſtit. E contrariò per ſe exiſtere non infert neceſſitate conſequentiæ eſſe ſub alio, quià poteſt aliquid per ſe exiſtere, quin ſub alio exiſtat, vt patet in ente increato, quod exiſtit per ſe, & non eſt ſubiectum alterius accidentis.

11. Ex iſtis duabus formalitatibus; quæ habent realem identitatem cum qualibet ſubſtantia creata, vna inuoluit puram perfectionem, alia perfectionem eſſentialiter imperfectam: in ſe exiſtere ſiuè ſtare per ſe eſt pura perfectio, eamque habet communem cum Deo ſubſtantia creata: *eſſe ſub ſiue ſtare ſub* eſt perfectio imperfecta; adeòque hanc formalitatem non habet ſubſtantia creata communem cum Deo; quibus poſitis dubium eſt de formali conceptu ſubſtantiæ prædicamentalis.

12. Dicendum igitur ſubſtantiam prædicamentalem eſſe illud ens, quod eſt completum, & per ſe exiſtit tanquam ſubiectum phyſicum & logicum omnium denominationum.

13. In hac definitione ſatis apparet natura ſubſtantiæ prædicamentalis, à qua excluduntur

duntur ſubſtantiæ incompletæ, quæ conſtituunt completam ſubſtantiam, nimirùm materia & forma. Subſtantia prædicamentalis quatenùs prædicamentalis inuoluit duas formalitates, vnam in quâ cum Deo analogicè conuenit, & aliam per quam à Deo ſecernitur: vtramque explicat noſtra definitio: per ſe enim exiſtere eſt illa formalitas, quæ in Deo etiam reperitur, eſſe verò primum ſubiectum ſecernit hanc ſubſtantiam à Deo, cui repugnat eſſe ſub aliquo accidente.

14. Vt autem intelligantur vltima verba noſtræ definitionis, notandum eſt alias eſſe denominationes ſubſtantiales, ſiue eſſentiales, alias accidentales: licet in omnibus inueniatur ſubiectum, quod denominatur & forma denominans, vt ex illis conſtat, quæ de termino concreto in ſummulis egimus. Illud autem inter denominationem eſſentialem & accidentalem intereſt, quòd ibi ſubiectum denominationis eſt ſubiectum logicum ob diſtinctionem logicam, ſiue formalem inter formam denominantem, & rem denominatam: hic verò eſt phyſicum ob realem diſtinctionem inter formam denominantem & rem denominatam: Hinc ſubſtantia prædicamentalis, quià vtramque denominationem ſuſtinet, dicitur ſubiectum primum phyſicum & logicum omnium denominationum.

15. Huc etiam ſpectat illa definitio, quam ex cauſa finali de huiuſmodi ſubſtantia plurimi

tradunt; ea enim re ipſa in noſtram incidit, nimirum *eſt ens primum, & per ſe a natura intentum*. Natura enim primò, & per ſe intendit id, quòd in ſe eſt, tanquam primum ſubiectum omnium denominationum.

16. Trià ſunt, quæ huic doctrinæ poſſunt in hunc modum opponi. Primò: eſſe per ſe, & eſſe primum ſubiectum omnium denominationum eſt ſeparabile ab huiuſmodi ſubſtantia: ergò vnum cum alio non conuertitur, adeòque vnum non eſt definitum, & aliud definitio. Antecedens probatur, quià natura humana, quæ eſt in ſuppoſito diuino eſt ſubſtantia completa, ſed iſta non eſt in ſe, neque eſt primum ſubiectum omnium denominationum, ergo &c.

17. Secundo, ſubſtantia completa eſt propter ſuam operationem: eſſe enim, vt dicit Philoſophus, eſt propter operari: ergò ſubſtantia completa non eſt ens primum, & per ſe à natura intentum, ergò non exiſtit in ſe tanquam primum ſubiectum. Conſequentia eſt euidens.

18. Tertiò, ſubſtantia à toto genere non eſt perfectior accidente, ergò non eſt ens primum & per ſe à natura intentum, tanquam ſubiectum omnium denominationum. Antecedens probatur, tùm quià in genere ſubſtantiæ eſt aliqua ſubſtantia minus perfecta, quàm aliquod accidens, vt conſtat in ſubſtantia comparata cum viſione beata; tùm quià immateriale eſt perfectiùs materiali, ergo ſubſtantia

tia materialis eſt minus perfecta, quàm accidens immateriale.

19. Ad primùm: diſt. antec. eſſe per ſe formaliter, eſt ſeparabile à ſubſtantia: concedo antec. eſſe per ſe radicaliter, nego antec. & conſequen: natura humana, quæ eſt in diuino ſuppoſito, exigit eſſe per ſe, licet non exiſtat per ſe, quià exiſtit ſupernaturaliter in alio ſuppoſito. Hinc eſt, quòd retinet totam rationem ſubſtantiæ prædicamentalis, ad quam ſpectat eſſe per ſe radicaliter & exigitiuè, non verò formaliter.

20. Ad ſecundùm: diſt. antec. ſubſtantia completa eſt propter ſuam operationem, tanquam finem *qui* concedo antec. tanquam finem *cui*: nego anteç. & conſeq. ſubſtantia, quando operatur, habet pro fine *qui* ipſam operationem, & pro fine *cui* ſe ipſam, quià operationem ordinat ad ipſam ſubſtantiam operantem: Hinc ſubſtantia eſt perfectior operatione, quià finis *cui* eſt nobilior, quàm finis *qui*.

21. Ad tertiùm: nego antec; ad eius probationem dico in accidente conſiderandum eſſe duplex eſſe, vnum intranſitiuum, quod eſt ab accidente indiſtinctum, aliud tranſitiuum quod communicatur ſubſtantiæ; eſt enim ipſe effectus formalis eiuſdem accidentis: eſſe intranſitiuum accidentis nunquam eſt perfectiùs ipſa ſubſtantia: eſſe tranſitiuum aliquando eſt perfectiùs. Hoc tamen non obſtat, quominùs ſubſtantia ſit ens primum, & per ſe à natura in-

tentum, quia eſſe tranſitiuum accidentis inuoluit neceſſariò ipſam ſubſtantiam, cui communicatur effectus formalis accidentis.

QVAESTIO IV.

Vtrum ſubſtantia prædicamentalis ſit vniuocè prędicabilis de omni ſubſtantia.

1. Videtur non eſſe primò, quia non eſt genus reſpectu omnis ſubſtantiæ, ergo non prędicatur vniuocè. Antecedens probatur, genus quatenùs genus non contrahitur per differentias, quæ ſpectant ad rationem formalem generis, ſed ſubſtantia prædicamentalis contrahitur per differentias, quæ non ſunt extra rationem formalem ſubſtantiæ, ergò, &c.

2. Secundò: Differentiæ contrahentes ſubſtantiam non ſunt formaliter accidens, ergò ſunt formaliter ſubſtantia. Conſequentia probatur, quià non eſſe formaliter ſubſtantiam eſt eſſe formaliter accidens, ergò differentiæ contrahentes ſubſtantiam ſi non ſunt formaliter ſubſtantia, ſunt formaliter accidens, quod manifeſtè repugnat.

3. Tertiò: Ratio abſtractiſſima ſubſtantiæ non eſt prædicabilis vniuocè de qualibet ſubſtantia, nimirùm de creata & increata, ergò ratio ſubſtantiæ prædicamentalis non eſt prædicabilis vniuocè de ſingulis ſubſtantijs creatis.

Con-

Conſequentia probatur, tùm quià ſicuti ſubſtantia creata & increata non poſſunt in eodem genere conuenire, ita non poſſunt in eodem genere conuenire ſubſtantia materialis & immaterialis, tùm quià materiale & immateriale ſunt in diuerſo genere, vt docet Philoſophus, ergò, &c.

4. Reſpondetur non minus conueniunt omnes ſubſtantiæ creatæ in hac ratione abſtractiſſima ſubiecti primi phyſici & logici omnium denominationum, quàm conueniant omnia animalia in ratione abſtractiſſima animalis, ſed ratio animalis eſt vniuocè prædicabilis de ſingulis animalibus, ergo ratio ſubſtantiæ prædicamentalis eſt vniuocè prædicabilis de qualibet ſubſtantia creata. Maior probatur, quià ſicuti nullum eſt animal, quod non ſit principium ſentiendi, ita nulla eſt ſubſtantia creata, quæ in ſe non exiſtat, & non ſuſtineat phyſicè & logicè plurimas denominationes, cum omnis ſubſtantia creata ſit ſubiectum phyſicum alicuius accidentis. Addo ex ijs prædicatis, quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, nullum eſſe, quod vniuocè non poſſit prædicari de prima ſubſtantia, cum huiuſmodi prædicata ſint generica, vel ſpecifica, ideò de Petro vniuocè prædicatur ratio hominis, & ratio animalis, ſed formalitas ſubſtantiæ prædicamentalis eſt vnum ex ijs prædicatis, quæ ſpectant ad prædicamentum ſubſtantiæ, ergo formalitas ſubſtantiæ eſt vniuocè prædicabilis de Petro,

tro, adeoque de qualibet ſubſtantia creata. Præterea nulla ratio ſuperior ſubſtantia ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, idcircò ratio entis, quæ eſt ſuperior ratione ſubſtantiæ, non eſt vniuocè prædicabilis de ſubſtantia & accidente, vt ex doctrina Philoſophi oſtendam in metahpyſica: ratio autem ſubſtantiæ eſt in prædicamento ſubſtantiæ: igitur ratio ſubſtantiæ non eſt analoga, ſed vniuoca.

5. Ad primum: nego antecedens, quià formalitas ſubſtantiæ eſt ſupremũ genus, quod continet alia genera. Sunt qui opinantur genus poſſe contrahi per differentias, quæ ſunt formaliter genus: iuxta hanc ſententiam apud me falſam argumentum eſt nullum, vt ſatis conſtat: quidquid tamen ſit de hac opinione, de qua plura dicam, dùm in metaphyſica agam de analogia entis, argumentum facile ſoluitur dicendo differentias, quæ contrahunt rationem ſubſtantiæ non eſſe formaliter ſubſtantiam; ſed tantum connotare ſubſtantiam, eo pacto quo rationale, & irrationale non ſunt formaliter animal, licet connotent rationem animalis.

6. Ad ſecundum: differentiæ, quæ contrahunt rationem formalem ſubſtantiæ, neque ſunt formaliter ſubſtantia, neque ſunt formaliter non ſubſtantia, adeoque non ſunt formaliter accidens, præſcindunt enim à ſubſtantia & non ſubſtantia: licet connotent rationem ſubſtantiæ, vt demonſtratum eſt: non benè igitur arguit, qui ità arguit; differentia quæ contrahit

ſub-

ſubſtantiam non eſt formaliter ſubſtantia, ergò eſt formaliter non ſubſtantia, quia præſcindit à ſubſtantia, & non ſubſtantia,

7. Ad tertium: omitto antecedens, & nego conſequentiam eſt enim diſpar ratio inter ſubſtantiam prædicabilem de creata& increata, & ſubſtantiam prædicamentalem, quia ratio ſubſtantiæ non eſt omnino eadem in ſubſtantia creata, & increata, vt conſtabit in metahpyſica, dùm ſermo erit de analogia entis; ratio autem ſubſtantiæ prædicamentalis eſt omnino eadem in qualibet ſubſtantia creata, vt demonſtratum eſt. Hinc habes ſubſtantiam materialem, & immaterialem creatam conuenire in eodem genere logico, quidquid ſit de genere phyſico, quod ad rem præſentem non facit.

QVAESTIO V.

Quid & quotuplex ſit accidens prædicamentale & an ſit realiter diſtinctum à ſubſtantia.

1. EX ijs, quæ fuere de prædicamento ſubſtantiæ diſputata, facile intelliges, quid eſſe debeat accidens prædicamentale, quod cætera prædicamenta complectitur, cum enim ſubſtantia creata per ſe exiſtat tanquam primum ſubiectum phyſicum, & logicum omnium denominationum, neceſſe eſt in rerū natu-

ra

ra aliquid inueniri, quod inhæreat ſubſtantiæ prædicamentali, eique communicet omnem denominationem. Hinc Ariſtoteles, qui fuit acutiſſimus in rerum natura explicanda, partitur ampliſſimam rationem entis in illud ens, quod per ſe exiſtit, & eſt ſubiectum omnis denominationis, adeoque vocatur antonomaſticè ens, & in illud ens, quod idem Philoſophus vocat ſubſtantiæ appendicem, eſt enim, vt inquit S. Thomas, potiùs entis ens, quàm ſimpliciter ens. Vſus obtinuit, vt hoc ens alio nomine appelletur accidens prædicamentale, cuius aliquã notionem poſſumus formare ex ijs, quæ in nobis experimur; vnde gradus paratur ad ea cognoſcenda, quæ in cæteris contingunt. Vnuſquiſque experitur ſe intelligere, ſe videre, ſe audire, aliaque id genus: præterea experitur ſe non eſſe idem cum illà cognitione, qua intelligit, cum illa viſione, quę videt, quandoque enim intelligit, & videt, quandoque neque intelligit nec videt, quod eſt argumentum ſatis certum alicuius diſtinctionis inter eum qui intelligit, & cognitionem qua intelligit. Hinc eſt, quòd omnes experiuntur ſe habere in ſe ipſis cognitionem à qua denominantur cognoſcentes: huiuſmodi cognitio, quæ eſt forma denominans hominem cognoſcentem, eſt accidens prædicamentale, inhæret enim ſubſtantiæ cui tribuit omnem ſuam denominationem.

2. Ex hac doctrina conſtat duas formali-

tates reperiri in accidente prædicamentali, eo fermè pacto, quo reperiuntur duæ formalitates in ſubſtantia prædicamentali. Prima formalitas accidentis prædicamentalis eſt inhærere alteri, ſiuè exiſtere in alio: ſicuti enim ſpectat ad naturam ſubſtantiæ eſſe in ſe,ità pertinet ad naturam accidentis eſſe in alio, ſiue ab alio dependere in genere cauſæ materialis; in hac formalitate conſiſtit illa imperfectio, quæ eſt propria accidentis, nec locũ habet in ſubſtantia; indèeſt, quòd præſcindere ab huiuſmodi formalite eſt præſcindere ab imperfectione accidentis, adeoque ab eius natura. Secunda formalitas, quæ naſcitur ex prima, in eo præcisè conſiſtit, quòd accidens prædicamentale debet denominare aliud ens à ſe adæquatè diſtinctum: quemadmodum enim ſubſtantia prædicamentalis debet eſſe ſubiectum primum omnium denominationum, ità accidens prædicamentale debet eſſe id, quod eidem tribuit hanc denominationem. In hac formalitate conſiſtit ille defectus, qui eſt in accidente, vnde ſequitur accidens non eſſe gratia ſui, ſed tantum gratia ſubſtantiæ.

3. Ex iſtis duabus formalitatibus poteſt intelligi natura accidentis prædicamentalis, quod dicitur entis ens, & habet eſſe in alio, ordinatum ad denominandum aliud à ſe adæquatè diſtinctum. Huiuſmodi accidens aliud eſt ſeparabile à ſubiecto, cui inhæret, & quod denominat, aliud inſeparabile; Illud vocatur

acci-

accidens reale, ſiue abſolutum: hoc modale, ſiue relatiuum: Ratio à priori huius diuiſionis eſt, quia illa forma, quæ inhæret ſubſtantię, eamque denominat, poteſt diuina virtute ſeparari à ſubſtantia, adeoque neceſſe eſt inueniri in rerum natura aliam formam, quæ eam determinet ad inhærendum ſubſtantiæ. Huiuſmodi forma vocatur accidens modale, quià eſt formaliſſimè ille modus, quo forma accidentalis exiſtit in ſubſtantia, eamque informat. Non opus eſt aliam trádere diuiſionem accidentis, tam realis, quàm modalis: quia tot ſunt partes, in quas idem diuiditur, quot ſunt prædicamenta à ſubſtantia diſtincta, de quibus ſatis ſuperque diſputauimus, quantum ſpectat ad præſens inſtitutum.

4. Huic doctrinæ, quæ explicat naturam accidentis prædicamentalis, poteſt ſolum opponi plurima eſſe accidentia, quæ diuinitus per ſe exiſtunt, vt conſtat ex venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & plurimas eſſe ſubſtantias, quæ alteri inhærent, & aliud à ſe diſtinctum denominant, vt conſtat in omnibus formis ſubſtantialibus materialibus, quæ ſunt ſubſtantiæ incompletæ.

5. Huic difficultati facilè occurres, ſi optimè perſpicies naturam accidentis à nobis huc vſque explicatam, quia ſatis eſt ad illud à ſubſtantia diſcernendum, quod exigat alteri inhærere. Id enim eſt accidenti eſſentiale quidquid ſit de actuali inhærentia, quæ non ſpectat

ad

ad eius eſſentiam. Eadem doctrina eſt in præſenti adhibenda quam tradidimus de ipſa ſubſtantia, cui eſt eſſentiale habere exigentiam exiſtendi in ſe, quidquid ſit, an in ſeipſa exiſtat, vel non exiſtat. Neque propterea confunditur accidens prædicamentale cum ſubſtantia incompleta. Hæc enim denominat aliud à ſe adæquatè diſtinctum, nimirum totum compoſitum cuius ipſa eſt pars: accidens è contrario denominat aliquid à ſe adæquatè diſtinctum, nimirum ſolam ſubſtantiam, adeoque eſt entis ens.

6. Dubiū poteſt eſſe in re præſenti, quod hic ſoluendum eſt, an neceſſaria ſit realis diſtinctio inter ſubſtantiam prędicamentalem & accidens prędicamentale. Ratio dubitādi eſt primo, quia diſtinctio formalis ſatis eſt ad conſtituenda diuerſa prędicamenta, vt conſtat ex quæſt. 2. num. 9. nulla eſt igitur neceſſitas realis diſtinctionis inter ſubſtantiam, & accidens. Conſequentia probatur, quia ſi formalis diſtinctio ſatis eſt, non eſt ponenda realis, non enim opus eſt res multiplicare ſine neceſſitate.

7. Secundò, accidens prædicabile non eſt realiter diſtinctum à ſubſtantia prædicamentali: ergo neque accidens prædicamentale. Antecedens patet ex diſp. 6. quæſt. vlt. nu. 10. Conſequentia probatur: quia non minus vrget neceſſitas diſtinctionis realis inter accidens prædicamentale, & ſubſtantiam prædicamentalem, quam inter accidens prædicabile, & ipſam
ſub

ſubſtantiam: eſt enim vtrobique par ratio.

8. Tertio: accidens prædicamentale non poteſt, vt reuera debet, determinare ſubſtantiam prædicamentalem, niſi habeat realem identitatem cum eadem ſubſtantia: ergo non datur realis diſtinctio inter accidens prædicamentale, & ſubſtantiam prædicamentalem. Antecedens probatur, tum quia omnis prædicatio, vt ſit vera, petit realem identitatem inter id, quod prædicatur, ſiue id, quod denominat, & id de quo prædicatur, ſiue rem denominatam; vel ergo non eſt vera prædicatio vnius prædicamenti de alio; vel datur realis identitas inter ſubſtantiam prædicamentalem, & accidens prędicamentale: atqui prædicatio vnius prædicamenti de alio eſt vera prędicatio, quia prędicamentum ſubſtantiæ, vt conſtat ex doctrina Philoſophi, verè denominatur à cæteris prędicamentis, nimirum à quantitate quantum, à qualitate quale, à relatione relatiuum &c. ergo datur realis identitas inter ſubſtantiam, & accidens; tum quia primam ſubſtantiam, nimirum Petrum denominat accidens prædicamentale perinde, ac ſecunda ſubſtantia, videlicet homo, ſed homo habet realem identitatem cum prima ſubſtantia nimirum cum Petro, quem intrinſece denominat, ergo etiam accidens prędicamentale habet realem identitatem cum ſubſtantia prædicamentali.

9. Iſtę rationes dubitandi non obſtant, quo-

quominus à vera, & communi ſententia recedamus, quam tradit Ariſtoteles, & cum eo vniuerſa ſchola Peripatetica de reali diſtinctione inter ſubſtantiam prędicamentalem, & accidens prædicamentale.

10. Ratio à priori, quę demonſtrat eius veritatem, peti debet ex conceptu realis diſtinctionis tradito, in tractatu de identitate, & diſtinctione diſp.3.qu.1. num.15. Ea quę ſuſtinent in ſenſu reali prædicata viciſſim oppoſita, non habent realem identitatem, ſed huiuſmodi prædicata ſuſtinent ſubſtantia prædicamentalis, & accidens prędicamentale, illa enim eſt ens per ſe, hoc vero ens in alio: illa eſt ens, quod abſolutè, & ſimpliciter eſt ens: hoc eſt entis ens, nimirum ens ordinatum ad aliud à ſe adęquatè diſtinctum, ergo datur realis diſtinctio inter ſubſtantiam prædicamentalem, & accidens prædicamentale. Præterea repugnat identitas realis inter res ſeparabiles, vt ibidem demonſtratum eſt n.10.ſed ſubſtantia prædicamentalis, & accidens prædicamentale ſunt res ſeparabiles, Petrus enim, qui eſt ſubſtantia prædicamentalis, poteſt de albo fieri niger, de relatiuo non relatiuus; adeoque poteſt ſeparari ab illo accidente prædicamentali, quod eum denominat album, & relatiuum: ergo datur realis diſtinctio inter Petrum, qui eſt ſubſtantia prædicamentalis, & qualitatem ſiue relationem, quæ ſunt accidens prædicamentale. Addo, quòd vel nulla denominatio,

quæ

quæ denominat ſubſtantiam prædicamentalem, eſt eidem accidentaria; vel non datur realis identitas inter ſubſtantiam prædicamentalem, & accidens prędicamentale, atquì ſunt plurimæ denominationes accidentariæ, vt conſtat inductione, ergo non datur realis identitas inter ſubſtantiam prædicamentalem, & accidens prædicamentale. Maior eſt euidens, quia identitas formæ denominantis cum re denominata arguit denominationem neceſſariam rei denominatæ, vt patet in illis denominationibus, quibus Petrus denominatur ab humanitate homo, & ab animalitate animal.

11. Hæc argumenta ſatis ſunt ad vincendam cauſam de reali diſtinctione inter ſubſtantiam, & accidens prædicamentale: non erit tamen otioſum eam vlterius demonſtrare altiore diſcurſu ex doctrina S. Thomæ hauſto in hunc modum. Impoſſibilitas habendi identicè omnē perfectionem ſibi debitam eſt neceſſitas metaphyſica realis diſtinctionis inter ſubſtantiam, & accidens, ſed ſubſtantia prædicamentalis habet impoſſibilitatem habendi identicè omnem perfectionem ſibi debitam, ergo habet neceſſitatem metaphyſicam realis diſtinctionis ab accidente prædicamentali. Maior demonſtratur, quia impoſſibilitas habendi identicè omnem perfectionem ſibi debitam eſt neceſſitas metaphyſica habendi aliquam perfectionem ſibi debitam à ſe realiter diſtinctam: Perfectio autem realiter diſtincta ab ente completo, eique

phy-

phyſice inhærens eſt ſine dubio accidens prædicamentale; impoſſibilitas igitur habendi identicè omnem perfectionem ſibi debitam eſt neceſſitas metaphyſica huiuſmodi realis diſtinctionis. Minor primi ſyllogiſmi demonſtratur ex conceptu ſubſtantiæ prædicamentalis, quæ eſt ſubſtantia finita, & limitata. Neceſſitas habendi identicè omnem perfectionem ſibi debitam eſt ſumma & infinita perfectio, quia arguit ſummam ſimplicitatem ab infinita perfectione inſeparabilem: nulla autem ſubſtantia finita eſt ſumma, & infinita perfectio: nulla igitur ſubſtantia finita habet identicè omnem perfectionem ſibi debitam: atqui omnis ſubſtantia prædicamentalis eſt ſubſtantia finitæ & limitatæ perfectionis: nulla igitur ſubſtantia prędicamentalis habet identicè omnem perfectionem ſibi debitam. Hunc diſcurſum confirmat neceſſitas, vt in genere ſubſtantiæ prædicamentalis detur ſubſtantia cognoſcens, atque intelligens; repugnat autem in terminis, vt ſubſtantia prædicamentalis cognoſcens, atque intelligens habeat identicè cognitionem, à qua denominatur cognoſcens, quia ſubſtantia, quæ cognoſcit per cognitionem à ſe indiſtinctam eſt ens à ſe, adeoque ſubſtantia infinitè perfecta, & conſequenter non prædicamentalis: eſt igitur neceſſe, vt aliqua ſubſtantia prædicamentalis realiter diſtinguatur ab accidente prædicamentali. Hinc patet ad rationes dubitandi.

12. Ad primam: ſatis conſtat de neceſſitate huius realis diſtinctionis ex doctrina huc vſque tradita: hinc eſt, quòd diſtinctio realis inter accidens prædicamentale, & ſubſtantiam non debet argui ex diuerſis prædicamentis, vt falsò contendit arguens, ſed ex alio capite, vt demonſtratum fuit nu. 10. & 11.

13. Ad ſecundam: concedo antecedens, & nego conſeq: eſt diſpar ratio inter accidens prædicabile, & accidens prædicamentale, quia illius identitas cum ſubſtantia prædicamentali non arguit ſubſtantiam infinitè perfectam, ſicuti arguit identitas accidentis prædicamentalis cum eadem ſubſtantia, vt demonſtratum fuit n. 11. Ratio à priori, cur identitas accidentis prædicabilis cum ſubſtantia non ſit argumentum perfectionis infinitæ, eſt, quia huiuſmodi identitas non eſt alia, quam identitas proprietatis metaphyſicæ cum eſſentia, quæ identitas ſine dubio non arguit perfectionem infinitam.

14. Ad tertiam: nego antecedens. Ad veram prædicationem vnius de alio non eſt neceſſaria identitas realis formæ denominantis cum re denominata, ſatis enim eſt, vt ex ſummulis conſtat, realis identitas inter id pro quo ſupponit terminus qui prædicatur, & id pro quo ſupponit terminus, qui ſubijcitur: ratio à priori eſt, quia ſunt plurimæ denominationes, in quibus forma, quæ denominat ſignificatur in obliquo; forma autem in obliquo ſignifica-

ficata non habet realem identitatem cum re denominata;plurimæ igitur ſunt denominationes, in quibus forma denominans non ſolum non debet , ſed etiam non poteſt habere identitatem realem cum re denominata . Hinc patet eſſe diſparem rationem inter eam denominationem , qua Petrus denominatur homo , & eam denominationem, qua denominatur quantus, quia forma denominans Petrum hominem eſt natura humana , quæ habet realem identitatem cum Petro , forma è contrario denominans Petrum quantum , eſt quantitas inhærens phyſicè Petro , & proinde à Petro realiter diſtincta. Neque mihi opponas neceſſitatem identitatis realis inter prædicatũ & ſubiectũ ad efficiendam veram propoſitionem, quia,vt ex ſummulis conſtat , non requiritur identitas inter omne id , quod ſignificat prædicatum , & omne id quod ſignificat ſubiectum: ſed tantũ inter id pro quo vtrumque ſupponit : vtrumque autem ſupponit pro re denominata , non pro forma denominante,quando vtrumque eſt concretum accidentale vt diximus in prima parte ſummularum cap.6. num.3.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Vtrum ratio abſtractiſſima accidentis prædicamentalis ſit vniuoca, vel analoga omnibus accidentibus.

1. Videtur eſſe vniuoca, primò ratio abſtractiſſima ſubſtantiæ prædicamentalis eſt vniuoca omnibus ſubſtantijs, vt oſtenſum fuit qu. 3. num. 6. ergo etiam ratio accidentis prædicamentalis eſt vniuoca omnibus accidentibus. Conſequentia probatur, non minus conueniunt in ratione abſtractiſſima accidentis prædicamentalis omnia accidentia, quàm in ratione abſtractiſſima ſubſtantiæ prædicamentalis conueniant omnes ſubſtãtiæ creatæ: ſed conuenientia cuiuslibet ſubſtantiæ in ratione ſubſtantiæ eſt formaliſſimè vniuocatio ſubſtantiæ, ergo etiam conuenientia omnium accidentium in ratione accidentis prædicamentalis eſt formaliſſimè vniuocatio eiuſdem accidentis.

2. Secundò: differentiæ, quæ contrahunt rationem accidentis non includunt formaliter illam rationem abſtractiſſimam, quam contrahunt, ergo ratio accidentis eſt ratio generica omnium accidentium, adeoque vniuocè prædicabilis de omnibus. Conſequentia eſt optima, quia nihil eſt aliud, quod poſſit excludere

re à ratione abſtractiſſima accidentis rationem genericam, niſi continentia formalis differentiæ contrahentis hanc rationem in eadem ratione. Antecedens probatur, quia differentiæ quæ contrahunt rationem accidentis ſunt diuerſi modi, quibus ſubſtantia diuerſimodè denominatur, ſed iſti diuerſi modi non includunt formaliter radicalem inhærentiam, quæ eſt ratio formalis accidentis prædicamentalis, ergo &c.

3. Tertio: differentiæ, quæ contrahunt rationem abſtractiſſimam ſubſtantiæ non includunt formaliter ipſam rationem ſubſtantiæ, ergo neque includunt formaliter rationem abſtractam accidentis differentiæ, quæ eam contrahunt. Conſequentia probatur: ideò illæ non includunt, quia neque ſunt formaliter ſubſtantia; neque ſunt formaliter non ſubſtantia: ſed differentiæ, quæ contrahunt rationem accidentis, neque ſunt formaliter accidens, neque formaliter non accidens, ergo &c. Confirmatur, quià ſicuti malè arguit, qui ita arguit: differentia ſubſtantiæ non eſt formaliter ſubſtantia, ergo eſt formaliter accidens: Ita malè arguit, qui ità arguit: Differentia accidentis non eſt formaliter accidens, ergo eſt formaliter ſubſtantia.

4 Quartò: vel nulla differẽtia cõtrahit rationẽ accidentis; vel omnis differentia, quæ hanc rationem contrahit, non includit formaliter hanc rationem: repugnat autem nullam eſſe differen-

tiã, quæ cõtrahit rationẽ accidentis: omnis igitur differẽtia accidẽtis præſcindit à ratione accidẽtis. Maior demõſtratur, quià nihil contrahit formaliter ſe ipsũ: differentia igitur, ſi eſt formaliter accidens, non poteſt contrahere ipſum accidens.

5. Vltimo: ratio formalis inhærentiæ radicalis eſt omnino eadem in omnibus accidentibus: ſed ratio formalis inhærentiæ radicalis eſt ratio abſtractiſſima accidentis prædicamentalis; ergo ratio accidentis eſt omnino eadem in omnibus accidentibus. Maior probatur, quià inuenitur ſimilitudo in omnibus accidentibus, quantùm ſpectat ad inhærentiàm.

6. Reſp. hæc controuerſia, quæ agitatur à Suario diſp. 39. Methaphyſicæ ſect. 3. & Antonio Ruuio in tractatu de analogis, ſequitur ex ipſa natura accidentis prædicamentalis, cùm enim ratio abſtractiſſima eiuſdem ſit radicalis inhærentia, quæ explicat illud eſſe in alio, quod conuenit accidenti: dubium eſt, an nouem prædicamenta, in quibus continentur omnia accidentia, quę ſubſtantiam denominant, vniuocè conueniant in hac ratione abſtractiſſima accidentis eo pacto, quo omnia animalia conueniunt vniuocè in ratione animalis. Neque cenſenda eſt omnino inutilis, & otioſa hęc controuerſia de analogia accidentis, quaſi nihil conducat ad dialecticum de prędicamentis cum Ariſtotele diſputantem definire, an omnia accidentia contineantur ſub vno conceptu abſtractiſſimo accidentis prædicabili vniuocè de ſin-

ſingulis : Hinc enim pendet ſolutio alterius difficultatis, quam in hunc locum reiecimus agentes de partitione entis in decem prædicamenta, an nimirum ea ſit immediata.

7. In hac controuerſia dicam prius, quod apud omnes eſt certum: inter omnes conuenit, aliquibus recentioribus exceptis, vt notat ibidem Suarius, nullum eſſe genus ſuperius eo primo genere, quod primo loco in omnibus prædicamentis collocatur. Hinc Ariſtoteles in primo poſt:c.11.vocat antonomaſticè ſola prędicamenta genera : idem ait Porphyrius Ariſtotelis interpres ; idem Damaſcenus, qui in ſua dialectica ait decem prędicamenta eſſe ſumma genera. Idem cæteri Philoſophi, qui proptereà docent genera ſuprema, quæ ſunt in ſingulis prædicamentis, eſſe conceptus ſimplices incapaces alterius finitionis. Quià verò inter omnes non conſtat rationem vniuocam eſſe, conſequenter genericam, vel ſpecificam; ideò eſt incertum apud Philoſophos, an detur aliqua ratio ſuperior, in qua vniuocè conueniant cætera prædicamenta diſtincta à prædicamento ſubſtantiæ, quæ ratio ſit ratio accidentis prædicamentalis.

8. Mihi eſt certum, conſequens eſſe,vt nulla ſit ratio vniuoca omnibus iſtis prædicamentis, ſi nulla eſt ratio generica in qua omnia conueniunt;quià ratio vniuocè prædicabilis infert rationem genericam, vel ſpecificam, vt docet Ruuius, quidquid Suarius contradicat.

Ratio eſt ſatis manifeſta ex notione generis, & ſpeciei, ratio enim vniuocè prædicabilis vel eſt prædicabilis in quid completè, vel in quid incompletè, non enim reſtat alius prædicandi modus, ergo eſt prædicabilis, vel prædicatione generis, vel prædicatione ſpeciei.

9. Sunt, qui opinantur ex ijs qui credunt non ſequi ex ratione vniuoca rationem genericam, vel ſpecificam, accidens eſſe analogum relatè ad nouem prædicamenta, in qua ſententia eſt Suar. loco ſuperius citato, qui propterea docet rationem accidentis prędicabilem vniuocè de aliquibus accidentibus,eſſe analogicè tantum prædicabilem de omnibus accidentibus, quæ ſpectant ad nouem prędicamenta.

10. Multa ſunt, quæ mihi probantur, non tamen omnia quæ hic Doctor tradit in re præſenti: Cenſeo enim eodem modo philoſophandum eſſe de quolibet accidente ex ijs, quæ ſpectant ad nouem prædicamenta, ac de vno, vel alio: ratio enim eſt in omnibus eadem:

11. Vt igitur definitam præſentem controuerſiam de vniuocatione, vel analogia accidentis, dico cum Ariſtotele, D. Thoma, Caietano in opuſculo de ente, & eſſentia, Ruuio in tractatu de analogia nominum, & alijs philoſophis, quibus magna ex parte adhæret Suarius loco citato, rationem abſtractiſſimam accidentis prædicamentalis eſſe analogam.

12. Ratio, quę inclinat in hanc ſententiam, eſt multiplex, primò, quià nouem prædica-

dicamenta, in quibus continentur omnia accidentia, non ſunt ſub aliquo genere, vt eſt apud omnes certum. Ratio igitur accidentis, in quo omnia conueniunt, non eſt vniuoca, ſed analoga: alioquin non eſſet, cur iſta prædicamenta ſub vno ſupremo genere continerentur; ſecundò, quià differentiæ contrahentes rationem accidentis ad ſingula prædicamenta, includunt formaliter eamdem rationem accidentis, vt ſatis conſtat, diuerſi enim modi, quibus diuerſa accidentia denominant ſubſtantiam, includunt formaliſſimè inhærentiam, quę eſt ratio formalis accidentis prędicamentalis. Ratio autem contracta per differentias eamdem formaliter includentes eſt analoga, non vniuoca, vt conſtat ex S. Thoma, & noſtro tractatu de analogia nominum: non eſt igitur vniuoca, ſed analoga ratio accidentis prædicamentalis: tertio quià ratio accidentis eſt prædicabilis de ſingulis prædicamentis, vt ratio ſani de medicina, & pulſu, ſicuti enim diuerſus eſt ordo, quem habēt ad ſanitatem animalis medicina, & pulſus: ita diuerſus eſt ordo quem habent ad ſubſtantiā, quantitas, & qualitas: ratio autem ſani eſt analoga reſpectu medicinæ, & pulſus, vt liquet ex doctrina, quàm tradit S. Thomas in prima parte quæſt. 12. art. 6. Ratio igitur accidentis eſt analoga reſpectu quantitatis, & qualitatis: idem dicendum eſt de reliquis prædicamentis.

13. Hinc redditur ratio, quare Ariſtoteles

in prædicamento quantitatis non collocauerit rationem abſtractiſſimam accidentis, ſicuti collocauit rationem abſtractiſſimam ſubſtantiæ in prædicamento ſubſtantiæ; quià nimirum ratio ſubſtantiæ eſt ſupremum genus vniuocè prædicabile de qualibet ſubſtantia, è contrariò ratio accidentis non eſt ſupremum genus vniuocè prædicabile de quantitate.

14. Ad primum: concedo antecedens, & nego conſequentiam: ad eius probationem eſt falſa maior, vt conſtat ex diſcurſu facto, omnia enim accidentia conueniunt analogicè in ratione accidentis, omnes verò ſubſtantiæ conueniunt vniuocè in ratione ſubſtantiæ. Hinc Ariſtoteles acutiſsimus in ſpeculandis conceptibus formalibus rerum poſuit in prædicamento ſubſtantiæ rationem ſubſtantiæ: in prædicamento verò accidentis non poſuit rationem accidentis, quià ergo conuenientia vniuoca eſt maior, quàm analogica, ideò omnes ſubſtantiæ inter ſe conueniunt multo magis, quàm omnia accidentia.

15. Ad ſecundum: nego antecedens, vt enim conſtat ex doctrina tradita num. 12. differentiæ accidentis continent formaliter inhærentiam radicalem, quę eſt formalis conceptus accidentis: argumentum igitur retorquetur.

16. Ad tertium: concedo antecedens & nego conſequentiā: eſt enim diſpar ratio inter rationem ſubſtantiæ contractam ad quamcumque ſubſtantiam, & rationem accidentis

con-

contractam ad quodlibet accidens, quia differentiæ, quæ contrahunt rationem formalem ſubſtantiæ, ſunt extrà rationem formalem ſubſtantiæ; ſecus autem differentiæ, quæ contrahunt rationem formalem accidentis: vt conſtat tùm à priori ex doctrina tradita, tùm à poſteriori, eò quòd ſubſtantia ponitur in prædicamento, ſecus accidens. Hinc patet ad probationem conſequentiæ, eiuſque confirmationem, differentia enim accidentis non præſcindit ab accidente, ſicuti præſcindit à ſubſtantia differentia ſubſtantiæ.

17. Ad quartum nego maiorem: quià differentia, quæ contrahit rationem accidentis, eamdem imperfectè contrahit, adeoque poteſt contrahere rationem, quam formaliter includit. Hoc enim eſt diſcrimen inter rationem vniuocam, & rationem analogam, quòd illa perfectè, iſta imperfectè contrahitur, vt conſtat ex noſtro tractatu de analogia nominum.

18. Ad vltimum: iam demonſtratum eſt quomodo ratio formalis inhærentiæ in omnibus accidentibus non ſit omnino eadem, ſicuti ratio ſani non eſt omnino eadem in medicina, & pulſu.

QVAE-

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Deus pertineat ad aliquod ex decem prædicamentis.

1. HVic diſputationi, quam de prædicamentis inſtituimus, imponit finem controuerſia, quæ eſt celeberrima apud Theologos cum Magiſtro in primo diſtinctione 8. & S. Thoma in prima parte quæ; 3. art. 5. an nimirum Deus, cuius nomine ſignificatur id, quo nihil melius cogitari poteſt; pertineat ad aliquam ex decem categorijs à Philoſopho recenſitis in lib. de prædicamentis.

2. Ratio dubitandi pro parte affirmante, quam ſequitur Schola Nominaliū cum Roberto Holchot, cæteriſque à Gabriele Vaſquez enumeraris diſp. 22. cap. prim. in prim. part. eſt primo; quia nihil obſtat perfectioni, quæ eſt in Deo infinita, quo minus collocetur in aliquo prædicamento, id enim non infert vllam mixturam vel labem in illa ſumma re, quæ eſt puriſſimus actus; quia omnis concretio, quæ naſcitur ex pluribus prædicatis ad prædicamentum ſpectantibus, eſt logica & formalis, quæ ſummæ ſimplicitati non opponitur: non eſt igitur, quare Deus non ponatur in prædicamentis perinde, vt res cæteræ. Addo, quod nihil aliud impulit Philoſophum ad huiuſmodi

cate-

categorias formandas, niſi ordo qui debet adhiberi in ſcientis parandis;cum ergo ad Philoſophum ſpectet Deum perindè vt cætera creata cognoſcere, neceſſe eſt aliquem locum Deo tribuere in prædicamentis.

3. Secundo: nullus eſt conceptus ſubſtantiæ ſuperior ſubſtantia prædicamentali; ſed conceptus ſubſtantiæ eſt prædicabilis de Deo, vt conſtat ex doctrina ſatis vulgari & vſitata apud Patres tam Græcos, quàm Latinos, qui videri poſſunt apud Suarium, ergo ſubſtantia prædicamentalis eſt prædicabilis de Deo, qui proindè ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ. Maior videtur certa, quia nullus eſt conceptus ſuperior conceptu ſubſtantiæ prædicamentalis, niſi conceptus entis, quò fit vt ſubſtantia ſit genus communiſſimum. Præter quam quòd Auguſtinus citatus à Gabriele Vaſquez ibidem eſt in ea ſententia, quod qualitas, quantitas,cæteraque metaphoricè ſolum dicantur de Deo, ſubſtantia vero dicatur propriè.

4. Tertio: vnum ex decem prædicamentis eſt eſſe relatiuum, ſed eſſe relatiuum conuenit Deo, ergo Deus eſt in aliquo ex decem prædimentis. Mi: probatur, tùm quòd Deus eſt vnus natura, & trinus Perſonis, quæ diſtinguuntur propter oppoſitionem relatiuam, vt conſtat ex omnibus Theologis: eſſe igitur relatiuum verè conuenit Deo: tum quòd Pater Æternus, qui eſt verus Deus, ſine vlla metapho-

igitur; vt Deus collocetur in aliquo prædicamento. Addo, quòd Deus non poteſt eſſe in prædicamento accidentis, quia repugnat enti ſimpliciſſimo quælibet concretio ex ſubſtantia & accidente; neque in prædicamento ſubſtantiæ, quia huiuſmodi ſubſtantia eſt ſubſtantia, quæ denominatur à cæteris prædicamentis, in quibus continentur omnia accidentia: vt oſtenſum fuit quæſtione 3. nu. 6. Cum igitur Deus non poſſit denominari ab aliqua forma accidentali ſibi phyſicè inhærente, conſequens eſt vt non ſpectet ad prædicamentum ſubſtantiæ. Hinc eſt, quòd Diuus Dionyſius in lib. de Diuinis Nominibus, Deum egrègiè vocat non tam ſubſtantiam, quàm ſuper ſubſtantiam, ad ſignificandam illam perfectionem ſubſtantiæ, quæ eſt in ſuprema ſubſtantia cæterarum ſubſtantiarum cauſa: eumdem loquendi modum adhibet frequentiſſimè Auguſtinus vbique paſſim, & præſertim in lib. de Trinitate. Huc etiam ſpectant plurima Patrum teſtimonia, a quibus recenſendis abſtineo, poſſunt enim videri apud Gabrielem Vaſquez loco indicato: vnde conſtat, apud Scholaſticos nunquam fuiſſe de huius rei veritate dubitatum.

7. Ad primum: dicendum non obſtare diuinæ perfectioni, quòd aliqua ratio abſtrahatur ab ipſo & Creaturis de vtriſque prædicabilis, vt ſatis conſtat ex argumento propoſito. Hinc tamen non ſequitur Deum eſſe collocandum in aliquo prædicamento, quia non omnis

con-

ſtractiſſimè accepta, quæ nullam inuoluit imperfectionem.

9. Ad tertium: concèdo ma: & diſt,mi: eſſe relatiuum relatione accidentali conuenit Deo nego mi: relatione ſubſtantiali còncedo mi: & nego conſequentiam. Non eſt dubium, quin ſint veræ relationes in Deo, auguſtiſſimum enim Diuinę Triadis myſterium habet in iſtis fundamentum. Huiuſmodi autem relationes non ſunt eius generis, cuius ſunt relationes, quæ conſtituunt vnum ex decem prædicamentis, quia iſtæ ſunt relationes accidentales vt apud omnes eſt certum, illæ verò ſubſtantiales.

10. Ad vltimum diſt. ma: id, de quo eſt verè prædicabile aliquid commune vniuocè, ſpectat ad prædicamentum: concedo ma: aliquid commune analogicè nego ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam. Nomina, quæ Deo tribuimus, ſignificant aliquid commune Deo & Creaturis analogicè non vniuocè, ideò non ſatis ſunt ad ponendum Deum in prædicamentis.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS

Vv DI-

DISPVTATIO DECIMA.

De poſt prædicamentis.

QVinque ſunt, de quibus agit Ariſtoteles in eo tractatu, quem poſtremum de prædicamentis ſcripſit, eumque inſcripſit poſt prædicamenta, quæ enim ibi continentur ſolent conſequi omnia, vel pleraque prædicamenta. Huiuſmodi ſunt *oppoſitio prius ſimul motus & habere*. Oppoſitio, prioritas & ſi multas aliqua ex parte conueniunt omnibus prædicamentis, vt ſatis conſtat: motus conuenit tantum quatuor, nimirum ſubſtantiæ, quantitati, qualitati & loco; habere autem perſpicuè conſequitur ipſam ſubſtantiàm. De oppoſitione hic tantum agemus, quià de cæteris ſermo erit cum eodem Ariſtotele in octo libris de phyſico auditu.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quid ſit et quotuplex ſit oppoſitio prædicamentalis.

1. DVplex datur oppoſitio: vna logica, alia phyſica, logica inuenitur in propoſitionibus, quæ opponuntur contradictorie, contrariè, ſubcontrariè, & ſubalternè: de hac oppoſitione actum à nobis fuit in ſum. p. 2. c. 5. n. 6.

2. Oppoſitio phyſica inuenitur in rebus, quæ aliquo oppoſitionis genere viciſſim opponuntur. Hæc oppoſitio vocatur prædicamentalis, quia omnes res, de quibus poteſt haberi ſcientia, collocantur in prædicamentis vt dictum eſt in diſp. 9 quæſt. 2. nu. 5.

3. Oppſitio prædicamentalis, quæ in præſentem controuerſiam cadit; vt ipſum nomen oſtendit, eſt aliqua rerum inter ſe repugnantia: atque adeò oppoſitio & repugnantia iuxta Boetium reciprocantur. Hinc oppoſitio, vt aiunt Conimbricenſes art. 1. quæſt. vnica in caput quintum de oppoſitis, eſt formaliſſime reſpectus vnius oppoſiti ad aliud, ex quo rudi conceptu oppoſitionis poteſt definiri oppoſitio iuxta doctrinam Boetij & cæterorum dialecticorum, hoc pacto. Oppoſitio prædicamentalis eſt relatio inter duo extrema ſimplicia, quæ in eadem re ſingulari ſimul ac reſ-

pectu eiuſdem eſſe non poſſunt: id enim,quod continetur in hac definitione, optimè quadrat in omnes ſpecies oppoſitionis, vt deinceps conſtabit. Addo,quòd hæc definitio ſatis explicat naturam oppoſitionis, quæ in eo formaliſſimè ſita eſt, quòd ea quæ viciſſim opponuntur, ab vna & eadem re pro eodem tempore & loco ſe excludunt,

3. Oppoſitionem prædicamentalem diuidit Ariſtoteles in quatuor ſpecies, nimirùm in oppoſitionem relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam his verbis, quæ habentur in cap. I. de oppoſitis. *Dicitur alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea, quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio & habitus, aut vt affirmatio & negatio.*

4. Ratio, propter quam oppoſitio prædicamentalis diuidatur in oppoſitionem relatiuam, contrariam,priuatiuam, & contradictoriam affertur à Conimbricenſibus ex doctrina Scoti hoc pacto; quæcùmque opponuntur oppoſitione prædicamentali, aut opponuntur tanquam ens cum ente, aut tanquam ens cum non ente: ea quæ opponuntur oppoſitione entis cum ente, vel ità opponuntur, vt vnum ſe habeat reſpectiuè ad aliud, & opponuntur relatiuè, vel ità opponuntur, vt maximè diſtent ſub eodem genere, & eidem ſubiecto viciſſim ineſſe poſſint, & opponuntur contrariè, ea verò quæ opponuntur tanquam ens cũ nõ ente,vel ità opponuntur,vt non ens quod oppo-

opponitur enti, ſibi determinet certum ſubiectum,cui debeat ineſſe forma, quam excludit, aut nullum ſubiectum determinet; ſi primùm: opponuntur priuatiuè, ſi ſecundùm: opponuntur contradictoriè: quæcumque igitur opponuntur oppoſitione prædicamentali, vel relatiuè, vel contrariè, vel priuatiuè, vel contradictoriè opponuntur.Solet hic à dialecticis diſputari, an conceptus oppoſitionis prædicamentalis ſit conceptus vniuocus vel analogus reſpectu cuiuſcumque oppoſitionis, ſed in hac controuerſia non vacat immorari, ea enim poteſt facilè expediri ex ijs, quæ diximus in diſp.8. quæſt. 2.num.8.

5. Ea,quæ opponuntur relatiuè ab Ariſtotele loco citato definiuntur eſſe,quæ hoc ipſum quod ſunt oppoſitorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet ad oppoſita. Hoc genus oppoſitionis reperitur inter duplum & dimidium; inter ſcientiam,& ſcibile,inter Patrem,& filium, quià omne duplum eſt alicuius dimidij duplum, omnis ſcientia eſt alicuius ſcibilis ſcientia, & omnis Pater eſt alicuius filij Pater. Hæc oppoſitio ſecundum aliquam analogiam inuenitur in tribus perſonis Auguſtiſſimæ Trinitatis, vbi docet fides eſſe veram & realem producentis & producti relationem, Pater enim æternus,qui producit filium,opponitur relatiuè eidem filio, & Pater qui ſimul cum filio ſpirat Spiritum Sanctum, opponitur relatiuè vna cum eodem filio Spiritui Sancto.

6. Ea, quæ opponuntur contrariè, ab eodem Philoſopho definiuntur, quæ *hæc ipſa quæ ſunt nullo modo ad ſe inuicem dicuntur, ſed contraria ſibi inuicem dicuntur*. Hæc oppoſitio inuenitur inter bonum & malum, inter album & nigrum, inter virtutem & vitium: bonum enim non dicitur mali bonum, ſicuti Pater dicitur filij Pater, adeòque non opponitur relatiuè malo, ſed ſolùm dicitur contrarium malo, adeòque opponitur contrariè malo. Hinc deducit Ariſtoteles contrarium bono eſſe malum; licet contrarium malo non ſit bonum. Ratio eſt manifeſta, quià virtus & vitiũ opponuntur contrariè, tanquam bonum & malum. Contrarium autem virtutis eſt vitium, contrarium vitij non eſt virtus, vnum enim vitium poteſt eſſe alteri contrarium; vt patet in vitio prodigalitatis & auaritiæ, quæ inter ſe opponuntur, ergò, &c. Ratio à priori huius doctrinæ eſt, quià omnis virtus moralis conſiſtit in quadam mediocritate, adeòque poteſt contra ipſam peccari per exceſſum, & defectum.

7. Priuatiuè opponuntur forma & carentia formæ circa idem ſubiectum, quod habet capacitatem habendi talem formam. Hæc oppoſitio inuenitur inter priuationem & habitum, nimirùm inter cæcitatem & viſionem; addit Ariſtoteles, quod poteſt ab habitu fieri tranſitus ad priuationem, licet non poſſit fieri tranſitus à priuatione ad habitum: vnde originem habuit illud proloquium: A priuatione ad habitum

bitum non datur regreſſus: quod iuxta doctrinam S. Thomæ in quæſtione de malo; debet ità intelligi, vt ab illa priuatione, quæ tollit non ſolùm actum, ſed etiam potentiam habendi actum, numquam detur regreſſus ad habitum, quod eſt indubitanter verum.

8. Ea opponuntur contradictoriè, vt inquit ibidem Ariſtoteles, quæ ſe habent ſicuti affirmatio & negatio, nimirùm ſicuti eſſe & non eſſe. Hæc oppoſitio inuenitur inter formam & carentiam formæ, nimirùm inter curſum & non curſum: Hinc eſt opponi contradictoriè, ea quæ ità opponuntur, vt vnum neget aliud. Dubium poteſt eſſe an oppoſitio contradictoria differat ab oppoſitione priuatiua. Ratio dubitandi eſt primò, quià oppoſitio priuatiua eſt oppoſitio, quæ datur inter formam & carentiam formæ, ſed oppoſitio quæ datur inter formam & carentiam formæ eſt oppoſitio contradictoria, quià vt dictum eſt, ità opponuntur ſicuti affirmatio & negatio, ergò oppoſitio contradictoria nihil differt ab oppoſitione priuatiua.

9. Secundò: priuatio formæ nihil aliud eſt quam ipſa carentia formæ, ergò oppoſitio priuatiua nihil aliud eſt quam oppoſitio contradictoria. Conſequentia probatur, quià oppoſitio priuatiua eſt oppoſitio, quæ datur inter formam & priuationem formæ, ergò ſi priuatio formæ nihil eſt aliud quam carentia formæ, nullum eſt diſcrimen inter oppoſitionem pri-

tiatiuam & oppoſitionem contradictoriam, quę eſt oppoſitio inter formam & carentiam formæ.

10. Tertiò, non poteſt explicari diſcrimen inter priuationem formæ & negationem formæ: ergo nullum eſt diſcrimen inter oppoſitionem priuatiuam, & oppoſitionem contradictoriam. Conſequentia eſt manifeſta, quià oppoſitio priuatiua eſt inter formam, & priuationem, contradictoria verò inter formam & negationem, ergò ſi priuatio nihil differt à negatione, nullum erit diſcrimen inter vnam & aliam oppoſitionem. Antecedens probatur, quià tàm priuatio, quàm negatio formæ eſt ipſum non eſſe formæ, ergò nullum eſt diſcrimen inter priuationem & negationem formæ.

11. Vltimo: oppoſitio contradictoria inter ea inuenitur, inter quæ nullum datur medium, ſed inter formam & priuationem nullum datur medium, ergò oppoſitio inter formam, & priuationem, adeòque oppoſitio priuatiua eſt ipſa oppoſitio contradictoria, ergò, &c. Min. probatur, quià inter lucem & tenebras, inter viſionem & cœcitatem nullum eſt medium; ſicuti enim aër vel eſt lucidus, vel tenebroſus, ità oculus vel habet facultatem videndi, vel eſt cœcus

12. His argumentis non obſtantibus dico cum Ariſtotele, cæteriſque philoſophis oppoſitionem priuatiuam eſſe realiter diſtinctam ab oppo-

oppoſitione contradictoria. Ratio eſt, quia oppoſitio inter formam & carentiam formæ præſcindentem à capacitate, vel incapacitate ſubiecti eſt diuerſa ab oppoſitione inter formam & carentiam formæ, quæ poſitiuè includit capacitatem ſubiecti, ſed oppoſitio contradictoria eſt oppoſitio inter formam & eius carentiam præſcindentem à capacitate ſubiecti, oppoſitio priuatiua eſt oppoſitio inter formam & carentiam non præſcindentem à capacitate ſubiecti, ergo vna oppoſitio eſt diuerſa ab alia. Hinc eſt, quòd omnis oppoſitio priuatiua infert oppoſitionem contradictoriam: è contrario non omnis oppoſitio contrardictoria infert oppoſitionem priuatiuam; quia carentia formæ includens capacitatem ſubiecti infert carentiam formæ præſcindentem à tali capacitate: carentia verò quę præſcindit à capacitate ſubiecti non infert priuationem, quæ includit hanc capacitatem; ſicuti eſt ſatis certum exemplo hominis inferentis conceptum animalis, & exemplo animalis non inferentis conceptum hominis, quià omnis homo eſt animal, non omne animal eſt homo ob eamdem rationem.

13. Hinc eſt oppoſitionem contradictoriam eatenus differre ab oppoſitione priuatiua, quatenùs differt carentia formæ, quæ includit in ſuo formali conceptu capacitatem ſubiecti à carentia formæ, quæ in ſuo formali conceptu præſcindit à capacitate ſubiecti, quià verò carentia

rentia formæ includens in ſuo formali conceptu capacitatem ſubiecti eſt formaliſſimè priuatio: & carentia formæ non includens in ſuo formali conceptu capacitatẽ ſubiecti eſt formaliſſimè negatio, vt dicemus ſuo loco: ideo illud eſt diſcrimen inter oppoſitionem priuatiuam & oppoſitionem contradictoriam, quod eſt inter priuationem & negationem, eſt autem apud omnes indubitatum priuationem multum differre à negatione: quidquid ſit illud, vnde priuatio à negatione differt, de quo nihil dicimus in præſenti, quià ad rem noſtram non ſpectat. Quid eſt magis certum quam in lapide non eſſe priuationem viſionis & ſimul eſſe negationem viſionis? quià nimirùm lapis nec videt, nec habet videndi capacitatem. Priuatio igitur & negatio ſunt formales negationes inter ſe diuerſæ. Eſt itàque certum oppoſitionem priuatiuam eſſe diuerſam ab oppoſitione contradictoria, neque vnam debere cum alia confundi.

14. Ex hac doctrina ſequitur id, quod in hac re apud Ariſtotelem eſt indubitatum, nimirum oppoſitionem contradictoriam eſſe talis naturæ, vt nullum exiſtat medium inter extrema, quæ opponuntur contradictoriè, adeoque de omni eo, de quo negatur vnum extremum oppoſitum contradictoriè alteri, debeat conſequenter affirmari aliud extremum. Ratio huius rei eſt ſatis manifeſta ex illo principio notiſſimo naturæ lumine, *quodlibet eſt, vel non eſt*,

ex

ex hoc enim principio ſequitur de quacumque re exiſtente, vel non exiſtente, poſſibili, vel impoſſibili negari vnum contradictorium, & affirmari aliud, non enim poteſt vtrumque affirmari, vel vtrumque negari. Ita de chimæra, quæ eſt aliquod impoſſibile, debet affirmari, vel negari vnum ex iſtis prædicatis, quæ ſunt in hac propoſitione diſiunctiua *chimæra eſt, vel non eſt*, & in alia ſimili *chimæra loquitur, vel non loquitur*. E contrario inter extrema oppoſita priuatiuè eſt inuenire aliquod medium, quia non eſt neceſſe de omni re, de qua negatur vnum ex iſtis extremis, affirmare conſequenter aliud, poteſt enim contingere, vt neque vnum, neque aliud conueniat ſubiecto, de quo formatur propoſitio: ità ſiſtendo in propoſito exemplo de chimæra, eſt falſum Chimæram videre, & ſimul eſt falſum Chimæram eſſe cæcam, quia neutrum prædicatum conuenit chimæræ, adeoque non poteſt legitimè inferri ex hoc antecedenti *Chimæra non videt*; Hoc conſequens, *ergo Chimæra eſt cæca*, chimæra enim neque videt, neque eſt cæca. Ex quo diſcurſu conſtat, quid ſit dicendum ad rationes dubitandi pro parte oppoſita.

15. Ad primam patet ex dictis, oppoſitio enim priuatiua eſt inter formam, & carentiam non qualemcumque, ſed priuatiuam eiuſdem formæ. Oppoſitio verò contradictoria eſt inter formam, & carentiam eiuſdem formæ præſcindēdo à capacitate ſubiecti, à qua nō præſcin dit

dit carentia priuatiua. Præterea oppoſitio priuatiua infert contradictoriam: oppoſitio verò contradictoria non infert priuatiuam; non eſt igitur vtriuſque par ratio.

16. Ad ſecundam: non eſſe formæ poteſt duobus modis intelligi, nimirum non eſſe includens capacitatem formæ, & non eſſe præſcindens à tali capacitate; vnum non eſſe differt eſſentialiter ab alio non eſſe, vt eſt manifeſtum: illa igitur oppoſitio, quæ eſt inter eſſe formæ, & vnum non eſſe formæ eſt longè diuerſa ab alia oppoſitione, quæ eſt inter eſſe formæ, & aliud non eſſe formæ. Huiuſmodi oppoſitio inuenitur in oppoſitione priuatiua, & contradictoria, vna igitur ab alia differt.

17. Ad tertiam: quid interſit inter negationem, & priuationem, non eſt huius inſtituti diligentiùs diſcutere. Ad rem præſentem ſatis eſt priuationem differre à negatione: vnde ſequitur oppoſitionem, quæ datur inter formam, & negationem, eſſe diuerſam ab oppoſitione, quæ datur inter formam, & eius priuationem.

18. Ad vltimam: inter extrema oppoſita priuatiuè datur medium ſaltem negatiuum, quid quid ſit de medio poſitiuo, quod arguens intendit, quia plura ſunt de quibus poteſt verè negari vtrumque extremum ex ijs, quæ opponuntur priuatiuè; quod non contingit in extremis oppoſitis contradictoriè.

QVAE-

QVAESTIO II.

Vtrum oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima.

1. Videtur non eſſe: primo, quia oppoſitio relatiua eſt maior oppoſitione contradictoria, ergo oppoſitio contradictoria non eſt omnium maxima. Antecedens probatur, quia oppoſitio relatiua infert realem diſtinctionem, quam non infert contradictoria, vt patet in diuinis, vbi ex oppoſitione relatiua inter perſonam producentem, & productam infertur realis vtriuſque diſtinctio: ex oppoſitione contradictoria inter rem, quæ communicatur, & rem, quæ non communicatur non infertur realis vtriuſque diſtinctio, ergo &c.

2. Secundò: cæteræ oppoſitiones includunt oppoſitionem contradictoriam, vt patet præſertim in oppoſitione priuatiua, ergo ſaltem oppoſitio priuatiua eſt maior contradictoria. Conſequentia patet, quia oppoſitio, quæ præter oppoſitionem contradictoriam aliquid aliud includit, eſt maior oppoſitio: huiuſmodi eſt priuatiua, ergo &c.

3. Reſp. nullam eſſe oppoſitionem, quæ in genere oppoſitionis poſſit comparari cum oppoſitione contradictoria, adeoque hanc eſſe om-

omnium maximam. Ratio à priori deſumitur ex conceptu tum oppoſitionis in genere, tum oppoſitionis contradictoriæ. In genere oppoſitionis ea eſt ſũma, quæ eſt inter extrema ſummè diſtantia. Huiuſmodi eſt contradictoria, quia inter extrema oppoſita contradictoriè eſt ſumma diſtantia, ſicuti enim affirmatio vnius infert negationem alterius, ità negatio vnius infert affirmationem alterius, vt patet ex quæſtione prima nu. 14. eſt igitur ſumma in genere oppoſitionis oppoſitio contradictoria. Tanta oppoſitio non inuenitur in oppoſitione priuatiua, de qua poteſt dubitari an ſit tanta quanta eſt contradictoria, quia licet affirmatio vnius extremi oppoſiti priuatiuè inferat negationem alterius, tamen negatio vnius non infert alterius affirmationem, vt patet: ergo, &c.

4. Ad primum dico oppoſitionem contradictoriam eſſe argumentum realis diſtinctionis non minus, quam oppoſitio relatiua, quia, vt docui diſputatione 3. q. 3. nu. 7. prædicata contradictoria inferunt realem diſtinctionem, vel in ſe, vel in tertio: ità oppoſitio contradictoria inter eſſentiam diuinam communicatam Verbo, & Paternitatem eidem non communicatam datur diſtinctio realis non in ſe, ſed in tertio, vt fides docet, quia paternitas, & eſſentia diuina diſtinguuntur realiter in Verbo ob realem diſtinctionem Patris à Verbo, & realem identitatem eſſentiæ diuinæ cum ipſo Verbo. Addo, quòd oppoſitio relatiua eatenus infert realem

diſtin-

diſtinctionem quatenus includit oppoſitionem contradictoriam, vt ſatis conſtat ex notione terminorum, adeoque argumentum retorquetur.

5. Ad ſecundùm tranſmiſſo quamcumque oppoſitionem eſſe talis naturæ, vt includat contradictoriam non propterea ſequitur omnẽ oppoſitionem eſſe maiorem contradictoriam, quia neceſſe eſt ad intelligendam maiorem, vel minorem oppoſitionem, comparare vnam cum alia, ſumendo vnam ſeorſim ab alia ſaltem in ſtatu præciſionis, alioquin comparatio nulla prorſus eſt.

Digitized by Google

DISPVTATIO VNDECIMA.

In Libros Perihermenias.

DVos libros ſcripſit Ariſtoteles de Interpretatione, in quibus copioſè agit de ſecunda intellectus operatione, quæ tanquam forma Logica conſtituit ens benè definitum diuiſum, & enunciatum, quod cum eodem Piloſopho ſtatuimus obiectum logicæ. In his libris multus eſt Ariſtoteles agendo de vocibus, de nomine, verbo, qualitate, quantitate, & oppoſitione propoſitionum. Nos agemus de vocibus, de veritate & falſitate, quę vocatur proprietas propoſitionis, cætera enim in Summulis tractauimus.

QVAESTIO I.

An voces ſint ſigna naturalia conceptuum, et rerum.

1. SCiendum primò, voces alias eſſe imperfectas, quæ ſunt communes omnibus anima-

Digitized by Google

animalibus ad exprimendos affectus interiores doloris, & gaudij; huiuſmodi ſunt gemitus, & ſuſpiria inſtituta à natura ad ſignificandā animi ægritudinem. Aliàs verò eſſe perfectas, quibus ſolemus aperire noſtræ mentis conceptus has voces formare vni homini conuenit, qui eſt animal omnium præſtantiſſimum propter mentem, vndè à cæteris ſecernitur: rationem acutiſſimam affert Ariſtoteles in primo Politicorum cap. 2. quia poſſe formare voces perfectas, quod eſt formaliſſimè poſſe loqui eſt medium neceſſarium ad vitam ſocialem, & perfectè ciuilem ergo natura, quæ omnibus prouidet media ad conſequendum finem neceſſaria, debuit ſolis hominibus dare facultatem loquendi, adeoque formandi voces perfectas, quia homo à Philoſopho ibidem vocatur animal politicum, & ſociale. Antecedens probatur, quia poſſe loqui eſt poſſe ſignificare vtile, & nociuum, iuſtum, & iniuſtum, verum, & falſum, ſed vita ciuilis quæ ſpectat ad hominem, conſiſtit formaliſſimè in mutua communicatione, quæ fit per actiones iuſtas vtiles, & veras, ergò poſſe loqui eſt medium neceſſarium ad vitam ciuilem, & ſocialem. De vocibus imperfectis non erit in præſenti ſermo, tùm quia nihil conducunt ad ſciendam veritatem propoſitionum, tùm quia eſt certum fuiſſe à natura inſtitutas ad ſignificandos naturales affectus animalium.

2. Sciendum ſecundò á S. Auguſtino in lib. 2. de Doctrina Chriſtiana definiri ſignum eſſe

id, quod præter cognitionem ſui, quàm ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Notandum hic eſt non fuiſſe mentem Auguſtini definire ſignum in genere, ſed ſolum ſignum ſenſibile ea de cauſa, quia ſignum ſenſibile eſt maximè notum, & facilè eſt intellectui à re nota peruenire ad rem ignotam: ſignum igitur in genere, prout abſtrahit à ſigno ſenſibili eſt illud, quòd eſt inſtitutum ad inducendã potentiam cognoſcitiuam in alterius rei cognitionem, vndè infertur, non omne id, quod inducit in cognitionem alterius eſſe illius ſignum ideò Natura Diuina, in qua Beati vident omnes Creaturas, non eſt ſignum Creaturarum. Ratio eſt, quia Natura Diuina non eſt ordinata ad Creaturas, eſt enim ens abſolutum, & independens.

3. Sciendum tertio aliud eſſe ſignum formale, aliud inſtrumentale: ſignum formale eſt ipſa cognitio hoc eſt illa forma, qua formaliter cognoſcimus obiectum: ſignum inſtrumentale eſt aliquid à cognitione diſtinctum, quod inducit in cognitionem alterius rei. Hoc ſignum aliud eſt cognitum, quod nimirum eſt ita inſtitutum, vt per cognitionem ſui inducat in cognitionem alterius: aliud eſt incognitum, ſicuti ſunt ſpecies intentionales, quæ non cognoſcuntur, & inducunt intellectũ in cognitionem obiecti diſtincti. Præterea ſignum cognitum aliud eſt inſenſibile, quod propter immaterialitatem non ſubiacet ſenſibus; aliud ſenſibile,

bile , quod ſenſibus repræſentatur , ita docent Theologi Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia gratiæ . Hoc ſignum ſenſibile aliud eſt naturale , quod nimirum naturaliter ſignificat : ita fumus eſt ſignum naturale ignis , aliud eſt ſignum ad placitum , quod nimirum vſurpatur à libera voluntate hominum ad aliquid ſignificandum . Huiuſmodi ſignum aliud eſt ſignum ex conſuetudine, quod nimirum vſus inualuit, vt aliquid ſignificaret , ita ſonus aeris Campani ſignificat ex conſuetudine principium lectionis : ſignum ex pacto eſt illud , quod inducit in cognitionem alterius rei dependenter à pacto, ſiue obligatione .

4. Sciendum vltimo modum , quo formatur cognitio in mente humana eſſe huiuſmodi , vt copioſius explicabimus in libris de Anima . Primò res materialis obijcitur intellectui medio Phantaſmate , & ab intellectu agente formatur ſpecies intelligibilis , quæ vocatur ſpecies impreſſa , tùm quia eſt imago obiectiua illius rei, cuius eſt ſpecies , tum quia imprimitur in Anima , quæ informata tali ſpecie producit aliam ſpeciem , quæ vocatur ſpecies expreſſa, qùia eſt ipſa formalis expreſſio , ſiue formalis imago obiecti . Intellectus enim per cognitionem cognoſcit obiectum ſibi propoſitum , quæ cognitio eſt ſpecies expreſſa obiecti , quia repræſentat obiectũ , adeoque eſt ſignum formale obiecti, vocatur etiàm conceptus mentis,quia cõcipitur in mente : vocatur verbum mentis , per

quod Anima ſibi quodammodo loquitur eodem modo, quo Deus (ſi parua licet componere magnis) loquitur ſibi producendo verbum diuinum, quod eſt Verbum mentis Diuinæ. Hæc eſt tota machina adhibita ab intellectu elaborante Imagines intentionales ſiue formalia ſigna illarum rerum, quas poteſt habere animo inſculptas propter illam virtutem ſecundùm quid infinitam, per quàm poteſt fieri omnia: quia verò homo eſt animal politicum, & ſociale, idcircò debet habere modum ſignificandi alijs res per conceptus repræſentatas, ad hoc præſtandum opus habet alio artificio, quærere enim debet aliqua ſigna ſenſibilia, quę præter cognitionem ſui inducere poſſint in cognitionem conceptuum, & rerum, quæ conceptibus repræſentantur. Huiuſmodi ſigna ſunt voces, per quas hominibus nobis præſentibus repręsētamus conceptus noſtræ mentis, & vocibus ſubſtituuntur characteres, per quos delineatos in paginis loquimur cum abſentibus.

5. Hæc omnia ſunt certa: quæſtio eſt in præſenti vtrum voces ſit ſigna tantum conceptuum mentis, an verò conceptuum, & rerum, quarum conceptus ſunt imagines. Præterea vtrum ſint ſigna naturalia, vel ad placitum ex conſuetudine, vel pacto.

6. Dico primo: voces ſunt ſigna inſtrumentalia, tàm conceptuum loquentis, quam rerum, quæ per conceptus repræſentant.

7. Ratio eſt euidens, quià voces inducunt

in

in cognitionem, tàm conceptuum, quàm rerum: ergo ſunt ſigna conceptum, & rerum: antecedens probatur: eo ipſo, quod aliquis audit loquentem, ſtatim intelligit eſſe in loquente voluntatem ſignificandi illud, ad quod ſunt inſtitutæ voces, quibus vtitur, ſed hoc intelligendo venit in cognitionem, tàm rei per vocem ſignificatæ, quàm conceptus. quem formauit de illa re qui loquitur: neque enim poteſt aliquis habere voluntatem ſignificandi id, quod ſignificatur per hanc vocem *Panis*, niſi formet conceptum, qui repræſentet Panem, ergo quicumque cognoſcit eſſe in loquente voluntatem ſignificandi illud obiectum, quod exprimitur per hanc vocem *Panis* cognoſcit eſſe in loquente conceptum repræſentantem panem ergo audita voce *Panis* ſtatim venimus in cognitionem rei ſignificatæ per hanc vocem, & conceptus loquentis. Hinc eſt, quod voces quibus homines vtuntur, habent duplicem reſpectum, vnum ad obiecta ad quæ ſignificanda ſunt inſtitutæ, alium ad conceptus in mente loquentis formatos.

8. Dico secundo: voces ſignificant immediatè conceptus, & res: ſed conceptus vt quo & res vt quod. Hanc ſententiam expreſsè docet Ariſtoteles in primo Perihermenias, & S. Thomas in prima parte quæſt. 27. art. 1.

9. Prob. prima pars: illud immediate àvocibus ſignificatur per quod reſpôdetur interroganti quid ſignificet aliqua vox, ſed interroganti quid

 ſigni-

ſignificet aliqua vox, reſpondetur ſignificare, tam conceptus mentis, quàm rem ſignificatam per huiuſmodi conceptus, ergo voces immediatè ſignificant conceptus, & res. Minor probatur: ſupponamus ab aliquo proferri vocem græcam, quæ ſignificet panem: eo ipſo, quod ille, qui ignorat linguam Græcam audit huiuſmodi vocem, ſtatim interrogat quid velit intelligi, dum talem vocem pronunciauit, ſed interrogare loquentem, quid velit intelligi per talem vocem, eſt formaliſſimè interrogare quid ipſe intelligat hoc eſt quam rem habeat in mente, dum taliter loquitur, ergo qui ignorat linguam græcam, & audit vocem græcam vult ſcire à loquente, quid ipſe intelligat, dum talem vocem pronunciat, ſed non poteſt huiuſmodi interrogationi ſatisfieri, niſi dicat, qui loquitur ſe habere in mente conceptum repræſentatiuum talis rei: ergo &c.

10. Confirmatur, quià ſi voces non ſignificarent immediatè conceptus, & res, ſequeretur non poſſe reddi rationem, propter quàm mendacium ſit eſſentialiter illicitum; patet, quià mentiri ideo eſt inhoneſtum, vt docet S. Thomas, quià quicumque mentitur, violat contractum, quem fecit cum audiente de manifeſtandis ſuis conceptibus, dicit enim Auguſtinus, quod mentiri eſt contra mentem ire, ſed hoc totum rueret, ſi voces non ſignificarent immediatè conceptus loquentis, quià in tantum frangitur contractus per mendacium in quantum fit

con-

contractus per locutionem, ergo quicumque loquitur, in tantum facit contractum de reuelandis ſuis conceptibus, in quantum adhibet voces, quæ ſignificant immediatè conceptus.

11. Probatur ſecunda pars: quicumque audit aliquam vocem à loquente formatam, non ſiſtit in cognitione illius conceptus, qui eſt in animo loquentis, ſed pergit ad cognoſcendam rem ſignificatam per conceptum, tanquam per ſignum formale, & per vocem tanquam per ſignum inſtrumentale, vt patet experientia, quicumque enim audit hanc vocem *Panis* non ſolum intelligit conceptum Panis, qui eſt in mente loquentis, ſed etiam Panem, qui eſt in rerum natura.

12. Hinc eſt, quod voces, licet immediatè ſignificent conceptus, & res, potiori iure ſunt ſigna rerum, quàm conceptuum. Ratio eſt, quià voces ſunt ſigna conceptuum, vt quo, & rerum, vt quod, quià patet experientia, quod ille, qui perfectè nouit linguam latinam ſtatim audita aliqua voce latina experitur excitari in mente ſua imaginem obiecti ſignificati per talem vocem, quin aduertat in loquente eſſe conceptum eiuſdem expreſſiuum.

13. Dico tertiò: voces ſunt ſigna ad placitum, ex aliquo pacto dependenter à voluntate illius, qui inſtituit aliquam linguam.

14. Ad huius euidentiam notandum eſt dubium non eſſe, an voces ſint ſigna ad placitum, quià hæc vox *Panis* non eſt inſtituta a

natura ad ſignificandum panem potius quam à lapidem, ſicuti fumus naturaliter ſignificat ignẽ potius quam non ignem, quià viſo fumo vnuſquiſque ſiue latinus, ſiue græcus, ſiue hebræus ſtatim cognoſcit ignem : at non omnes nationes audita hac voce *panis* intelligunt panem. Hinc eſt quod pendet à libera voluntate hominum, quod iſta vox ſignificat panem.

15. Quià verò ſigna ad placitum alia ſunt ex conſuetudine, quæ ſine vllo pacto ſignificant: alia ſunt ex pacto, quià habent vim ſignificandi dependenter ab aliquo pacto, quod homines fecerunt de vſurpando tali ſigno ad ſignificandam determinatè aliquam rem. Ideò in noſtra concluſione dictum eſt voces eſſe ſigna rerum dependenter à pacto, adeoque virtutem ſignificandi, quæ inuenitur in vocibus habere originem ex aliqua obligatione, quod in præſenti eſt demonſtrandum.

16. Quod vt melius intelligatur, notandum eſt voces alias eſſe incomplexas, alias complexas, incomplexæ ſunt nomina, & verba ſeorſim accepta, quæ non ſignificant verum, vel falſum, vt dictum eſt in ſummulis. Complexæ ſunt integrę propoſitiones, quæ ſignificant verum, vel falſum - Huiuſmodi voces, tam complexas, quàm incomplexas neceſſe eſt inueniri in quacumque lingua. Ratio à priori, eſt, quià qualibet lingua eſt inſtituta, vt homines ſignificent conceptus ſuos ergo ſicuti dantur aliqui conceptus ſimplices, per quos, neq; verũ neq; fal-

ſum

ſum dicimus, & dantur alij conceptus compoſiti, quibus verum, vel falſum dicimus: ita in quacumque lingua debent eſſe voces incomplexæ, quæ neque verum, neque falſum ſignificent; & voces complexæ, quæ verum, & falſum ſignificant.

17. Voces complexas ſignificare verum, & falſum dependenter ab obligatione, quæ naſcitur ex pacto, quod cōtrahitur inter loquentem, & audientem eſt manifeſtum, quia nemo eſt, qui dum ſeriò loquitur non poſtulet ſibi credi, ſicuti nemo eſt, qui dum audit loquentem velit decipi, hoc enim eſt commune omnibus gentibus, & omnibus populis, cuius euidentiſſimum argumentum eſt quod nemo vult contemni, exiſtimat autē ſe cōtemni, qui dum loquitur redarguitur tanquam mendax, hoc eſt tanquam indignus fide. Ideò vnuſquiſque ſolet iraſci audito illo verbo *Mentiris*; hæc ira, quæ ab Ariſtotele dicitur eſſe appetitus vindictæ naſcitur ex opinione contempus. Prætereà eſt certum, quod nullus poteſt iuſte poſtulare ſibi credi, dum loquitur, niſi loquendo ſe obliget ad dicendum verum. Ratio à priori eſt, quià omnis contractus debet eſſe vtrinque onerosus, a iter non ſeruatur æqualitas, quàm debet ſeruare iuſtitia, ſed huiuſmodi contractus, qui per locutionem contrahitur, non eſſet vtrinque onerosus, ſi loquens obligaret audientem ad habendam ſibi fidem, & ipſe non obligetur ad non mentiendum ſiue ad non decipiendum me-

dia

dia locutione audientem, ergo quicumque loquitur, eo ipſo, quod vult ſeriò loqui, obligat ſe, adeoque facit pactum non mentiendi, ſed eo ipſo, quod facit huiuſmodi pactum obligat ſe ad adhibendas, voces complexas, quæ ſignificent rem aliquam ita eſſe ſicuti credit eſſe, ergo voces complexæ ſignificant verum, vel falſum dependenter ab obligatione, quæ naſcitur ex pacto inter loquentem, & audientem hoc pactum fundatur in natura locutionis, quæ ordinatur ad vitam ſocialem, idcirco eſt commune omnibus hominibus: fundatur enim in dictamine impreſſo à Deo cuicumq; naturæ rationali, *quod tibi non vis alteri ne feceris*, & quia nemo vult errare, ita nemo debet inducere alios in errorem. Hinc colliges mendacium eſſe eſſentialiter illicitum, vtpotè maxime nociuum humanæ ſocietati, quià per mendacium quodammodo adulterantur voces, quas adhibemus in omnibus contractibus.

18 Præterea oſtendendum eſt quomodo voces incomplexæ, quæ neque verum, neque falſum ſignificant, ſint ſignificatiuæ rerum dependenter à pacto, ſeù obligatione. Certum eſt, quod ſicuti ad bonum commune ſiue ad communem felicitatem promouendam neceſſe eſt dari Principem ſiue Legiſlatorem, qui habeat authoritatem determinandi valorem pecuniæ, adeoque habeat authoritatem obligandi omnes ſubditos, vt tanti æſtiment pecuniam, quanti iudicat ipſe eſſe æſtimandam, ita ad pro-

promouendum bonum vitæ ſocialis, neceſſe eſt dāri aliquem authorem linguæ, ad quem ſpectat determinare, quid intelligendum ſit per vnam vocem, quid per aliam, ita vt ſuppoſita iſta determinatione non ſit liberum loquenti vſurpare hanc vocem ad ſignificandum obiectum diſtinctum ab alio, cuius ſignificatio fuit determinata. Ita omnes, qui volunt loqui latinè obligantur ad vtendum hac voce *lapis* dum volunt ſignificare lapidem. Hinc patet, quod licet vnus Populus non teneatur obſeruare leges alterius Populi, nihilominus tenetur obſeruare pactum adhibendo voces vſurpatas ab authoribus alienæ linguæ, ſi velit alieno idiomate loqui.

19. Quod ſi quæratur in quo conſiſtat hoc pactum, vnde naſcitur voces habere virtutem ſignificandi: dico tale pactum eſſe huiuſmodi. Authores habuerunt hanc voluntatem vt omnes audita hac voce *Panis* ſimul cum ſpecie huius vocis formarent in mente aliam ſpeciem panis, ita vt viſo pane ſtatim formetur quædam ſpecies complexa ex ſpecie repræſentante hanc vocem, & ſimul ex ſpecie repræſentante panem, Hoc pacto inito vnuſquiſque, qui vult addiſcere linguam latinam, & deinde latine loqui, obligatur ad formandas ſpecies complexas, quæ repræſentent, tam rem ſignificatam per vocem, quàm ipſam vocem. Hinc eſt primo totam difficultatem, quàm experimur in addiſcenda lingua latina in eo con-

ſiſtere

ſiſtere, quod debemus alsueſcere ad formandam ſpeciem vtriuſque expreſſiuam, donec ſtatim audita voce excitetur ſpecies rei, ad quã ſignificandam fuit illa vox vſurpata. Secundò redditur ratio, cur ille, qui ignorat linguam græcam audita voce græca non intelligat ſignificationem, quià ea audita format quidem in mente ſpeciem vocis, quam audit, ſed non format ſpeciem rei ſignificatæ per vocem.

20. Obijc. primò: ſi voces ſignificarent ad placitum, eſſet liberum omnibus adhibere hanc, vel illam, vocem ad quamcumque rem ſignificandam: conſequens eſt apertè falſum, quià inde ſequitur humanum commercium perturbari, ergo & antecedens.

21. Reſp. nego ſequelam: ratio conſtat ex dictis; quià voces non ſunt ita ſigna ad placitum, vt earum ſignificatio pendeat à libera cuiuſcumque voluntate,, omnes enim tenentur vti illis vocibus, quæ fuerunt inſtitutæ à primis Authoribus linguæ, qui habuere authoritatem vſurpandi voces ad hanc potius, quàm ad illam rem ſignificandam.

22. Obijc. ſecundo: locutio eſt quidam contractus ſocialis inter loquentem, & audientem, ergo ſignificatio vocis fundatur in pacto loquentis, ergo eſt liberum loquenti adhibere quamcumque vocem ad ſignificandum id, quod vult ſignificare.

23. Reſp. Concedo antecedens, & diſtinguo conſeq: fundatur in loquentis pacto libe-

ro loquenti: nego conſequentiam: non libero loquenti, concedo conſequentiam, locutio eſt quidam contractus ſocialis inter loquentem, & audientem vnicuique liber, quià vnicuiq; eſt liberum loqui, vel non loqui, ſed hic contractus fundatur in obligatione mutua ex parte loquentis ad non decipiendum auditorem, & ex parte audientis ad fidem habendam loquenti, quià poſito, quod aliquis velit loqui non eſt ſibi liberum ſe obligare, ſeù non obligare ad dicendum verum. Cæterum, quantum ad illud pactum, quod conſiſtit in tribuēda ſignificatione vocibus complexis, ex quibus fiunt complexæ non eſt liberum loquenti formare, vel non formare huiuſmodi pactum poſito, quod velit loqui, quià tenetur vti vocibus inſtitutis ab authoribus linguæ ad aliquam rem ſignificandam.

24. Obijc. tertiò: voces naturaliter ſignificant, ergo non ſignificant ad placitum: antecedens probatur primò, quià poſſunt ſapienter nomina imponi rebus, vt patet ex ſacris literis, præſertim Geneſis ſecundo, vbi dicitur fuiſſe ab Adamo impoſita nomina proportionata omnibus animalibus, quod verum non eſſet, ſi voces non haberent naturalem vim ſignificandi vnam rem potius, quàm aliam. Secundo, quià plurimæ inueniuntur voces in lingua præſertim latina, quæ habent multam proportionem cum rebus ſignificandis. Secundò, quià natura prouidit animalibus voces imper-

ſictas, quę naturaliter ſignificant affectus internos, ergo debuit etiam hominibus prouidere voces, quæ naturaliter ſignificarent tam conceptus, quam res.

25. Reſp. Nego antecedens: ad eius probationem retorqueo argumentum, ſi enim fuerunt animalibus impoſita ad Adamo nomina, ſine dubio fuit liberum eidem Adamo dare huic animali nomen leonis, & alteri nomen equi, ergo voces non ſignificant ex natura ſua, ſed ſolum ex libera hominum voluntate. Secũdò dico poſſe dari aliqua nomina,quę habent peculiarem cõſonantiam potiùs cum proprietatibus vnius animalis, quàm cum alterius. Ideò opus fuit ſingulari ſapientia, quæ erat in Adamo tanquam humani generis capite ad tribuenda nomina animalibus ſummæ conuenientia; ſicuti experimur in plurimis vocibus proportionem cum illis rebus, ad quas ſignificandas vſurpantur: ita dicimus æris campani tinnitum, equi hinnitum, turbarum clagorem, & ſtridorem catenarum, aliaque id genus,quibus addi poſſent alia nonnulla, quæ vt eleganter ait Auguſtinus in c. 3. de principiis Dialecticæ lenitate, vel aſperitate literarum aliquatenus imitamur: non propterea ſequitur non potuiſſe loco iſtarum vocum adhiberi alias voces ad eaſdem res ſignificandas; vnde patet quid ſit dicendum ad primam, & ſecundam probationem. Supereſt argumentum deſumptum ex animalibus, quibus natura prouidit voces ſignificati

cati

câtiuas naturaliter affectuum internorum, dico eſſe magnam diſparitatem, quià ſicuti natura non dicitur fuiſſe hominibus improuida, & animalibus prouida, eo quod hominem formauit nudum, & inermem, cum cætera animalia naſcantur armata,& veſtita,quià hominibus dedit mentem, & manum, quam acute Ariſtoteles vocat inſtrumentum omnium inſtrumentorum, vnde poſſunt homines fabricare ſibi indumenta, & arma neceſſaria ad vitam conſeruandã.Ita melius actũ eſt à natura cum hominibus,relinquendo illis liberũ eligere ex infinitis vocibus vnam potius, quàm aliam ad reuelandos conceptus mentis: Vbi eſt diligenter obſeruandum mirabile ingenium naturæ, quæ hominem diligit vſque ad delicias, ea enim ſemper habuit hanc conſuetudinem, vt cum homine ageret tanquam cum Domino, & cum cæteris animalibus tanquam cum ſeruis: ſicuti enim ſeruus non eſt ſui iuris, adeoque nihil relinquitur eius arbitrio ſtatuendum, dominus verò, qui eſt liber adeoque iuris ſui, habet poteſtatem faciendi quidquid vult, ita relinquitur à natura determinandum voluntati, & electioni hominum, quod in alijs animalibus fuit determinatum ab ipſa natura,in quo relucet libertas, & dignitas naturæ humanæ.

26. Obijc. quartò: ſi voces eſſent ſigna conceptuum, & rerum dependenter à voluntate humana ſequeretur, quod voces conſtituerentur ſignificatiuæ pervoluntatem humanam obligan-

gantem cæteros ad illas adhibendas : conſequens eſt falſum, ergo & antecedens : Minor probatur, quia non poteſt aſſignari obiectum huius voluntatis.

27. Reſp. Concedo maiorem, & nego minorem: argumentum petit doctrinā aliunde petendam nimirum quid ſit voluntas, qua obligantur homines in omnibus contractibus, videlicet quando vendunt, emunt, & donant, de quibus copioſè agunt Theologi, tum in tractatu de iuſtitia, & iure, tum in tractatu de pœnitentia, idcirco non eſt mihi neceſſarium tractare in logica hanc controuerſiam valde implexā, in qua inutiliter plurimi authores laborarunt. Nobis enim ad rem præſentem ſatis eſt ſupponere rem omnibus euidentiſſimā videlicet dari voluntatem obligantem quidquid ſit de obligatione huius volūtatis. Suppoſito igitur, quod dantur plurimæ voluntates obligantes, euidens eſt voces eſſe ſignificatiuas dependenter ab illa voluntate, qua authores linguæ voluerunt obligare quemcunque hominem ad illas voces adhibendas, dum volunt ſignificare ſuos conceptus.

28. Ne tamen videar declinare potius quā ſoluere difficultatem propoſitam de obiecto voluntatis aſſumentis aliqnam vocem ad ſignificationem certæ, & determinatæ rei, dico voces formales conſtitui ſignificatiuas in actu primò per denominationē extrinſecam à libera voluntate authoris linguæ nondum retractata, adeoque

que moraliter manente, ſicuti dicitur valor pecuniæ conſtitui formaliter per voluntatem Principis determinantis pretium pecuniæ. Quod ſi quæratur obiectum illius voluntatis, per quam; iſta vox conſtituitur formaliter ſignificatiua, ſiue habens virtutem ſignificandi, dicò eſſe ſignificationem in actu ſecundo, quæ non debet vlterius explicari, quia eſt omnibus nota; in eo enim conſiſtit quod audita voce *Panis* intelligatur ab audiente potiùs panis, quam lapis; ratio huius eſt, quia author linguæ eo ipſo, quod voluit obligare audientem ad intelligendum panem, audita voce *Panis*, formaliter per ſuam voluntatem conſtituit hanc vocem in actu primo ſignificatiuam eo modo, quo Sacerdos per intentionem, & voluntatem conſecrandi ponit in genere cauſæ efficientis Corpus Chriſti cum ſpecie panis, & ſimul cum hoc effectu à ſe producto conſtituit in genere cauſæ formalis Sacramentum, quod intrinſecè conſtitui per intentionem ſacerdotis ſuppono tanquam certum cum omnibus Theologis.

29. Obijcies vltimo: voces illud tantum ſignificant, pro quo tantum ſupponunt, ſed ſupponunt tantum pro rebus, ergo tantum ſignificant res. Minor probatur, quia quando affirmatur Petrum currere ly Petrus non ſupponit pro conceptu, ſed pro Petro tantum.

30. Reſp. nego ma. ſignum aliud eſt ſignificatiuum, & ſuppoſitiuum, aliud ſignificatiuum, & non ſuppoſitiuum. Voces reſpe-

ctu conceptuum ſunt ſigna ſignificatiua, quia vt oſtenſum eſt, ſignificant conceptus, non ſunt ſigna ſuppoſitiua, quia non ſupponunt pro conceptibus, vt optimè demonſtrat argumentum propoſitum.

QVAESTIO II.

Vtrum veritas ſit adęquatè intrinſeca actui vero.

1. NEmo poteſt quantum ego iudico prudenter dubitare, an denominatio veri, de qua in præſenti ſermonem habemus, poſſit in alios actus cadere, quam in illos, quibus intellectus negat, vel affirmat: vt conſtat ex noſtris ſummulis. Verum igitur de quo nunc agimus, eſt verum in genere cognitionis, ſiue verum veritate conformitatis cum obiecto, quià eſt indubitatum verum in genere entis, ſiue verum veritate tranſcendentali conuenire omnibus rebus, nihil enim eſt in rerum natura, quod non ſit verum in genere entis, quia omne id, quod eſt, eo ipſo quod eſt, verè eſt adeoque poteſt mouere intellectum ad cognitionem ſui. Hinc eſt actum intellectus, conſtitui verum per veritatem, & conſtitui falſum per falſitatem. Huiuſmodi veritas, & falſitas, alia eſt formalis, alia radicalis. Veritas formalis eſt ipſa formalis cōformitas propoſitionis cum

obiecto

obiecto, de hac veritate loquitur Ariſtoteles, dum ait in libris Perihermenias, ab eo, quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa: idcirco iſta propoſitio Petrus currit, verificatur formaliter per curſum Petri: E contrario falſitas formalis, eſt formalis difformitas propoſitionis ab obiecto: veritas radicalis eſt eſſentialis determinatio ad veritatem formalem, ſiue eſſentialis exigentia, quam habet actus, qui denominatur verus, vt obiectum eo modo ſit, quo affirmatur eſſe: falſitas verò radicalis eſt eſſentialis determinatio ad falſum formale, ſiue eſſentialis exigentia, vt obiectum ſit diuerſo modo, ac affirmatur à propoſitione. Propter hanc diſtinctionem diligenter obſeruandam inter verum formale, & verum radicale, docent communiter Theologi verba conſecrationis inſtituta à Chriſto ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ habere veritatem radicalem præſcindendo à præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & veritatem formalem habere formaliter per ipsā præſentiā Corporis Chriſti: ratio eſt euidens, quia hæc propoſitio *Hoc eſt Corpus meū* ſignificat præſētiā Corporis Chriſti ſub panis ſpecie, ergo eamdem præſentiam producit, quia verba, quibus conficitur Sacramentum, operantur illud ipſum quod ſignificant, ergo prædicta propoſitio producit id, per quod eſt formaliter vera. Conſequentia eſt euidens, quia eſt formaliter vera per realem præſentiam Corporis Chriſti,

ſed producit realem præſentiam Corporis Chriſti: ergo producit id, per quod eſt formaliter vera: rurſus eadem propoſitio habet eſſentialē determinationem ad verum formale, quia eſſentialiter exigit, vt ponatur Corpus Chriſti ſub ſpecie panis; aliter poſſent falſificari verba conſecrationis prolata à Sacerdote, qui habet facultatem, & voluntatem conſecrandi, quod eſt impoſſibile: ergo huiuſmodi propoſitio eſt vera radicaliter, antequam ſit vera formaliter. Patet conſequentia: hæc propoſitio exigit præſentiam Corporis Chriſti, per quam eſt vera formaliter; ergo antequam ſit vera formaliter, eſt vera radicaliter, ſiue exigitiuè: de hoc vero radicali loquutus eſt S. Thomas, dum ait verba Conſecrationis operari, quia vera, de vero formali loquutus eſt Scotus, dum ait eadem verba non operari, quia vera, ſed operari, vt ſint vera, adeoque conciliantur in hac materia iſti duo Doctores, qui videntur inter ſe contrarij.

2. Dubium, quod in præſenti quæſtione poteſt agitari, de qua agit Suarius diſp.8. metaphyſica ſect.2. Vaſquez in prima parte diſp. 76. c.2. Ruuius in lib. Perihermenias cap.4. q.3. Conimb. cap.1. qu.5. Hurtadus diſp.9. de anima ſect. 3. Arriaga diſp.14. logica ſect.1. dubium inquam eſt, an veritas ſit adæquatè intrinſeca actui vero, & falſitas adęquatè intrinſeca actui falso, quia eſt controuerſum, an aliquis actus verus potuerit eſſe falſus, & actus

falſus

falſus potuerit eſſe verus: qua ſuper re notandum eſt non eſſe idem, quod aliquis actus repræſentet obiectum, & repræſentet obiectum ſicuti verè eſt, illud enim eſt eſſentiale vnicuique actui, quia omnis cognitio procul dubio eſt imago obiecti, & habet ordinem eſſentialem ad ſuum obiectum, hoc verò an ſit eſſentiale eſt dubium, & inter authores controuerſum. Illi Philoſophi, qui docent eſſe eſſentiale actui vero repræſentare obiectum, ſicuti eſt, & actui falſo repræſentare obiectum aliter ac eſt, conſequenter docent diuiſionem actus in verum, & falſum eſſe diuiſionem generis in ſpecies, ſicuti diuiſio animalis in hominem, & equum eſt diuiſio generis in ſpecies: qui verò contrarium opinantur, conſequenter docent hanc diuiſionem eſſe diuiſionem ſubiecti in accidentia, ſicuti diuiſio hominis in album, & nigrum eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

3. Dico primo: veritas formalis non eſt adæquatè intrinſeca actui vero, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca.

4. Probatur: veritas formalis in ſuo formali conceptu includit cognitionem, & obiectum: ergo non eſt adæquate intrinſeca cognitioni. Conſequentia eſt euidens, quia cognitio non poteſt intrinſecè cōſtitui per obiectum, à quo realiter diſtinguitur: ergo denominatio veri formalis, quæ conſtituitur intrinſece per obiectum, non eſt adæquatè intrinſeca cognitioni. Antecedens primi argumenti probatur, quia

quia veritas formalis eſt formaliſſimè conformitas cognitionis cum obiecto, ſed conformitas cognitionis cum obiecto in ſuo formali cõceptu includit cognitionem, & obiectum, quia non poteſt intelligi huiuſmodi conformitas niſi obiectum intelligatur eſſe à parte rei eo modo quo affirmatur per propoſitionem, ergo &c.

5. Confirmatur, quia relatio ſimilitudinis conſtituitur intrinſece per vtrumq; parietem, quem includit in ſuo formali conceptu ipſa ſimilitudo, adeoq; eſt denominatio partim intrinſeca, & partim extrinſeca vni parieti, vt demõſtrabo in Metaph. in tractatu de relatione, ergo conformitas cognitionis cum obiecto, quæ eſt relatio ſimilitudinis conſtituitur intrinſecè per cognitionem, & obiectum, adeoque non eſt adæquate intrinſeca cognitioni, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca; eodem modo philoſophandum eſt de falſitate formali, quæ eſt diſformitas cognitionis ab obiecto, & conſtituitur per cognitionem, & obiectum.

6 Dico ſecundo: veritas radicalis ſi datur, eſt adæquate intrinſeca actui vero.

7. Probatur: veritas radicalis eſt determinatio eſſentialis ad veritatem formalem, ſed eſſentialis determinatio ad veritatem formalem, ſi datur, eſt adæquate intrinſeca actui vero: ergo veritas radicalis, ſi datur, eſt adæquatè intrinſeca actui vero. Minor probatur, quia ſi datur aliquis actus, qui habet eſſentialem determinationem ad verum formale, de eſſentia

huius

huius actus eſt exigere verum formale, ſiue exigere, vt obiectum eo modo ſit, quo affirmatur eſſe, ſed eſſentialis determinatio ad verum formale ſi eſt de eſſentia actus, eſt illi adæquate intrinſeca, quia nihil eſt magis intrinſecum alicui rei, quam eius eſſentia, ergo &c.

8. Confirmatur; quia huiuſmodi veritas radicalis eſt ſicuti dependentia, quam habet creatura à Deo, ſed dependentia, quam habet creatura à Deo eſt adęquate intrinſeca creaturę, go veritas radicalis eſt adæquate intrinſeca actui vero. Eodem modo debemus diſcurrere de falſitate radicali, quæ eſt eſſentialis determinatio ad falſum formale.

9. Dico tertiò: hæc veritas radicalis inuenitur in multis actibus veris, ſicuti falſitas radicalis eſt in multis actibus falſis.

10. Prob. Dātur multi actus eſsētialiter veri ſicuti ſunt omnes propoſitiones æternæ veritatis, ſiue affirmatiuæ in materia neceſſaria, & negatiuæ in materia impoſſibili; Præterea dantur multi actus eſſentialiter falſi, vt propoſitiones ęternę falſitatis, quę ſunt affirmatiuę in materia impoſſibili, & negatiuæ in materia neceſſaria. Sed huiuſmodi actus habent veritatem, & falſitatem radicalem, ergo &c. Minor probatur, quia veritas radicalis eſt determinatio eſſentialis ad veritatem formalem, & falſitas radicalis eſt determinatio eſſentialis ad falſitatem formalem, ſed actus eſſentialiter veri habent eſ-

ſentialem determinationem ad veritatem formalem, & actus eſſentialiter falſi habent eſſentialem determinationem ad falſitatem formalem, ergo &c.

11. Ad huiuſmodi actus, qui ſunt veri veritate radicali, pertinent omnes actus euidentes nimirũ actus ſcientifici, & cognitiones intuitiuę, prætereà ſpectant omnes actus fidei diuinæ, quià non minus eſt eſſentialiter verum Verbum Diuinum eſſe incarnatum, poſito quod Deus reuelauit eius incarnationem, quàm verum ſit hominem eſſe animal rationale.

12. Dico vltimo: non omnes actus veri habent veritatem radicalem, neque omnes actus falſi falſitatem radicalem. Hanc ſententiam docet Suarius, Vaſquez, & Arriaga loco citato contra Hurtadum, qui conſequenter docet nullum eſſe actum verum, qui potuerit eſſe falſus, & nullum falſum, qui potuerit eſſe verus.

13. Probatur: ſunt plurimi actus veri, qui non habent eſſentialem determinationem ad verum formale, & ſunt plurimi actus falſi, qui non habent eſſentialem determinationem ad falſum formale, ergo non omnes actus veri, neque omnes actus falſi habent veritatem, & falſitatem radicalem. Antecedens probatur, quià ſunt multi actus probabiles determinate falſi, vel determinate veri, ſed hi actus non habẽt eſſentialem determinationẽ ad verum, & falſum formale, ergo &c. Minor probatur: actus, qui affir-

affirmat probabiliter Petrum eſſe doctum, non habet connexionem eſſentialem cum doctrina exiſtente in Petro, ſed ſi non habet hanc connexionem, neque habet eſſentialem determinationem ad verum formale, quia doctrina exiſtens in Petro eſt formale verificatiuũ talis propoſitionis, ergo &c. Maior probatur, quia iſte actus eſt indifferens, vt coniungatur cum doctrina Petri, vel cum eius negatione; idem enim actus foret, ſiue Petrus eſſet doctus, ſiue non eſſet doctus: ratio vlterior eſt, quia omne id à quo pendet huiuſmodi actus, eſt indifferens, vt coniungatur cum doctrina Petri; intellectus enim eſt indifferens ad affirmandum, vel negandum Petrum eſſe doctum: motiua quibus mouetur ad affirmandum potius, quàm negandum, ſunt etiam indifferentia, quia ſunt motiua probabilia, adeoque poſſunt coniungi non minus cum negatione, quàm cum exiſtentia obiecti: prætereà obiectum, quod affirmatur per propoſitionem, non poteſt refundere in ipſam propoſitionem determinationem eſſentialem ad verum formale, tum quià non habet virtutem influendi in huiuſmodi propoſitionem, tum quià aliquando eſt remotum, vt cõtingit in hac propoſitione, quam Petrus Romę exiſtens format de Turca exiſtente Conſtantinopoli *Turca ſaltat*: addo, quod aliquando obiectum eſt futurum, vt contingit in hac propoſitione *Antichriſtus erit*, ergo &c.

14. Hinc patet non omnem actum verum eſſe

eſſe verum veritate ſibi adæquatè intrinſeca, neque omnem actum falſum eſſe falſum falſitate adæquate intrinſeca: ratio eſt, quia loquendo de veritate formali, & falſitate formali, iſta ſine dubio eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca actui vero, quià veritas formalis conſtituitur per cognitionem, & obiectum: ſi ſermo eſt de veritate radicali, ea non inuenitur in omnibus actibus veris, vt demonſtratum fuit: indè eſt, quòd actus verus potuit eſſe falſus, & falſus verus, adeoque diuiſio actus in verum, & falſum non eſt diuiſio generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidentia.

15. Obijc. primo: veritas eſt eſſentia actus veri, ergo eſt adæquatè intrinſeca actui vero, antecedens probatur, quia actus bonus eſt eſſentialiter bonus, & actus malus eſſentialiter malus, ergo actus verus eſt eſſentialiter verus, ergo veritas eſt eſſentia actus veri.

16. Reſpondeo diſt: antecedens: veritas eſt eſſentia actus veri ſpecificatiuè accepti, nego antecedens: reduplicatiue accepti: concedo antecedens, & diſt. conſequens, ergo eſt adæquatè intrinſeca actui verò ſpecificatiuè accepto, nego conſequentiam, ergo eſt adæquatè intrinſeca actui vero reduplicatiuè accepto: concedo conſequentiam: hic terminus *verus*, eſt terminus concretus, ideò poteſt accipi reduplicatiuè ſiuè ſecundùm id, quod tantum ſignificat, & ſpecificatiuè ſiuè ſecundum id, pro quo ſupponit, ſi reduplicatiuè ſumitur,

ap-

appellat formam, quæ eſt veritas ſine dubio eſſentialis vero. In hoc ſenſu actus verus eſt eſſentialiter verus, quia verum quatenus verum eſt eſſentialiter verum, ſicuti album quatenus album eſt eſſentialiter album; ſi accipitur ſpecificatiuè appellat ſubiectum, pro quo ſupponit concretum: huiuſmodi ſubiectum eſt ille actus, qui à forma extrinſeca denominatur verus, adeoque non omnis actus verus eſt eſſentialiter verus, quia non omnis actus verus habet determinationem eſſentialem ad verum formale. Ad probationem omitto antecedens, & nego conſeq: diſparitas inter actum verum, & malum, eſt, quia bonitas, & malitia moralis, de qua hic ſermo eſt, non deſumitur ab obiecto quod voluntas amat, ſed à iudicio practico, quod eſt conſcientia dictans hoc eſſe amandum, illud non eſſe amandum, vt eſt euidentiſſimum, quia ſi aliquis comedat carnes prohibitas credendo non eſſe prohibitas, non peccat, qui verò comedit carnes non prohibitas, credendo, eſſe prohibitas procul dubio peccat, quia operatur contra dictamen conſcientiæ, Hoc non contingit in veritate, & falſitate, quæ refunditur in propoſitionem ab obiecto, quod exiſtit, vel non exiſtit ſicuti affirmatur.

17. Obijc. ſecundo. Sunt aliqui actus veri, quibus eſt eſſentiale verum, & actus falſi quibus eſt eſſentiale falſum; ergo veritas eſt eſſentialis actui verò ſpecificatiuè acceptō: antecedens probatur, quia veritas non eſt accidenta-

lis actibus eſſentialiter veris, ſed dantur actus eſſentialiter veri, ergo &c.

18. Reſpondeo diſt. antecedens: quibus eſt eſſentiale verum radicale, concedo antecedens: verum formale, nego antecedens & diſtinguo conſequens, ergo veritas radicalis eſt eſſentialis actui verò, concedo conſequentiam veritas formalis,nego conſequentiam. Veritas formalis conſiſtit in confirmitate cognitionis cum obiecto,quæ non eſt eſſentialis actui, quia obiectum quòd conſtituit veritatem formalem eſt extrinſecum actui: veritas radicalis non eſt accidentalis, ſed eſſentialis actui vero, quia eſt eſſentialis exigentia veritatis formalis. Ad probationem antecedentis: diſtinguo maior: veritas radicalis non eſt accidentalis actibus eſſentialiter veris: concedo mai: veritas formalis: ſub diſtinguo: non eſt accidentalis phyſicè: concedo maiorem: non eſt accidentalis logicè: nego ma: & conceſſa mi: nego conſequentiam: veritas formalis non eſt eſſentials actui vero; ſed proprietas inſeparabilis ab actu, ideo nō eſt accidentalis phyſicè,ſed ſolū logicè, quia prædicta veritas formalis huiuſmodi actibus non eſt eſſentialis, ſed accidentalis, ſicuti riſiblitas eſt accidētalis homini;non phyſicè,ſed logicè.

19. Obijc. tertio. Verum radicale, vel inuenitur in omni actu vero, vel in nullo, non in omni, ergo in nullo. Mai: probatur: ideò inuenitur in aliquò actu vero, quia eſt eſſentialiter imago, & repræſentatio obiecti; ſed

om-

omnis actus eſt eſſentialiter imago, & repreſentatio ſui obiecti, ergo in omni actu verò inuenitur verum radicale. Confirmatur, quia actus, quo dico Petrum currere, habet connexionem eſſentialem cum curſu Petri, reſpicit enim curſum Petri, ergo non poteſt ille actus exiſtere niſi Petrus verè currat.

20. Reſp. nego mai: ad eius probationem diſtinguo ma: ideò verum radicale inuenitur in aliquo actu vero præcisè quia eſt imago nego ma: quia eſt talis imago: concedo ma: & conceſſa mi:nego conſequentiam. Oſtenſum eſt non eſſe idem repræſentare intentionaliter aliquod obiectum, & verè illud repræſentare, quia repræſentare obiectum eſt formaliſſimè eſſe imaginem obiecti,& verè repræſentare eſt formaliſſimè eſſe imaginem veram obiecti, ſed non eſt idem eſſe imaginem, & eſſe veram imaginem; imago enim Cæſaris, quæ non eſt facta ad eius imitationem eſt quidem imago Cæſaris,ſed non eſt vera imago. Repræſentatio obiecti eſt quidem eſſentialis cuicumque cognitioni, ſed vera repræſentatio veritate radicali non eſt eſſentialis omnibus cognitionibus, quia eſt eſſentialis illis tantum cognitionibus, quæ habent determinationem eſſentialem ad verum formale, vt ſunt omnes cognitiones euidentes, & illæ, quæ ſpectant ad fidem diuinam vt dictum eſt num. 11.

21. Huiuſmodi actus habent veritatem radicalem,non quia ſunt imago obiecti, ſed quia

ſunt

ſunt talis imago, vel quia ſunt producti à cauſa efficiente, vel motiua, quæ habet eſſentialem connexionem cum exiſtentia obiecti; quod cognoſcitur & affirmatur. Indè eſt non benè argui ab iſtis cognitionibus ad alias cognitiones, probabiles & incertas. Ad confirmationem: diſt. antec: habent eſſentialem connexionẽ cum exiſtentia curſus ſignata: concedo antecedens: cum exiſtentia exercita: nego antecedens, & conſequentiam. Non eſt eadem res exiſtentia curſus ſignata & exiſtentia curſus exercita: hæc eſt illa exiſtentia, quæ verè exiſtit extra intellectum: illa eſt exiſtentia, quæ obijcitur intellectui, & cognoſcitur ab intellectu, qui affirmat Petrum currere. Hinc eſt, quod cognitio connectitur eſſentialiter cum exiſtentia ſignata curſus, non connectitur eſſentialiter cum exiſtentia exercita, quia Petro non currente idem affirmat intellectus, quod affirmat, dùm Petrus verè currit, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Petro currente affirmatio eſt vera, Petro non currente falſa.

22. Obijc. quarto. Intellectus verus eſt intrinſecè perfectior intellectu falſo, ergo veritas, per quam conſtituitur verus intellectus, eſt adæquatè intrinſeca actui vero. Antecedens probatur, tùm quia finis intellectus eſt ſcire veritatẽ, tùm quia eſt eligibilius habere cognitiones veras, quam falſas, vt eſt manifeſtum.

23. Reſp. diſt. antecedens, in quo ſermo eſt de vero probabili, quia de vero euidenti non

non eſt dubium: intellectus verus eſt intrinſecè perfectior intellectu falſo arguitiuè: concedo antecedens: eſt perfectior formaliter, nego antecedens & conſequentiam. Intellectus qui habet actus veros non eſt formaliter, & præcisè ex vi huiuſmodi actuum perfectior eo intellectu, qui habet actus falſos, ſed eſt perfectior arguitiue, quia eo ipſo, quod vnus intellectus aſſequitur veritatem, quam alius non aſſequitur, ſignum eſt intellectum verum melius diſcurrere, habere ſpecies perfectiores, non eſſe obnubilatum paſſionibus quæ plerumque ſolent remouere mentem ab aſpectu veritatis; eſſe celeriorem, ſubtiliorem, magiſque promptum ad penetrandam veritatem quæ omnia perficiunt intellectum eumque faciunt multo magis æſtimabilem intellectu falſo, qui ex defectu illarum perfectionum non attingit veritatem. Præterea multa bona ſolent intellectui prouenire ab actibus veris; quia cognitio vnius veritatis conducit ad cognitionem aliarum veritatum: Præterea conducit ad fugiendas res nociuas, proſequenda vtilia, quibus omnibus caret actus falſus. Hinc eſt, quod ſi conſideretur veritas, & falſitas, ſecundùm antecedentia, & conſequentia: intellectus verus eſt perfectior falſo. vnde naſcitur amor veritatis, & odium erroris: quod ſi conſideretur præcisè, & formaliter vterque intellectus, non eſt perfectior intellectus verus, quàm intellectus falſus: neque hoc debet videri mirum, quia poteſt contin-
gere,

gere, vt intellectus falſus meliori modo ſe habeat, quàm intellectus verus; poteſt enim moueri à melioribus motiuis ad dicendum falſum quàm ad dicendum verum: hac de cauſa docuit Ariſtoteles multa falſa eſſe probabiliora veris.

24. Obijc. 5. Nullus actus verus poteſt conſtitui verus per obiectum, cui eſt conformis, ergo veritas eſt adæquatè intrinſeca actui vero: antecedens probatur: ponamus aliquem erraſſe, & deinde recognoſcere errorem ſuum, ille actus, per quem affirmat ſe erraſſe, eſt actus verus, & amabilis, ſed error præteritus eſt actus falſus, & nullo modo amabilis, ergo non poteſt conſtituere neque inadæquatè hunc actum verum. Confirmatur, quia repugnat, vt actus verus conſtituatur verus per falſitatem, ſed ille actus conſtituitur verus per falſitatem nimirum per errorem præteritum, ergo actus verus non conſtituitur verus per ſuum obiectū.

25. Reſp. hoc argumentum eſſe ſoluendum ab ipſis aduerſarijs, quia licet error præteritus non conſtituat intrinſecè actūm verum, per quem recognoſcit errorem ſuum ille, qui errauit, nihilominus huiuſmodi actus exigit eſſentialiter errorem præteritum. Rogo nunc arguentem, quomodo poteſt actus bonus, & verus exigere id, quod eſt falſum & malum. Deindè dico huiuſmodi actum non eſſe abſolutè bonum, ſed eſſe bonum ſolum ex ſuppoſitione, adeoque eſſe in genere illius boni, quod

voca-

vocatur bonum occaſionatum quia occaſione alicuius mali, quod cenſetur ineuitabile, bonum eſt intellectui habere cognitionem veram reflexam ſui erroris; ità ex ſuppoſitione, quòd aliquis errauerit, bonum eſt peccantem recognoſcere ſuum peccatũ, ſicuti ex ſuppoſitione imminentis naufragij proijcere in mare aurum, & argentum bonum eſt mercatori. Ratio eſt quia, vt dicam in Metaphyſica agendo de relatione amor boni ex ſuppoſitione alicuius mali eſt amor, qui habet mixturam alicuius odij. Hinc eſt, quòd intellectus, qui appetit veritatem reflexam erroris præteriti, amat ſimul & odio habet, amat ſimpliciter veritatem hanc reflexam, & ſecundum quid eam odit, quia nollet fuiſſe errorem, quo poſito amat cognitionem erroris. Ad confirmationem argumenti diſt:ma:implicat vt actus verus conſtituatur verus per faſitatem ſui, concedo ma: per falſitatem alterius actis nego ma; id quod conſtituit verum actum, quo aliquis recognoſcit ſuum errorem, non eſt falſitas eiuſdem actus, hoc enim aperte repugnat; ſed eſt falſitas alterius actus, illius nimirum, quo errauit.

26. Ob. vltimo:ponamus ab aliquo formari hoc iudicium *ego craſtina die dicam falſum ſiue errabo*: deindè ſic argumentor. Qui format hunc actum, vult hunc actum eſſe verum, quia nemo vult falſitatem, ſed velle hunc actum eſſe verum eſt formaliſſimè velle falſitatem actus

craſtini, quia iſte conſtituit actum hodiernum verum, ergo hic actus vult falſitatem, quod repugnat.

27. Reſp. conc. mai:& nego mi:quia intellectus poteſt amare veritatem huius actus, quin amet errorem craſtinum, vult enim bonũ, quod affert hæc veritas ſuppoſito malo, quod cenſet fore ineuitabile propter imbecillitatem mentis humanæ, eſt enim melius habere tantum vnum malum, quam habere duo mala:ratio à priori eſt, quia poteſt amari aliqua denominatio, quin amētur omnia eius conſtitutiua, vt eſt euidentiſſimum, quia poteſt amari ſecundum id, pro quo ſupponit quin ametur ſecundum omne id, quòd ſignificat, ſicuti album affirmatur de pariete ſecundùm id, pro quo ſupponit, non affirmatur ſecundùm id, quod tantùm ſignificat.

QVAESTIO III.

An eadem propoſitio poſſit de vera tranſire in falſam.

1 SCiendum primò veritatem, vel falſitatem propoſitionis pendere ab exiſtētia, vel nō exiſtentia obiecti pro illo tempore, quod ſignificatur per propoſitionem:hinc ad ferendũ iudicium, an ſit vera, vel falſa vna propoſitio, non debet conſiderari illud inſtans, in quo propoſitio

poſitio formatur, ſed illud ſolùm, quod à propoſitione affirmatur, quis enim eſt, qui dubitet an ſit vera nunc iſta propoſitio *Clemens IX. fuit Vicarius Chriſti* quia in inſtanti, quod ſignificatur à propoſitione, verè fuit Vicarius Chriſti, licet in hoc inſtanti, in quo formatur propoſitio non ſit Vicarius Chriſti. Hoc diſcrimen eſt diligenter notādum inter inſtans, quod ſignificatur à propoſitione, & inſtans, in quo formatur propoſitio, quià multum conducit ad multas æquiuocationes fugiendas, quæ contingunt tùm in iſto tractatu, tùm in tractatu de futuris contingentibus.

2 Dubium non eſt, quin propoſitio, quæ ſignificat determinate aliquod tempus, non poſſit tranſire de vera in falſam. Ratio eſt euidens, quia implicat contradictionem idem ſimul eſſe, & non eſſe; ſed hoc ſequitur neceſſitate conſequentiæ, ſi propoſitio, quæ ſignificat determinatè aliquod tempus, poteſt tranſire de vera in falſam, vel de falſa in veram: ergo &c. Antecedens probatur: quicumque verum dicit, dum dicit Petrum in inſtanti *A* currere, ideò verùm dicit, quia Petrus in inſtanti A. verè currit: ſed eſt impoſſibile Petrum in inſtanti *A* currere, & non currere, ergo eſt impoſſibile non dicere verum, qui ſemper dicit Petrum currere in inſtanti *A*, ergo huiuſmodi propoſitio ſi ſemel fuit vera, erit ſemper vera; ſi fuit ſemel falſa, erit ſēper falſa, quia licet contingens ſit Petrū currere, & contingens ſit Petrū

nō currere, nō eſt cōtingens poſito, quod currat, ipsū currere, quia vnaquæque res poſito quod ſit neceſſario eſt neceeſſitate cōſequentiæ, ſiue ceſſitate ex ſuppoſitione, quæ refūditur in neceſſitatem, qua neceſſe eſt, vt idem non poſſit eſſe, & ſimul non eſſe. Hinc eſt apud omnes eſſe indubitatum, aliquam propoſitionem in materia contingenti non poſſe mutari de vera in falſam, vel de falſa in veram.

3. Sciendum tertio obiectum, quod ſignificatur per aliquam propoſitionem, aliud eſſe, quod per ſe ſignatè, & formaliter ſignificatur, aliud, quod tantùm per accidens, exercitè, & materialiter ſignificatur. Patet hoc euidentiſſimè in omni propoſitione indeterminata, cuius videlicet ſubiectū eſt terminus indeterminatus: obiectum, quod ſignificatur per ſe ſignatè, & formaliter in iſta propoſitione *homo genuflexus in templo orat* eſt hic, vel ille homo. Obiectum verò, quod per accidens, exercitè, & materialiter ſignificatur; eſt Petrus, qui nunc eſt in templo genuflexus, ibique orat. Hinc eſt, quòd propoſitio, quam neceſſe eſt mutari mutato obiecto propter ordinē eſſentialem ad obiectum quod ſignificat, non debet mutari, ſi mutatur obiectum ſignificatum per accidens, exercitè, & materialiter, ſed ſolum ſi mutatur obiectum ſignificatum per ſe, ſignatè, & formaliter. Veritatem manifeſtam huius conſequentiæ, quam in re præſenti debes ſemper ante oculos habere, demōſtrat oſtenſiuè propoſitio nuper forma-

ta

ta de homine orante in templo, quæ ſine dubio eſt eadem, & inuariata, licet nunc oret Petrus, deindè oret Paulus, quia obiectum ſignificatum per ſe, & ſignatè eſt idem, licet obiectum ſignificatum per accidens, & exercitè ſit diuerſum.

4. His præſuppoſitis, quæ apud omnes ſunt certa, dubium eſt, vtrum aliqua propoſitio poſſit mente formari, quæ in vno inſtanti ſit vera, in alio falſa, vel è contrario in vno falſa,& in alio vera: ſupponitur autē poſſe propoſitionem mentalem eandem, & inuariatam diù perſeuerare: id enim niſi ſupponatur, nullus ſupereſt quæſtioni locus. Negant communiter recentiores Philoſophi, cum Arriaga diſputatione 14. ſect. 2. affirmantibus omnibus antiquis Philoſophis, cum Ariſtotele, & S. Thoma, qui videntur id ſupponere potiùs, quàm probare, eiſque adhæret Franciſcus Suarius loco citato.

5. Antequam definiam, quid opinandum ſit in hac controuerſia,nolo præterire clariſſima teſtimonia Ariſtotelis, & S. Thomæ, ne poſſit aliquis eorum mentem in dubium vocare. Ariſtoteles in lib. de prædicamentis cap. de Subſtantia docet eſſe proprium ſolius ſubſtantiæ ſuſcipere contraria ſine vlla ſua mutatione: deindè ſibi opponit propoſitionem, quæ eadem, & inuariata trāſit de vera in falſam: mox obiectam difficultatem ſoluit, tradendo diſcrimen inter ſubſtantiam, quæ ſuſcipit contraria, &

propoſitionem, quæ nunc eſt vera, & deindè falſa; ait enim ingenioſiſſimè ſubſtantiam ſuſcipere contraria per mutationem factam in ſubiecto, quod mutatur, vt conſtat in pariete, qui ex albo fit niger, in corpore, quod ex frigido fit calidum: ſecùs accidit in propoſitione, quæ per ſolam mutationem obiecti tranſit de vera in falſam. Ità hæc propoſitio *Sortes ſedet* eſt vera ſedente Sorte, falſa non ſedente. Ex hoc diſcurſu, qui eſt nobiliſſimus infero mentem Ariſtotelis fuiſſe, quòd vna, & eadem propoſitio poſſit de vera mutari in falſam: verba Philoſophi ſunt iſta. *Oratio autem & opinio ipſa immobilia omninò perſeuerant: cum verò res mouetur, contraria circa ipſam fiunt. Oratio namque eius, quod ſedet aliquis, permanet eadem cum vere res mota ſit, aliquando quidem vera, aliquando autem falſa dicitur.*

9. Non minus clarè, immò euidentiùs loquitur S. Thomas, qui ex mente Philoſophi in prima parte quæſt. 14. art. 15. quandam ſententiã, tanquam abſurdam impugnat his verbis, *ſed hæc opinio falſa eſt tùm, quia ſequeretur quod aliqua propoſitio, quæ eſt ſemel vera ſemper eſset vera, quod eſt contra Philoſophum dicentem, quod hæc propoſitio Sortes ſedet eſt vera eo ſedente, & eadem eſt falſa, eo ſurgente*: hactenus S. Thomas, qui non poterat loqui clariùs ad ſuam ſententiam in hac controuerſia nobis declarandam.

7. Noſtra igitur ſententia eſt: poteſt eadem

dem propoſitio mutari de vera in falſam, & de falſa in veram.

8. Probatur hoc ſillogiſmo. Iſta propoſitio *Petrus nunc currit* eſt eadem in inſtanti, in quo Petrus currit, & in inſtanti ſequenti, in quo Petrus non currit: ſed in inſtanti, in quo currit, eſt vera, & in inſtanti, in quo non currit, eſt falſa: ergo eadem propoſitio poteſt mutari de vera in falſam. Mi: eſt euidens, quia ab eo, quod res eſt, vel non eſt, pro tempore ſignificato, propoſitio eſt vera, vel falſa. Maior probatur: ſi non eſt eadem, ideò præcisè non eſt eadem, quia non habet idem obiectum, ſed habet idem obiectum, ergo eſt eadem. Mi: probatur obiectum ſignificatum per ſe ſignatè, & formaliter ab hac propoſitione *Petrus nunc currit* eſt curſus Petri in inſtanti præſenti ipſi propoſitioni. Obiectum verò ſignificatum per accidens exercitè, & materialiter eſt curſus Petri in inſtanti *A*, in quo propoſitio formatur: hoc obiectum ſine dubio variatur, quando propoſitio formatur in inſtanti B: ſed obiectum ſignificatum per ſe, & formaliter non variatur; oſtēſum eſt autē nu. 3. quòd mutatio obiecti ſignificati per accidens, & exercitè non variat propoſitionem, & vlteriùs demonſtro, quia hæc propoſitio *homo, qui eſt in atrio currit* eſt eadem: ſiue currat Petrus, ſiue currat Paulus, quia licet obiectum ſignificatum per accidens ſit diuerſum, obiectum ſignificatum per ſe eſt ſemper idem, nimirum hic vel ille homo, qui exi-

ſtens in atrio currit: hæc igitur propoſitio. *Petrus nunc currit*, quæ facit hunc ſenſum *Petrus nunc currit in inſtanti mihi præſenti, ſiue hoc ſit inſtans A ſiue inſtans B* habet idem obiectum per ſe, & ſignatè; ſiue fiat in inſtanti *A* ſiue in inſtanti B. adeoque ſemper eſt eadem.

9. Vrgeo Argumentum efficaciùs: ſi non poteſt eadem propoſitio ſignificare curſum Petri, nunc in inſtanti *A*, & deindè in inſtanti *B*, ideò non poteſt, vel quia eſt in genere imago obiecti, vel quia eſt talis imago: non primum, quia vna, & eadem imago Pontificis Romani, quæ prius ſupponebat pro Clemente X. nunc ſupponit pro Sanctiſſimo Innocentio XI. Idem dico de Imagine repræſentante Regem Hiſpaniarum: non ſecundum, quia propoſitio, quæ eſt intentionalis imago obiecti, & ſignificat hominem exiſtentem in atrio currere, abſtrahendo ab hoc, vel illo homine, ſignificat nunc Petrum, nunc Paulum, ergo non repugnat, vt propoſitio, quæ ſignatè affirmat Petrum nunc currere, ſignificet exercitè modò inſtans *A* modò inſtans B. Præterea nonne (vt trito, & vulgari vtar exemplo) eadem tabella, quã ante fores tẽpli ſolemus exponere ad ſignificandam omnium culparum indulgentiam idẽ templum religiosè inuiſentibus à Chriſti Vicario conceſſam, modò hodiernam modò craſtinam diem repræſentat? Cur igitur non poterit vna, & eadem propoſitio impreſſa menti re-

repræſentare curſum Petri nunc in vno inſtanti, nunc in alio?

10. Neque dicas cognitionem, quæ affirmat Petrum nunc currere, intueri illud inſtans, quod fluit, adeoque non poſſe illud confusè repræſentare ſicuti contingit in cognitione, quæ affirmat hominem exiſtentem in atrio currere: rem enim dicis manifeſtè falſam, & apud me carentem omni probabilitate, quæ enim neceſſitas mihi incumbit intuendi, an inſtans, quod fluit, dum aſſero Petrum currere, ſit inſtans *A*, vel inſtans B? certè hoc eſt contrà experientiam, quia omninò oppoſitum experimur. Præterea quærò à te: quando noctu poſt ſomnum euigilas, & caſu formas (quis enim formare prohibet?) hanc propoſitionem *Petrus nunc currit*: an intueris illud momentum temporis, quo affirmas Petrum currere? Certè ſi intueris; poteris dicere, an idem momentum pertineat ad ſecundam, vel tertiam, vel quartã horam noctis; quod ſi pertinaciter dicis, te hoc cognoſcere; vt nimirùm poſitum tuearis; certè illuderis, & audientium riſu excipieris: Non eſt igitur; cur negandum ſit, poſſe ab intellectu formari propoſitionem, quæ ſignatè affirmet Petrum currere in inſtanti ſibi præſenti, & exercitè affirmet modo vnum; modo aliud inſtans temporis; adeoque tranſeat de vera in falſam: quod eſt accuratè notandum; quia eludit omnia argumenta; quæ poſſunt nobis opponi;

11. Ob.

11. Ob. primo: Variato obiecto variatur propoſitio: ſed obiectum propoſitionis veræ non eſt idem, ac obiectum propoſitionis falſæ: ergo propoſitio ſemel vera non poteſt fieri falſa. Mi: probatur: propoſitio, in qua verè affirmatur Petrum currere, habet pro obiecto Petrum currentem: & propoſitio in qua falsò affirmatur Petrum currere, non habet pro obiecto Petrum currentem; quia verè Petrus non currit; ſed non eſt idem Petrum currere, & Petrum non currere: vt conſtat ex terminis: ergo, &c.

12. Reſp. primo: hoc argumentum nimis probare, quia non ſolùm probat propoſitionẽ ſemel veram non poſſe mutari in falſam, quod eſt controuerſum, ſed etiam probat propoſitionem veram non potuiſſe eſſe falſam, quod eſt euidentiſſime falſum, & meritò negatur ab ipſo arguente.

13. Reſp. ſecundo: in forma diſtinguo mai: Variato obiecto materialiter, per accidens, ſiuè exercitè ſignificato variatur propoſitio: nego mai: variato obiecto formaliter, per ſe, & ſignatè ſignificato: concedo mai: & diſtincta mi nego conſequentiam. Certum eſt obiectum propoſitionis falſæ non eſſe à parte rei, eodem modo, ac obiectum propoſitionis veræ, quia idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Præterea certum eſt intellectum, qui format propoſitiones reflectere ſupra apprehenſiones, & affirmare, vel negare vnum de alio, quatenus extrema affir-

affirmata, vel negata relucent in apprehenſionibus. Hinc eſt, quòd obiectum propoſitionis variatur materialiter,& exercitè, quando obiectum à parte rei non ſe habet eodem modo, quo affirmatur. Conſtat hoc in propoſitionibus cōtradictorijs, quæ vtique debēt eſſe de eodem obiecto, licet obiectum non ſit à parte rei, eo modo, quo ſignificatur per vtramque propoſitionem. Ratio vlterior eſt, quia hæc propoſitio *homo genuflexus in templo orat* verificatur tàm orante Petro, quàm orante Paulo; iſta tamen diuerſitas arguit variari ſolùm materialiter, & exercitè obiectum ſignificatum per huiuſmodi propoſitionem. Quando verò obiectum apprehenſum, ſupra quòd reflectit intellectus, qui format iudicium, eſt diuerſum, tunc obiectum variatur formaliter, adeoque neceſſe eſt variari propoſitionem. In re præſenti obiectum variatur materialiter, & exercitè; quia obiectū ſignificatum ab vtraque propoſitione non eſt à parte rei eodem modo; non variatur ſignatè,& formaliter, quia illud idem, quod apprehendit intellectus affirmans Petrum currere eo currente, apprehendit intellectus affirmans Petrum currere eo non currente.

13. Ob.ſecundo:vel omnis propoſitio contingēter vera,vel nulla poteſt mutari de vera in falſā:non omnis ergo nulla:Ma'probatur,tū quia ſi aliqua poteſt, ideò poteſt, quia contingens eſt eam eſſe veram, ſed etiam contingens eſt eſſe veram omnem propoſitionem contingēter verā;

cr-

ergo vel omnis propoſitio, vel nulla poteſt mutari de vera in falſam; tum quia non poteſt aſſerri potior ratio pro vna, quàm pro alia.

15. Reſp. Nego: mai: ad eius probationem nego cauſalem: non poteſt propoſitio tranſire de vera in falſam, niſi ſit contingenter vera, quia propoſitio neceſſario vera nunquam eſt falſa, requiritur igitur propoſitionem eſſe contingentem, vt poſſit mutari de vera in falſam, ſed hoc non ſufficit, quia propoſitio ſignificans determinate aliquod tempus, non poteſt eſſe falſa, ſi ſemel fuit vera, licet potuerit eſſe falſa, antequam eſſet vera; vt patet in hac propoſitione *Petrus currit in inſtanti A* quæ ſemper eſt vera, ſi ſemel eſt vera, quia poſito, quòd Petrus currat in inſtanti A, ſemper eſt verum Petrum currere in inſtanti A: Diſparitas inter vnã, & aliam propoſitionem; nimirum inter iſtam *Petrus currit in inſtanti A*, & iſtã: *Petrus nunc currit*; diſparitas inquam eſt euidens, quia propoſitio; quæ affirmat Petrum currere in inſtanti *A*, ſemper ſupponit pro curſu Petri in inſtanti *A*. adeoque currente Petro in inſtanti *A* ſemper eſt vera, eo quod ſemper affirmat Petrum currere in inſtanti *A*. E contrario propoſitio, quæ affirmat Petrum nunc currere, non deſignando an inſtans, in quo currit, ſit inſtans *B*, vel inſtans *A* formata in inſtanti *A* in quo currit, eſt vera; formata in inſtanti *B*, in quo non currit, eſt falſa; vt demonſtratum eſt num. 8.

16. Ob. tertio. Hinc ſequitur hanc propo-
ſitio.

ſitionem *Petrus nunc currit* facere hunc ſenſum *Petrus currit in aliquo inſtanti huius horæ*; ſed ſi facit hunc ſenſum eſt ſemper vera, quia ad verificandam propoſitionem particularem ſufficit veritas vnius particularis, ergo &c. Mai: patet, quia prædicta propoſitio nihil ſignificat determinatè.

17. Reſp. nego ſequelam: dictum eſt ſenſū propoſitionis prædictæ eſſe huiuſmodi *Petrus currit in inſtanti, quod eſt mihi præſens*: inde eſt, quod formata in inſtanti *A* exercitè affirmat Petrum currere in inſtanti *A*: formata in inſtanti *B* exercitè affirmat Petrum currere in inſtanti *B*: ſicuti lex, quæ obligat omnes habitãtes Romæ obligat Petrum & Paulum, quando Petrus, & Paulus habitant Romæ: hinc patet ad probationẽ maioris, quia prædicta propoſitio determinate ſignificat curſum Petri in inſtanti ſibi præſenti, licet præſcindat ab vno, vel alio inſtanti.

18. Ob. quarto: obiectum huius propoſitionis *Petrus nunc currit*, quæ ſupponitur durare per integram horam, vel eſt curſus Petri currentis per totam horam, vel eſt curſus Petri currentis in aliqua parte horæ: ſi primum: propoſitio ſemper eſt falſa, ſuppoſito, quod Petrus non ſemper currat, ſi ſecundùm, ſemper eſt vera, ſuppoſito, quòd aliquandò currat: ergo hæc propoſitio, vel eſt ſemper vera, vel ſemper falſa, ergo non poteſt tranſire de vera in falſam.

19. Reſp.

19. Reſp. nego mai: obiectum huius propoſitionis per ſe, & formaliter ſignificatum eſt curſus Petri in eo inſtanti, in quo propoſitio formatur. Obiectum verò ſignificatum per accidens, & materialiter, ſiue in actu exercito eſt curſus Petri in inſtanti *A*, quando propoſitio formatur in inſtanti *A*, & eſt curſus in inſtanti *B*. quando eadem propoſitio formatur in inſtanti *B*.

20. Ob: vltimo: ergo hæc propoſitio *Petrus nunc currit* formata in inſtanti *A* ſignificat determinate curſum Petri in inſtanti *A*: ergo eſt diuerſa ab iſta propoſitione *Petrus nunc currit* formata in inſtanti *B*. Probo conſequentiam. Propoſitiones, quæ habent obiectū diuerſū, ſunt diuerſæ, ſed huiuſmodi habent obiectū diuerſū: ergo ſunt diuerſæ. Confirmatur, quia actus voluntatis non poteſt de bono fieri malus: ergo actus intellectus non poteſt de vero tranſire in falſum.

21. Reſp. diſtinguo conſequens: ſignificat exercite, per accidens, & materialiter concedo conſequentiam; ſignificat ſignatè per ſe, & formaliter nego conſequentiam. Ad probationem conſequentiæ diſt. mai: propoſitiones ſunt diuerſæ, quæ habent obiectum diuerſum ſignificatum formaliter, per ſe, & ſignatè: conc mai: quæ habent obiectum diuerſum ſignificatum materialiter, per accidens, & exercitè: nego mai: & diſtincta mi: nego conſequentiam. Recolenda hic ſunt ea, quæ in principio quæſtionis

his docuimus num. 4. ea enim ſoluunt difficultatem argumenti facientis tranſitum ab obiecto ſignificato per ſe, quod variatum variat propoſitionem; ad obiectum ſignificatum per accidens, quod variatum non variat. Diſparitas inter actum bonum, & actum verum eſt euidens, quia actus bonus eſt eſſentialiter bonus, actus verus non eſt eſſentialiter verus.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum eadem Propoſitio poſſit eſſe vera ſimul et falſa.

1. RAtio dubitandi in hac quæſtione; de qua videtur non poſſe dubitari, eſt cauillatio ſophiſtica deſumpta ex illis propoſitionibus, quæ vocantur ſe falſificantes hoc pacto.

2. Primo: formet aliquis mente hanc propoſitionem *ego nunc dico falſum* iſta propoſitio ſi eſt vera, eſt falſa, & ſi eſt falſa, eſt vera: ergo non repugnat propoſitio vera ſimul & falſa: antecedens probatur: hæc propoſitio, vel ſupponitur vera, vel falſa, ſed ſi ſupponitur vera, eſt falſa: ſi falſa, eſt vera, ergo, &c. Minor probatur: ſupponatur vera: ſtatim infero: ergo eſt falſa: Probo euidenter conſequentiam; quando verùm eſt te dicere falſum, vtique dicis falſum, & formas propoſitionem falſam: ſed

ſi

ſi ſupponatur vera propoſitio, qua tu intra te dicis *ego dico falſum* verum eſt te dicere falſum, ergo falſum dicis, dicendo verum: quod ſi ſupponatur falſa, eodem argumento infero eſſe veram, quia quando eſt falſum te dicere falſum verum dicis, ſed in prædicta Hypotheſi falſum eſt, te dicere falſum, ergo verum dicis icendo falſum.

3. Neque dicas hanc propoſitionem eſſe chimæricam, adeoque non poſſe mente formari; contra enim eſt, quia Petrus poteſt dicere *Paulus dicit falſum* (quæ enim eſt repugnantia) & Paulus è contrario poteſt dicere *Petrus dicit verum*, ſed in tali Hypotheſi Petrus dicit falſum, dicendo verùm, & dicit verùm, dicendo falſum: ergo argumentum recurrit. Mi: probatur formando eundem omninò diſcurſum, ſi enim Petrus verùm dicit, affirmãdo Paulum dicere falſum, eo ipſo dicit falſum, quia Paulus dicit Petrum dicere verum, adeoque ſi verum eſt Petrum dicere verum; eſt verum, Petrum dicere falſum. Idem valet ſi Petrus dicat falſum, quia dicendo falſum incidit in verum, ergo &c.

4. Tertiò, faciat Deus hoc pactum cum Petro: *ſi tu verum dices, dabo tibi gratiam*: deinde Petrus faciat hanc proportionem *Deus non dabit mihi gratiam*: hoc poſito ſic argumentor. Hæc propoſitio, *Deus non dabit mihi gratiam* ſi eſt vera, eſt falſa: ſi falſa, vera: ergo idem quod prius: Antecedens probatur: ſi eſt vera, Petrus ha-

habebit gratiam, quià Deus promiſit gratiam Petro dicenti verum, ſed ſi habebit gratiam, propoſitio eſt falſa, quià falſificatiuum illius eſt gratia donata à Deo.

5. Noſtra ſententia eſt: euidens eſt vnam propoſitionem non poſſe eſſe veram ſimul, & falſam, adeòque duas propoſitiones contradictorias non poſſe ſimul verificari, vel falſificari.

6. Probatur: euidens eſt idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe: Præterea euidens eſt propoſitionem eſſe veram, quæ affirmat rem eſſe, ſicuti eſt: eſſe falſam quę affirmat rẽ aliter ac eſt: ergo euidens eſt vnam propoſitionem non poſſe ſimul eſſe veram, & falſam. Conſequentia eſt euidens: hæc propoſitio *Petrus currit* ſi eſſet vera ſimul & falſa, Petrus curreret ſimul, & non curreret, quia Petrus currendo illam verificat, & non currendo illam falſificat, ſed repugnat Petrum currere, ſimul & non currere: ergò repugnat hanc propoſitionem eſſe veram ſimul & falſam.

7. Hæc ſunt ſatis certa: difficile eſt ſoluere argumenta ſophiſtica partis contrariæ. Ad hæc ſoluenda neceſſe habeo tradere doctrinam vniuerſalem conducentem ad diſcernendam propoſitionem, quæ poteſt mente formari, ab illâ, quæ ſolùm poteſt formari voce, & appellatur propoſitio nugatoria; qua ſuper re notandum eſt neceſſarium eſſe, vt actus intellectus etiamſi poſſit reflectere ſupra ſe ipſum, cogno-

ſcat aliquod obiectum à ſe diſtinctum, adeòque habeat pro obiecto adæquato aliquam veritatem fundamentalem à ſe ipſo diſtinctam. Explico id clariſſimè ſequenti diſcurſu. Non eſt dubium, quin intellectus ratione ſuæ immaterialitatis poſſit reflectere ſupra ſuos actus; tùm quia experientia demonſtrat cognoſci ab intellectu cognitiones ſuas, adeoque cognoſci res, quæ denominantur cognitæ, ſub ratione cogniti; vnde Philoſophia rationalis originem habuit, nimirùm Logica, quæ eſt Scientia reflexa: ſed intellectum cognoſcere ſuas cognitiones eſt formaliſſimè intellectum reflectere ſupra ſuos actus, ergo intellectus poteſt reflectere ſupra ſuos actus: tùm quia intellectus poteſt cognoſcere omne ens; ergò poteſt cognoſcere quidquid continetur ſub ratione entis, ſed cognitiones intellectus continentur ſub ratione entis: ergò poſſunt ab intellectu cognoſci. Dubiũ eſt, vtrum vnus actus intellectus poſſit reflectere ſupra ſe ipſum, adeòque poſſit ſe ipſum exercitè cognoſcere. Probabilius eſt poſſe, immò id exiſtimo abſolutè verum, vt pluribus oſtendam in tractatu de Anima: inde eſt quod, qui affirmat Petrum currere, non ſolùm cognoſcit & affirmat ſignatè Petrum currere, ſed etiam cognoſcit & affirmat exercitè ſe cognoſcere curſum Petri; cuius rei euidentiſſimum argumentum eſt, quòd qui affirmat Petrum currere exercitè dicit ſe verum dicere, ſed nòn poteſt exercitè dicere, ſe verum dicere, niſi cognoſcat

exer-

exercitè illum actum, quo affirmat Petrum currere: ergò qui affirmat Petrum currere cognoſcit exercitè cognitionem ſuam. Hinc tamen non ſequitur, quod videtur intendere arguens, poſſe ab intellectu formari cognitionem, quæ nihil aliud cognoſcat, quam ipſam cognitionem: immò ſequitur euidenter oppoſitum, quià in tantum poteſt intellectus reflectere ſupra cognitionem ſuam, in quantum producit cognitionem ſuam, quæ verſatur circa aliquod obiectum: ergò non poteſt cognoſcere cognitionem ſuam ſi nihil aliud cognoſcit, quam ipſam cognitionem.

8. Id totum in terminis docet S. Thomas in tertio contra gentes cap. 26. vbi hæc habet. *In omnibus potentijs, quæ poſſunt conuerti in ſuos actus prius oportet quod actus illius potentiæ feratur in aliquod obiectum, & deinde feratur in ſuum actum, ſi enim intellectus intelligit ſe intelligere, prius oportet, quod intelligat rem aliquam, & conſequenter quod intelligat ſe intelligere, cum ipſum intelligere, quod intellectus intelligit, alicuius obiecti ſit, vnde oportet, quod vel procedatur in infinitum, vel ſi eſt deuenire ad primum intellectum, hoc non erit ipſum intelligere, ſed aliquid intelligibile.* Hæc egregiè ſcripſit S. Thomas, ex quibus patet omnem veritatem, vel falſitatem fundari in aliqua re affirmata vel negata, & diſtincta à cognitione affirmante vel negante. Ratio à priori eſt, quià quamcumque reflexionem faciat intellectus ſupra

cognitiones ſuas, ſemper debet deueniri ad vnam cognitionem, quæ intelligat rem diſtinctam ab actu intelligendi, quia intelligere eſt aliquam rem intelligere: ergo nullum poteſt eſſe iudicium, quod tandem non reſoluatur in veritatem fundamentalem ab omni cognitione diſtinctam, quam intellectus affirmat, & affirmando dicit ſe verum affirmare.

9. Ex hac doctrina habes, quomodo ſoluas omnia ſophiſmata in hac materia. Ad primum dico, totum illum diſcurſum fundari in ſuppoſitione falſa, quòd nimirùm intellectus poſſit formare hanc propoſitionem. *Ego nunc dico falſum*: quidquid ſit an poſſit voce id pronunciari, quod ad rem præſentem non ſpectat. Ratio autem cur ſit Chimærica huiuſmodi propoſitio eſt, quia, vel propoſitio cognoſcit aliquid à ſe diſtinctum, vel nihil cognoſcit à ſe diſtinctum: ſi dicis ſecundúm: ergò eſt chimærica propoſitio, quia hucuſque demonſtratum eſt repugnare propoſitionem, quę nihil affirmat à ſe diſtinctum. Si dicis primùm: ergò intellectus affirmando ſe dicerè falſum, debet exempli gratia affirmare Petrum currere, & affirmando Petrum currere dicere: *Ego dico falſum*: ſed hoc eſt euidenter impoſſibile, quia intellectus non poteſt idem affirmare ſimul & negare ergò: &c.

10. Ad ſecundum, ex dictis conſtat, quia idem omninò eſt, Petrum affirmare, *Paulus dicit verum* affirmante Paulo *Petrus dicit falſum*

ſum, ac Petrum affirmare, *ego dico falſum*: ſed demonſtratum eſt à nullo intellectu poſſe formari hanc propoſitionem, *ego dico falſum*: ergò neque poteſt Petrus dicere, *Paulus dicit verum* ex ſuppoſitione, quod Paulùs dicat: *Petrus falſum dicit*. Ratio à priori eſt, quia non poteſt intellectus formare propoſitionem veram, niſi affirmet veritatem fundamentalem diſtinctam ab ipſa propoſitione, ſed Petrus dicendo *Paulus dicit verum*, quando Paulus dicit *Petrus dicit falſum*, non affirmat veritatem fundamentalem diſtinctam à ſuo iudicio, quia illud, quod affirmat, eſt iudicium Pauli, ſed iudicium Pauli verſatur circa iudicium Petri: ergo iudicium Petri non poteſt reſolui in veritatem à ſe diſtinctam. Hinc eſt, quòd Petrus formando hanc propoſitionem. *Paulus dicit verum*, habet æquiualenter hunc actum, quo dicit *Paulus habet actum affirmantem aliquam veritatem diſtinctam à meo iudicio, & habendo hunc actum, verum dicit*: hic actus formatus à Petro eſt falſus, facta ſuppoſitione, quod Paulus nihil aliud dicat, quàm Petrum dicere falſum, & ideo eſt falſus, quia dicit Petrum habere actum, qui affirmat veritatem diſtinctam à ſuo iudicio, & tamen Paulus non habet huiuſmodi actum.

11. Ad tertium, ſimiliter dico ſuppoſitum eſſe falſum, idem enim eſt Deum promittere gratiam Petro dicenti verum, poſito quod Petrus formet propoſitionem, quæ habet pro obiecto donationem gratiæ, ac Deum promitte-

re : *Dabo tibi gratiam ſi dabo tibi gratiam* : ſed repugnat huiuſmodi promiſſio, quia conditio debet eſſe diſtincta à re conditionata : ergò & repugnat illa hypotheſis, quæ fit in argumento.

12. Dices : ergò Deus non poteſt facere hoc pactum cum homine *dabo tibi gratiam ſi verum dicis*.

13. Reſp. diſtinguo conſeq. ergò Deus non poteſt facere hoc pactum includendo illam propoſitionem ; per quam aliquid affirmatur, vel negatur de gratia donanda : concedo Conſequentiam : excludendo talem propoſitionem nego conſequentiam ;

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

DI-

DISPVTATIO DVODECIMA.

De futuris contingentibus.

AGit Ariſtoteles in libris per Perihermenias de futuris cõtingentibus, an nimirum ſint determinate vera, vel determinate falſa. Ab hoc tractatu pendent multa, quæ agunt Theologi de illa ſcientia, qua Deus perfectè omnia nouit, antequàm eſſent, & de concordia libertatis humanæ cum efficacia diuinæ gratiæ de qua agunt Theologi, quia igitur ratio inſtituti præſentis poſtulat, vt Philoſophi ad Theologiam formentur, conabimur hanc controuerſiam expedire claritate quanta poſſumus maxima, vt nihil habeat Theologus, quod in noſtra Philoſophia debeat deſiderare circa duplicem ſcientiam, quarum alteram viſionis, alteram ſcientiam mediam appellant Theologi noſtræ Societatis, qui vtramque in Deo recognoſcunt.

QVAESTIO I.

Quid ſit, et quotuplex ſit futurum.

1. NIhil eſt magis perniciosum, quàm in ipſo limine alicuius ſcientiæ falſa pro veris aſſumere; error enim, vt dicit Philoſophus, qui eſt minimus in principio, eſt maximus in fine. Hinc multos erraſſe opinor circa veritatem futurorum contingentium, quia falſam habuere opinionem de futuris rebus: ideò opus habeo in hac quæſtione ſtabilire, quid ſit tandem illud, quod aliquam rem conſtituit futuram, quatenùs futuram, inde enim pendent multa explicanda in quæſtionibus ſequentibus. Iuuat igitur multas propoſitiones in præſenti formare, quæ exponant conceptum formalem res futuræ.

2. Prima propoſitio: omnis propoſitio in materia contingenti ſignificat cum tempore.

3. Ratio eſt manifeſta, quia nulla eſt propoſitio in materia contingenti, in qua verbum non habeat vim verbi, ſed verbum, quod habet vim verbi ſignificat cum tempore, ergo omnis propoſitio in materia contingenti ſignificat cum tempore. Hinc eſt nullam eſſe propoſitionem in materia contingenti, quæ non ſignificet aliquod tempus: propoſi-

poſitio enim, quæ abſtrahit ab omni tempore, eſt in materia neceſſaria. Duplex igitur tempus inuoluit propoſitio in materia contingenti, aliud in quo formatur ipſa propoſitio, aliud quod ſignificatur à propoſitione.

4. Secunda propoſitio. Tempus, quod ſignificatur à propoſitione, aliud eſt præſens, aliud præteritum, aliud futurum.

5. Ratio eſt, quia tempus conſtat ex partibus, quæ non poſſunt ſimul componi: id enim habet tempus vt ſemper fluat, & nunquam ſit in eodem ſtatu, quod autem ſemper fluit, habet partes, quarum aliæ antecedunt, aliæ ſuccedunt tempus igitur conſtat ex partibus antecedentibus, & conſequentibus, adeoque tempus aliud eſt præſens, quod in præſenti fluit, aliud præteritum, aliud futurum, quorum neutrum in præſenti fluit, ſed præteritum fluxit, futurum fluet. Habes exemplum ad explicandam vertiginem temporis, ſatis appoſitum in aqua fluminis perpetuò labentis, ea enim aqua, quæ heſterna die per Tyberim fluebat, non eſt illa, quæ hodie fluit; eodem pacto illud tempus, quod heri fuit, non eſt hodie: quo fit, vt tempus eſſentialiter componatur ex partibus præſentibus, præteritis, & futuris. Indè eſt, quod tempus ſignificatum à propoſitione in materia contingenti, aliud eſt præſens, aliud præteritum, aliud futurum. Propoſitio igitur in materia contingenti, alia eſt in præſenti, & de præſenti, quæ nimirum ſigni-

ſignificat tempus præſens, alia in præſenti non de præſenti, quæ ſignificat tempus præteritum, vel futurum.

5. Tertia propoſitio: futurum quatenus, futurum eſt illud, quod modo non eſt, ſed erit.

6. Conſtat ex dictis: quia futurum quatenus futurum non eſt præſens, neque præteritum, tempus enim præteritum eſt diuerſum à tempore præſenti, & futuro: ſed præſens eſt, quòd nunc eſt: præteritum verò, quod nunc non eſt, ſed fuit, ergo futurum quatenus futurum eſt id, quod modo non eſt, ſed erit.

7. Quarta propoſitio; futurum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum.

8. Ratio eſt, quia futurum quatenus futurum eſt illud, quod modo non eſt, ſed erit: illud autem, quod modo non eſt, ſed erit, aliud eſt quod abſolutè erit, hoc eſt nulla facta ſuppoſitione erit: aliud eſt, quod erit conditionate, quod nimirum erit, ſi erit aliqua conditio: futurum igitur aliud eſt futurum abſolutum, aliud conditionatum. Præterea de re futura poteſt formari duplex propoſitio, vna ſimplex, & abſoluta; alia compoſita, & hypothetica, ſed propoſitio ſimplex, & abſoluta de re futura habet pro obiecto rem abſolutè futuram, & propoſitio hypothetica rem conditionatè futuram; ergo futurum aliud eſt abſolutè futurum, aliud conditionatè futurum. Exemplum futuri abſoluti eſt illud futurum, quod ſignificatur huiuſmodi propoſitione *Antichriſtus erit*, ſiuè

ſiue *Antichriſtus peccabit*. Exemplum futuri conditionati eſt illud, quod explicatur in hac propoſitione hypothetica *ſi craſtina die petam ab amico librum, dabit.*

9. Quinta propoſitio: futurum quatenus futurum eſt formaliſſimè ens poſſibile: ens verò poſſibile formaliſſimè, non eſt ens futurum.

10. Ratio primæ partis eſt, quia futurum quatenus futurum formaliter eſt id, quod modo non eſt, ſed aliquando erit, ſiuè eſſet, ſed id quod erit ſiuè eſſet, eſt formaliſſimè ens poſſibile: ergo futurum quatenus futurum eſt formaliſſime poſſibile. Mi: eſt euidens, quià illud eſt poſſibile quod non repugnat, vt exiſtat, ſed non repugnat, vt exiſtat illud, quod aliquando erit, vel aliquando eſſet: ergo illud quod erit, vel eſſet, eſt formaliſſimè poſſibile: ergo futurum quatenus futurum, ſiuè abſolutum, ſiuè conditionatum eſt poſſibile. Sermo eſt de futuro conditionato ſub Hypotheſi poſſibili, quia de futuro conditionato ſub Hypotheſi impoſſibili non eſt dubium, quin huiuſmodi futurum non ſit poſſibile.

11. Ratio ſecundæ partis eſt, quia multa poſſunt eſſe, quæ nunquam erunt, neque eſſent; ſi eſſet illa conditio, ſub qua affirmantur conditionatè futura. Hinc alter mundus eſt poſſibilis, qui tamen nunquam erit. Præterea poteſt amicus donare librum rogatus, & tamen nunquam donabit, nec donaret, etiã ſi rogaretur, quia cum neceſſe non ſit vt rogatus

donet

donet librum, poteſt donare & non donare, ſi ergo non donaret, verum eſſet librum qui poteſt donari, non donandum, etiam ſi amicus peteret. Hinc eſt, quod magis latè patet ens poſſibile, quàm ens futurum, ſiuè abſolutè, ſiuè conditionatè, quià quidquid eſt futurum, eſt poſſibile, non verò quidquid eſt poſſibile eſt futurum, vt ſatis conſtat.

12. Sexta propoſitio: futurum quatenus futurum præter eſſe poſſibile includit duo tempora, vnum præſens in quo non eſt, aliud futurum, in quo erit.

13. Ratio eſt euidens, quia illud quod conſtituit Antichriſtum futurum, quatenus futurum, eſt illud, quod verificat Antichriſtum modo non eſſe, & aliquando eſſe futurum; ſed illud quod verificat Antichriſtum modo non eſſe, & aliquando eſſe futurum, eſt duplex tempus, vnum præſens, in quo Antichriſtus non eſt, aliud futurum, in quo erit, ergo &c. Præterea non poteſt intelligi formaliter res futura, niſi intelligitur eam modo non eſſe, quomodo enim eſt futurum id, quod nunc eſt? Id autem non eſt ſatis, vt ſit futurum id, quod eſt futurum, quia multa nunc non ſunt, quæ futura non ſunt, debet igitur intelligi res aliquando extitùra, vt intelligatur futura. Indè eſt conceptum rei futuræ non poſſe præſcindere à duplici tempore, in quorum vno res non eſt, in altero erit, ſicuti conceptus rei præteritæ includit formaliter tempus præſens, in quo præteri-

teritum non eſt, & tempus præteritum, in quo fuit. Futurum igitur & præteritum in eo conueniunt, quod neutrum modo eſt: differunt, quia præteritum ſignificat tempus antecedens, in quo fuit & futurum tempus conſequens in quo erit: quare relatè ad diem hodiernam eſt futura dies craſtina, & præterita dies heſterna, quia neutra hodie exiſtit, ſed dies heſterna fuit, antequam eſſet dies hodiernà, & dies craſtina erit poſt hodiernam.

14. Septima propoſitio: futurum conſtituitur formaliter futurum per formam, quæ non eſt adæquatè de præſenti, ſed eſt partim de præſenti, partim de futuro.

15. Veritas huius propoſitionis eſt euidens ex dictis, quia futurum quatenus futurum conſtituitur futurum per duplex inſtans, quorum vnum modo eſt, alterum modo non eſt: ergo omne id quod denominat futurũ, non eſt adæquatè de præſenti: conſtat enim ex duplici prædicato vno negatiuo, quod modo eſt; altero poſitiuo, quod modo non eſt. Prædicatum negatiuum, quod conſtituit Antichriſtum futurum, quatenus futurum, in eo conſiſtit, quod Antichriſtus non ſit: hoc prædicatũ ſine dubio modo eſt: quia Antichriſtus modo non eſt: prædicatum poſitiuum in eo conſiſtit, quod Antichriſtus aliquando erit: hoc prædicaum modo non eſt, alioquin Antichriſtus modo eſſet. Idem iudicium ferre debemus de forma, quæ conſtituit Antichriſtum futurum, & Adamum

præ-

præteritum, eſt enim vtrobique par ratio; ſicuti enim forma, quæ denominat Adamum præteritum, non eſt adæquate de præſenti, ſed partim de præſenti, & partim de præterito, ità forma quæ denominat Antichriſtum futurum, eſt partim de præſenti, partim de futuro.

16. Octaua propoſitio: futurum eſt formaliter futurum, etiam ſi nunc nihil ſit connexum cum re futura.

17. Ratio eſt manifeſta, quia curſus Petri craſtinus eſt futurus, per hoc præcisè, quod modo non eſt, & craſtina die erit, ſed poſſum intelligere curſum Petri craſtinum modo non eſſe, & deinde eſſe futurum; etiam ſi nihil hodie ſit connexum cum curſu craſtino Petri: ergo curſus craſtinus Petri eſt futurus, licet nunc nihil ſit connexum cum curſu craſtino Petri. Hic diſcurſus perinde probat de quacumque re futura, quæ conſtituitur formaliter futura ſecluſa quacumque re connexa cum re futura. Eodem argumento conſtat rem præteritam conſtitui formaliter præteritam, etiam ſi modo nihil ſit connexum cum re præterita.

18. Ex hac doctrina conſtat futuritionem formalem rei futuræ non eſſe nunc adæquate, quia eſt denominatio partim de præsēti partim de futuro. Hinc eſt, quod ad ferendum iudicium de re futura, vel non futura, non debet ſolum attendi inſtans præſens, quod modo eſt, ſed etiam inſtans futurum quod erit.

19. Nona propoſitio: futurum tàm abſolutum

lutum quàm conditionatum aliud eſt neceſſarium, aliud contingens.

20. Futurum neceſſarium eſt illud, quod erit neceſſariò, quià procedit à cauſa quæ habet neceſſitatem operandi. Futurum contigens eſt illud; quod contingenter erit, quia procedit à cauſa indifferenti ad operandum. Pro intelligentia huius rei notandum eſt diſcrimen inter cauſam liberam, & cauſam neceſſariam: vtraque dùm agit, determinatè agit determinatione actus ſecundi: quia omnis cauſa dum agit, potius agit, quam non agit, adeoque determinatè agit, ſicuti quælibet res dum eſt potius eſt quam non eſt, adeoque determinatè eſt. Cauſa vero libera ità agit, vt ipſa ſe determinet ad agendum, quia libere agit, cauſa neceſſaria ità agit, vt ſit determinata ad agendum; quia neceſſariò agit; adeoque non poteſt non agere. Cauſa libera in priori ad agendum, ſiuè in actu primò non eſt determinata ad agendum, cauſa verò neceſſaria in priori ad agendum ſiuè in actu primo eſt determinata ad agendum: exemplum futuri neceſſarij eſt craſtinus ortus ſolis, quia datur neceſſitas in ordine naturæ; vt ſol craſtina die naſcatur, cauſa enim ortus ſolis eſt cauſa neceſſaria. Exemplum futuri abſoluti contingentis eſt curſus craſtinus Petri, quia craſtina die ſine vlla neceſſitate currendi continget Petrum currere, propter indifferentiam principij proximi ad duo extrema contradictoriè oppo-

oppoſita, videlicet ad curſum, & non curſum. Huc ſpectãt omnes actus liberi, boni vel mali in genere moris, qui proueniunt à libertate humana, quia principium proximũ ſiuè cauſa actus liberi eſt indifferens ad agendũ, vel non agendũ.

21 Hæc eſt ratio, præter quam S. Thomas acutiſſimè ait in 1.p.q.13.ar.15. futura contingentia nõ poſſe cognoſci certò, & infallibiliter in ſua cauſa, quia in medio indifferenti ad vtrũque, ſicuti eſt cauſa futurorum contingentium, non poteſt determinatè cognoſci vnum.

22. Eodem modo philoſophandum eſt de futuro conditionato, quod explicatur propoſitione hypothetica, aliud enim eſt futurum conditionatum contingens aliud neceſſariũ. Magnum eſt diſcrimen inter propoſitionem Hypotheticam, in qua inuenitur neceſſaria connexio conditionis cum conditionato, & propoſitionem Hypotheticam, quæ non habet hanc neceſſariam connexionem; illa enim eſt de futuro conditionato neceſſariò, iſta verò de futuro contingenti. Exemplum propoſitionis Hypotheticę de futuro neceſſariò habes tum in hac propoſitione *Petrus ſi eſt prædeſtinatus ſaluabitur*, tũ in alijs in materia neceſſaria, de quibus diſputabimus in Metaphyſica vbi ſermo erit de ente poſſibili. In huiuſmodi propoſitionibus affirmatur aliqua neceſſitas, quæ nunc eſt vt prædeſtinatus ſaluetur, vt homo ſit animal rationale. Exẽplum conditionati cõtingentis habes in hac propoſitione *Petrus ſi vocabitur à Deo conuertetur*,

tur, quæ eſt ſimilis huic *ſi petam ab amico librum dabit*: quia vocatio qua vocantur à Deo quicumque ad pœnitentiam conuertuntur, eſt gratia Dei, quæ excitat quidem, mouet, & ſuadet modo ſecreto, & mirabili liberam hominis voluntatem vt conuertatur à via ſua mala, ſed illam non cogit, vt nimirùm relinquat eius libertatem intactam. indè eſt huiuſmodi vocationem poſſe coniungi cum negatione conſenſus, quia non eſt neceſſe quemcumque vocatum à Deo conuerti, ſicuti non eſt neceſſe amicum rogatum donare librum, quot enim ſunt, qui vocati non conuertuntur!

22. Vltima propoſitio: futurum contingens conditionatum, quà futurum conditionatum eſt, nihil aliud affirmat, quam exiſtentiam conditionati exiſtente conditione, adeoque ſenſum compoſitum conditionis cum conditionato.

23. Ratio eſt, quià futurum contingens conditionatum quà futurum conditionatum abſtrahit ab hoc, vel illo futurò, ſed futurum, quod abſtrahit ab hoc, vel illo futuro nihil aliud affirmat, quàm exiſtente conditione extiturum conditionatum, ergo, &c. Minor probatur, quià futurum conditionatum aliud eſt, in quo conditio conducit ad conditionatum per modum cauſæ mouentis, inclinantis, vel efficientis licet illud non inferat neceſſario neceſſitate conſequentiæ; alia eſt conditio, quæ nullo modo conducit, ſed imperti-

 nen-

nenter ſe habet ad exiſtentiam conditionati, huiuſmodi conditio vocatur diſparata. Exemplum conditionati ſub conditione conducente eſt hoc: *Petrus ſi vocabitur conuertetur,* quia non eſt dubium quin diuina vocatio multum conducat ad conuerſionem. Exemplum conditionati ſub conditione diſparata eſt huiuſmodi: *ſi Turca ſaltabit Petrus conuertetur*, quid enim conducit Turcæ ſaltatio ad Petri conuerſionem? & tamen fieri poteſt, vt ſaltante Turca Petrus à Deo vocatus conuertatur, hinc eſt, quod iſta propoſitio, quæ eſt Hypothetica *ſi Turca ſaltabit Petrus conuertetur* non affirmat ſaltationem Turcæ eſſe cauſam conuerſionis Petri: alioquin eſſet falſa, ſed ſolum affirmat ſaltationem Petri coniungendam cum Turca ſaltante, qua in re nulla eſt repugnantia. Propoſitio igitur de futuro contingēti conditionato nihil aliud affirmat, quàm conditionatum futurum exiſtente conditione, adeoque ſenſum compoſitum conditionis cum conditionato.

QVAESTIO II.

Vtrum propoſitio de futuro contingenti abſolute ſit determinate vera, vel determinate falſa.

1. CErtum eſt apud omnes ex duabus propoſitionibus contradictorijs de futuro con-

contingenti abſoluto alteram eſſe veram, & alteram falſam indeterminate: ratio eſt euidens, quia repugnat vtramque eſſe veram, & vtramque eſſe falſam, alioquin duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, vel ſimul falſæ, ergo eſt neceſſe, vt altera ſit vera, & altera falſa: hinc eſt ex iſtis propoſitionibus *Petrus cras peccabit*, *Petrus cras non peccabit*, neceſſarium eſſe, vt alterutra ſit vera, quia vtraque non poteſt eſſe vera, neque vtraque falſa: ergo datur neceſſitas, vt altera ſit vera, & altera falſa, quæ veritas fundata in hac neceſſitate, eſt veritas neceſſaria, non contingens, hæc enim propoſitio diſiunctiua *Petrus cras peccabit, vel non peccabit*, eſt neceſſariò vera, non minus, quam quælibet propoſitio æternæ veritatis.

2. Quæſtio igitur, quæ cadit in præſentem controuerſiam, eſt vtrùm ex duabus propoſitionibus de futuro contingenti abſoluto, altera ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa, adeoque vtrum ſit determinate vera, vel determinatè falſa hæc propoſitio, *Petrus cras peccabit*, eo modo, quo propoſitio affirmans Petrum non peccare eſt determinatè vera, vel determinatè falſa.

3. Dico primo: ſententia, quæ negat eſſe determinatè veram, vel falſam, propoſitionem de futuro contingenti abſoluto, non ſolum eſt impia, & contraria fidei catholicæ, ſed etiam eſt contra lumen naturæ. Hanc concluſionem docent omnes Philoſophi Catholici, vt conſtat

ex S. Auguſtino, qui in libro 5. de Ciuit. Dei cap. 1. acutè inuehitur aduerſus Ciceronem de diuinatione, & alios Philoſophos Gentiles, qui negabant Deo ſcientiam rerum futurarum pendentium à libero arbitrio, adeoque hominem, vt facerent liberum, fecere ſacrilegum.

4. Probatur hoc argumento. Conſtat tam lumine fidei, quàm lumine naturæ Deum ab æterno habuiſſe cognitionem certiſſimam, & infallibilem cuiuslibet futuri contingentis, quæ vocatur præſcientia rerum futurarum, ergo ſententia, quæ negat veritatem futurorum contingentium, repugnat fidei, & rationi. Conſequentia eſt manifeſta, quia ſi non eſt verum Petrum cras peccaturum, Deus modo non cognoſcit, an Petrus cras ſit peccaturus. Antecedens probatur, quod enim id conſtet lumine fidei nemo poteſt dubitare, quia in hac præſcientia Dei fundantur omnes reuelationes, quas ex ſacris litteris habemus factas à Deo circa res futuras, eaſque eſt adeò certum non poſſe falſificari, ſicuti eſt certum Deum, qui eſt ſapientiſſimus ſimul & optimus, non poſſe mentiri, vel errare: quod autem idem conſtet etiam lumine naturæ probatur euidenter, quià eſt manifeſte contra lumen naturæ aſſerere, quod Deus, qui habet ſcientiam infinitam, non cognoſcat certò, quidquid ab hominibus libere fit, ſiue bonum ſiue malum, alioquin non cognoſceret omnia, quod repugnat infinitæ ſapientiæ, neque poſſet remunerari virtutem, & puni-

punire vitia, quod repugnat infinitæ prouidentiæ, ſed ſi eſt notum lumine naturæ Deum aliquando cognoſcere actus liberos voluntatis humanæ, eſt etiam notum Deum ab æterno, & ſemper eos cognouiſse, alioquin de non cognoſcente fieret cognoſcens, quod repugnat diuinę immutabilitati, ergo conſtat lumine naturæ Deum cognoſcere futura contingentia, adeoque propoſitionem de futuro contingenti eſſe determinatè veram, vel determinatè falſam.

5. Dico ſecundò: Propoſitio de futuro contingenti abſoluto eſt determinatè vera, vel determinatè falſa, veritate, vel falſitate deſumpta ex re futura, præſcindendo ab omni extrinſeco nunc exiſtente. Hanc ſententiam docet experſſe Scotus in primo diſt. 3. quæſt. 1. S. Bonauentura diſp. 33. art. 3. Riccardus, Gabriel, Ochamus, Sotus, Suarius, & Vaſquez cum omnibus fere recentioribus contra Albertum Magnum in primo de interpretatione, Catherinum in opuſculo, C. Toletum, & alios.

6. Antequam probem concluſionem duo principia Ariſtotelis ſuppono nota lumine naturæ primum principium eſt illud, quod Philoſophus tradit in libro Perihermenias ab eo, quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa: ſecundum principium, tradit idem Ariſtoteles in ſua Metaphyſica; quodlibet eſt, vel non eſt: hoc principium ita debet intelligi, vt particula diſiunctiua non ha-

beat ſenſum confuſum, & vagum, vt in hac propoſitione, *hac vel illa nauis eſt neceſſaria ad nauigandum*, ſed determinatum, vt in hac propoſitione: *hic, vel ille oculus videt*. Ratio huius eſt, quia nullum eſt inſtans reale in quo aliquid, neque ſit, neque non ſit, vel ſimul ſit, & non ſit, ergo ita eſt verum quodlibet eſſe, vel non eſſe in quocumque inſtanti, vt à negatione vnius valeat conſequentia ad affirmationem alterius.

7. Ex iſtis principijs Ariſtotelicis probatur primo hoc ſyllogiſmo noſtra ſententia. Omnis propoſitio eſt determinate vera, vel falſa; quando obiectum in eo inſtanti, quod ſignificatur à propoſitione determinate eſt, vel determinate non eſt, ſicuti affirmatur eſſe: ſed obiectum propoſitionis de futuro contingenti abſoluto in inſtanti ſignificato à propoſitione determinate erit, vel determinate non erit, ergo propoſitio, quæ affirmat aliquod obiectum contingens abſolutè futurum, eſt determinatè vera, vel falſa. Argumentum eſt in forma. Ma: & min: ſunt euidentes, quià continent prædicta principia.

8 Probatur ſecundo: promouendo idem argumentum. Hæc propoſitio *Petrus nunc peccat*, quæ affirmat rem præſentē, vel eſt determinate vera, vel falſa, ergo ſimiliter propoſitio, quę affirmat peccatum futurum, nimirum *Petrus peccabit* eſt determinatè vera, vel falſa. Conſequentia probatur; Ideò eſt vera prima, quià in hoc inſtanti

ſtanti,in quo ſignificatur Petrum peccare, Petrus determinate peccat, vel determinate non peccat; hoc eſt, ita peccat, vt potius peccet, quàm non peccet, vel ita non peccat, vt potius non peccet, quàm peccet: ſed etiam in inſtanti futuro, in quo ſignificatur peccatum Petri, determinate Petrus peccabit, vel determinate non peccabit, ergo hæc ſecunda propoſitio Petrus peccabit eſt determinate vera, vel falſa, ſicuti prima. Minor probatur: ideo Petrus nunc determinate peccat, vel determinate non peccat, quia in hoc inſtanti reali, neque poteſt peccare, ſimul, & non peccare, neque poteſt habere eſſe quodammodo ſuſpenſum, & præſcindens à peccato, & non peccato, ſed eodem modo repugnat, vt in inſtanti reali ſequenti Petrus comittat ſimul, & non committat peccatum, vel neque committat, neque non comittat peccatum; ergo in inſtanti ſequenti Petrus, vel determinate peccabit, vel determinate non peccabit, ſicuti in hoc inſtanti, vel determinate peccat, vel determinate non peccat.

9. Confirmatur: illud idem affirmat propoſitio de futuro formata nunc *Petrus cras peccabit*, quod affirmat propoſitio de præſenti formanda craſtina die *Petrus nunc peccat*, ſed Peccatum Petri eſt illud, quod verificabit propoſitionem craſtina die formandam, *Petrus nunc peccat*, ergo idem determinatè verificat hanc propoſitionem de peccato futuro formatã hodie *Petrus cras peccabit*,ergo propoſitio de fu-

turo cótingenti eſt determinate vera, vel falſa. Mai: probatur, tum quia vſus inualuit, vt idem cenſeatur enunciare, qui affirmat rem fore, antequam ſit, ac ille, qui affirmat rem eſſe, quando eſt, ſicuti idem credimus nos, qui credimus Chriſtum veniſſe, ac illi, qui credebant Chriſtum venturum, antequam veniſſet, tum quia Petrus Romæ exiſtens idem affirmat, quando per literas alloquitur amicum ſtudentem Neapoli, dicendo *tu iſtic ſtudes*, ac affirmet amicus exiſtens Neapoli, qui dicit: *ego hic ſtudeo*, ergo à pari idem dicit, qui dicit Petrum peccaturum, ac ille qui dicet craſtina die *Petrus nunc peccat*.

10. Probatur tertiò: Deus ab æterno cognouit omnia futura contingentia abſoluta in ſe ipſis, per illam ſcientiam, quam Theologi vocant ſcientiam viſionis, ergo futura contingentia abſoluta ſunt determinatè vera, veritate deſumpta ex ipſo obiecto futuro. Conſequentia probatur: ideò præcisè Deus ab æterno cognouit certò, & infallibiliter per ſcientiam viſionis omnia futura contingentia abſoluta, quia Deus ratione infiniti luminis in cognoſcendo, eſt determinatus ad ſciendum omne id, quod in aliqua differentia temporis habet veritatem, & cognoſcibilitatem, & præterea quæcumque res futura pro aliqua differentia temporis vere, & determinate erit: neque enim dici poteſt, vt contendunt Thomiſtæ, Deum habere præſcientiam rerum futurarum,

eo

eo quòd omnia futura ſunt phyſicè præſentia diuinæ æternitati, quæ complectitur indiuiſibiliter omnia tempora, tum quia etiam ſi futura non haberent præſentiam phyſicam in diuina æternitate, adhuc Deus propter infinitum lumen, quod habet in ſuo intellectu videret omnia futura, tum quia ſi Antichriſtus eſt nunc præſens diuinæ æternitati, ideò eſt præſens, quia aliquando erit in aliqua temporis differentia, ergo præciſa, & formalis ratio, propter quam Deus cognoſcit Antichriſtum futurum, non eſt præſentia Antichriſti in Diuina æternitate, ſed eſt ipſe Antichriſtus futurus. Hoc eodem argumento conſtat præſcientiam, quam Deus habet de omnibus rebus futuris, fundari in eo, quòd quælibet propoſitio de futuro contingenti abſoluto eſt determinate vera, vel falſa, veritate, vel falſitate deſumpta ex re futura, vel non futura. Huc ſpectat id, quod in rem noſtram, de hac diuina præſcientia loquitur Vates regius in Pſ. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuidiſti: Tu Domine cognouiſti omnia, nouiſſima & antiqua.*

11. Confirmatur, quia ſi eſt verum determinatè; Petrum eſſe peccaturum, eo quòd Deus habet ſcientiam peccati futuri, ſequitur; Petrum ideò peccaturum, quia Deus videt Petrum peccaturum, quod eſt falſum, & contra celebre illud Auguſtini principium, *Futura non ideò ſunt futura, quia Deus nouit, ſed*

ideò

ideò Deus nouit, quia ſunt futura.

12. Huic ſententiæ, quam de futuris contingentibus tradidimus videtur fauere S. Thomas, licet Thomiſtæ contradicant, vt oſtendo, S. Thomas in 1. part. qu.14. art.13. traditurus rationem cur Deus certò cognoſcat futura contingentia, recurrit ad illud eſſe determinatum, quod omnia contingentia in ſeipſis habent quando exiſtunt, ideò ingeniosè diſtinguit in quolibet futuro contingenti duplex eſſe: aliud in cauſa, aliud in ſeipſo, & quia cauſa futuri contingentis eſt indifferens ad illud producendum, vel non producendum, infert egregiè S.Doct. Deũ nõ poſſe cognoſcere futura contingentia in eorum cauſa. Aliud eſt eſſe futuri contingentis, quod habet in ſe ipſo, quando phyſicè eſt, & hoc appellat eſſe determinatum: quare futura contingentia cognoſcuntur certò à Diuino intellectu, quia eius cognitio, quæ menſuratur æternitate, attingit illud inſtans, in quo vnaquęque res futura potius erit, quam non erit, eo modo, quo viſio, qua video Petrum ſedentem, licet habeat pro obiecto aliquod contingens, eſt certiſſima, quia attingit illud eſſe determinatum, quod habet Petrus dum ſedet. Hæc tota doctrina, quæ noſtram illuſtrat ſententiam deſumpta eſt ab articulo citato S. Thomæ, qui omnino videndus eſt.

13. Dubium eſt, an Ariſtoteles fuerit in noſtra ſententia, quia in libro Perihermenias

cap.

cap. vltimo ſignatè ait non dari determinatam veritatem,vel falſitatem propoſitionum ſingularium de futuro contingenti; vnde occaſionem delumpſere nonnulli Philoſophi, opinandi Ariſtotelem negaſſe diuinã præſcientiam rerum futurarum. Ego tamen ſentio Ariſtotelis verba fuiſſe malè intellecta ab iſtis Philoſophis; Ariſtoteles enim, dum ait propoſitionem de futuro contingenti non eſſe determinate veram loquitur de veritate determinata, prout determinatum conuertitur cum neceſſario; vt euidenter conſtat accuratè obſeruantibus Ariſtotelis textum: omnia enim argumenta, quæ ſunt plurima, & efficaciſſima, eiſque Philoſophus vtitur ad probandam ſententiam ſuam, ſupponunt idem eſſe rem determinate futuram, & rem neceſſario futuram, quod eſt euidentiſſimum,ſi pro eſſe determinato intelligatur illud eſſe, quod habet effectus neceſſarius in cauſa determinata ad vnum; cæterum ſi accipiatur eſſe determinatum pro determinatione tranſcendẽtali,quæ vagatur per omnes effectus, ſiue contingentes, ſiue neceſſarios, omnia argumenta, quibus Philoſophus vtitur, nullius momenti ſunt, quia faciunt tranſitum ab vno genere determinationis, quod componitur cum contingentia, ad aliud genus determinationis quòd opponitur contingentiæ: neque poteſt prudenter credi tantum Philoſophum fuiſſe hallucinatum in hac puerili æquiuocatione; quare illam veritatem, vel falſitatem determina-

natam, quantum ergo arbitror, negat Ariſtoteles futuris contingentibus, quæ poſſit certò cognoſci ab intellectu creato, qui nimirum indiget præſentia obiecti ad illud determinatè cognoſcendum: in hoc ſenſu eſt veriſſimum non dari in rerum natura veritatem determinatam futurorum contingentium, quia in rerum natura nihil eſt connexum à priori, vel à poſteriori cum futuro contingenti: hoc tamen non obſtat, quo minus quilibet effectus contingens ſit determinatè futurus, vel determinatè non futurus, adeoque propoſitio, quæ affirmat huiuſmodi futurum contingens, ſit determinatè vera, vel determinatè falſa, eiuſque ſcientia ad Deum pertineat.

14. Ex his, quibus oppugnatur noſtra ſententia, aliqua ſpectant ad libertatem humanam, quę videtur violari, ſi verum ſit, quòd Deus ſciat Petrum peccaturũ, antequã Petrus habeat poteſtatem peccãdi. De his ne verbũ quidem in præſenti, ea enim reijcimus in vltimam quæſtionem huius diſputationis, vbi agemus ex profeſſo de concordia noſtrę doctrinæ de futuris contingentibus cum noſtra libertate, cum qua videtur pugnare: cætera argumenta, quæ poſſunt opponi, ſunt huiuſmodi.

15. Primò: hęc propoſitio, *Petrus cras peccabit* neque eſt determinatè vera, neque determinatè falſa: ergo propoſitio de futuro contingenti abſoluto non eſt determinatè vera, nec determinatè falſa. Probo antecedens; propoſi-

tio

ctio conſtituitur vera, vel falſa per obiectum; ſed peccatum craſtinum Petri, quod eſt obiectum propoſitionis, non datur: ergo iſta propoſitio non eſt vera, nec falſa.

15. Secundò: non poteſt dari nunc denominatio, ſiue conſtitutum, niſi nunc dentur omnia conſtitutiua, vt patet inductione; non poteſt nunc eſſe homo, ſi nunc non eſt anima: non poteſt eſſe album, ſine albedine &c. ſed nunc non datur peccatum Petri, quod conſtituit propoſitionem veram, ergo nunc non eſt vera propoſitio.

16. Tertiò: iſte actus, qui affirmat Petrum cras peccaturum, eſt verus nunc; ergo datur nunc id, per quod huiuſmodi actus conſtituitur verus, ſed id, per quod conſtituitur verus eſt veritas, quæ nunc non eſt, quia veritas conſtituitur per obiectum, quod non eſt; ergo huiuſmodi actus non eſt verus nunc.

17. Quartò: non poteſt eſſe effectus formalis ſine cauſa formali, ſed verum eſt effectus formalis, & veritas cauſa formalis, ergo non poteſt propoſitio eſſe vera nunc ſi nunc non eſt veritas, ſed nunc non eſt veritas de peccato Petri futuro: ergo nunc non eſt vera propoſitio, quæ affirmat Petrum peccaturum. Confirmatur, quia non eſt maior ratio, cur ſit verum nunc Petrum eſſe peccaturum, & non detur veritas nunc: ergo, vel neutrum, vel vtrumque datur nunc, ſed vtrumque non datur nunc, ergo neutrum.

Quin-

18. Quintò: omne id, quod eſt nunc, eſt indifferens, vt coniungatur cum peccato futuro: ergo propoſitio, quæ affirmat Petrum peccaturum, non eſt vera nunc. Conſequentia eſt euidens, quia propoſitio ſecundum ſe eſt indifferens, vt ſit vera vel falſa. Antecedens probatur; id quod eſt nunc, vel eſt aliquid diſparatum reſpectu peccati Petri, vel eſt cauſa peccati: ſi eſt aliquid diſparatum, vtique eſt indifferens ſi eſt cauſa: etiam eſt indifferens, quia cauſa effectus liberi non eſt determinata ad vnum, ergo &c.

19. Sextò: propoſitio de præterito ideo eſt vera nunc, quia datur nunc aliquid connexum cum re præterita, ergo propoſitio de futuro, vel non eſt vera nunc, vel datur nunc aliquid connexum cum re futura, ergo propoſitio de futuro contingenti, vel non eſt vera nunc, vel eſt vera per aliquid diſtinctum à re futura. Antecedens probatur, quia nunc datur id, per quod eſt verum Adamum fuiſſe, nimirum memoria, quam habent homines, & Angeli de Adamo præterito.

20. Septimò: propoſitio indifferens, vt ſit vera, vel falſa non eſt determinate vera, ſed huiuſmodi eſt propoſitio de futuro contingenti, ergo non eſt determinatè vera. Maior eſt certa, quia indifferens, & non indifferens, ſiue determinatum opponuntur. Minor etiam conſtat, quia propoſitio in materia contingenti non eſt neceſſario vera.

Vlti-

Vltimo: vel propoſitio de futuro contingenti non eſt vera nunc, vel idem eſt conſultare de re futura ac de expugnanda Troia iam expugnata, ergo propoſitio de futuro contingenti non eſt vera nunc. Antecedens probatur: formo hanc propoſitionem *Anno ſequenti erit bellum naṅale*: hæc propoſitio eſt vera, vel falſa nunc: ſit igitur vera. Qui ergo menſe proximo conſultabit de bello nauali poſt annum inſtituendo, conſultabit de facienda vera iſta propoſitione, quæ nunc eſt vera, qui enim conſultat de facienda vera iſta propoſitione, *anno ſequenti erit bellum nauale* conſultat de verificanda propoſitione iam vera; ergo illud idem conſultat, quod conſultaret, qui conſultaret de expugnanda Troia iam expugnata.

21. Ad primum reſpondetur: nego antecedens: ad eius probationem diſtinguo ma: conſtituitur vera, vel falſa per obiectū exiſtens in eo tempore, in quo formatur propoſitio: nego mai: in eo tempore, quod ſignificatur per propoſitionem: conc: ma: & diſtinguo min: peccatum craſtinum Petri non eſt in eo tempore, in quo formatur propoſitio, concedo min: non eſt in eo tempore, quod ſignificatur à propoſitione: nego mi: & conſequentiam. Propoſitio eſt imago obiecti, cui ſi eſt conformis dicitur vera; ſi difformis falſa. Inde eſt veritatem, vel falſitatem deſumendam ex obiecto exiſtente, vel non exiſtente in eo tempore,

quod

quod ſignificatur à propoſitione, quidquid ſit an exiſtat, quādo propoſitio exiſtit. ineptè, igitur arguis propoſitionē, quę affirmat Petrū cras pęccaturum, non eſſe nunc veram, eo quod *Petrus hodie non peccat*: quinimo ſi peccaret hodie, non peccaturus craſtina die; propoſitio eſſet falſa: ratio à priori eſt, quia obiectum huius propoſitionis eſt peccatum non hodiernum, ſed craſtinum; ergo vt propoſitio ſit vera, peccatum non debet eſſe hodie, ſed cras; quemadmodum enim propoſitio, quæ affirmat obiectum præſens verificatur per rem præſentem, ità propoſitio, quæ affirmat rem futuram verificatur per rem futuram.

22. Ad ſecundum diſt: ma. Non poteſt dari nunc denominatio de præſenti, niſi dentur omnia conſtitutiua: conc. ma: denominatio de futuro, vel de prięterito: nego mai. & conceſſa mi: nego conſequentiam. Denominationes diuerſæ debent habere conſtitutiua diuerſa, quare male arguis, ſi ab vna denominatione arguis ad aliam. An non male argueret, quicumque in hunc modum argueret? *homo eſt animal rationale, ergo equus eſt animal rationale*; an petenti diſparitatem, alia deberet tradi, niſi quod homo eſt homo, & equus eſt equus? nulla alia profectò: vide igitur an mutato nomine de te fabula narretur, qui ad me oppugnandum in hunc modum argumentaris: *Album non poteſt conſtitui ſine albedine nunc exiſtenti, ergo verum non poteſt conſtitui ſine veritate nunc*

exi-

exiſtente : conceſſo enim antecedenti nego conſequentiam : neque aliam diſparitatem, tibi poſſum tradere, niſi quod denominationes ſunt diuerſæ : vna intrinſeca, phyſica, & de præſenti, alia extrinſeca, logica, & de futuro. Dicas mihi : denominatio Aquæ benedictæ, Hoſtiæ conſecratæ, Domus antiquæ, & ſimiles non ne dantur nunc ? an prætereà datur nunc benedictio, quæ conſtituit aquam benedictam, & conſecratio, quæ conſtituit Hoſtiam conſecratam ? rurſus non ne eſt verum nunc Iulium Cæſarem fuiſſe, & tamen quis dicat Iulium Cæſarem nunc eſſe per quem conſtituitur hæc veritas : ratio à priori eſt, quia ſicuti repugnat exiſtere totum phyſicum, niſi exiſtant omnes eius partes, ita non repugnat exiſtere totum logicum non exiſtentibus omnibus eius partibus : ſed denominatio rei præteritę, & rei futuræ eſt totum logicum, non phyſicum : ergo poteſt eſſe nunc denominatio rei de præterito, vel de futuro; quin exiſtat nunc res præterita, vel futura.

23. Ad tertium : conc: antec: & nego conſeq: quæro ab arguente: quando Romæ exiſtens affirmas Turcam ſaltare Conſtantinopoli, & verum dicis, vbi nam verum dicis ? Romæ ne, an Conſtantinopoli. Romæ vtique, & tamen illud, per quod tu verum dicis, non eſt Romę ſed eſt Conſtantinopoli. Non erit igitur inconueniens, ſi propoſitio ſit vera hic, & obiectum ſit alibi, quod eam verificat, vt tu cogeris fa-

teri, qui concedis veritatem conſtitui per cognitionem, & obiectum. Cur itaque miraris, ſi ego dico, actum qui nunc affirmat Petrum cras pecaturum, eſſe verum nunc, licet non ſit nunc id per quod eſt verus nunc?

24. Ad quartum; Diuerſi effectus formales debent habere cauſas formales diuerſas, vt patet ex terminis. Alij igitur ſunt effectus formales in præſenti, & de præſenti, alij ſunt effectus formales in præſenti de pręterito, vel futuro. Effectus formales in præſenti & de præſenti debent habere cauſam formalem præſentem, ita nemo poteſt eſſe nunc doctus, & ſanctus, niſi habeat nunc doctrinam, & ſanctitatem. Effectus verò formales, qui ſunt in præſenti de futuro non debent habere pręſentem cauſam formalem: huiuſmodi eſt denominatio veri, quæ in præſenti conuenit propoſitioni affirmanti Petrum peccaturum, hic enim effectus formalis eſt in præſenti de futuro, ideò non debet habere cauſam formalem pręſentem, nimirum veritatem obiectiuám, quæ in genere cauſæ formalis denominat actum verum, eo formè pacto, quo propoſitio affirmans Adamum fuiſſe eſt vera nunc; & tamen cauſa formalis non eſt nunc. Ad confirmationem dico euidentem diſparitatem inter verum & veritatem petendā eſſe ex ſummulis Part. 1, cap 6. num. 2. vbi docuimus terminum abſtractum differre à concreto, quia abſtractus omnia ſignificat in recto, ſecus concretus, vnde

ſit

ſit dari in termino concreto id, pro quo ſupponit, & id, quod tantum ſignificat, quod in termino abſtracto non datur, qui omnia ſignificat in recto; adeoque ſupponit pro omni eo quod ſignificat: hic terminus *verum* eſt terminus concretus, qui ſupponit pro actu vero, & ſignificat obiectum, per quod conſtituitur verus. Hic terminus *veritas* eſt terminus abſtractus, qui ſignificat in recto cognitionem, & obiectum: inde eſt veritatem de peccato craſtino Petri non dari nunc adæquatè, licet actus ſit verus nunc.

25. Ad quintum:diſt.antec omne id,quod eſt nunc, eſt indifferens ſumendo ly *eſt* ampliatiuè: nego Antecedens: ſumendo ſine ampliatione: concedo Antecedens: & nego Conſequentiam.Dictum eſt in ſummulis Par.1.cap.9. num.4. verbum, ex quo conſtat propoſitio, aliquando ampliari, ſiuè extendi ad ſignificandum tempus diuerſum ab illo, in quo eſt propoſitio, aliquando reſtringi ad ſolùm tempus præſens. Hinc eſt,quòd ſi verbum ſumatur cum ampliatione,propoſitio quam aſſumit arguens, eſt falſa, cum enim ratione ampliationis verbum extendatur ad ſignificandum tempus futurum, quando peccatum Petri erit, vel non erit, conſequens eſt eſſe falſum, nihil dari in natura connexum cum peccato Petri, quia datur, vel dabitur determinatè peccatum Petri: quòd ſi verbum accipiatur ſine vlla ampliatione, propoſitio eſt vera, vt oſtenſiuè pro-

bat argumentum, etiam ſi nihil ſit modo connexum cum peccato Petri, quia ad verificandam propoſitionem de peccato futuro non eſt neceſſe, vt nunc aliquid ſit connexum cum peccato.

26. Ad ſextum. Nego cauſalem: eadem enim eſt ratio in propoſitione de præterito, ac de futuro, quia ſicuti res futura verificat propoſitionem, quæ affirmat rem fore, ità res præterita verificat propoſitionem, quæ affirmat rem fuiſſe: quidquid ſit an modo exiſtat aliquid connexum cum re præterita, eo modo, quo curſus Petri facit veram propoſitionem affirmantem Petrum currere. Diſcrimen inter rem præteritam,& rem futuram eſt, quod nunc poteſt eſſe aliquid connexum cum re præterita, nihil poteſt eſſe nunc connexum cum re futura; quia nunc poteſt eſſe aliquis effectus rei, quæ aliquando fuit, non poteſt eſſe effectus rei quæ erit, cum nullus effectus antecedat ſuam cauſam. Hoc diſcrimen non obſtat, quominùs propoſitio de re præterita verificetur per rem præteritam, ſicuti propoſitio de futuro per rem futuram, vt conſtat; ſi enim aliquid euincitur pro re præterita, quod non militat in re futura, id tantùm in eo conſiſtit, quòd non tantùm eſt vera propoſitio de præterito; ſed etiam poteſt naturaliter dari ſcientia de re præterita, quæ non poteſt de re futura dari, ſcientia enim futurorum eſt argumentum Diuinitatis iuxta illud Iſaiæ. *Annunciate nobis futura,*

re , & dicemus quoniam dij vos eſtis.

27. Ad ſeptimum: Diſtin. Mai: propoſitio indifferens, vt ſit vera vel falſa, non eſt determinate vera determinatione actus primi concedo mai: determinatione actus, ſecũdi: nego Mai: & conceſſa Min: diſtinguo conſequens, ergò propoſitio de futuro contingenti non eſt determinate vera determinatione actus primi, concedo conſequentiam: determinatione actus ſecundi, nego conſequentiam: eodem modo eſt vera propoſitio de peccato futuro quo modo peccatum erit, quia verò Petrus determinate peccabit habens indifferentiam ad peccandum vel non peccandum, ideò propoſitio de futuro contingenti eſt determinate vera etiamſi ſit indifferens, vt ſit vera vel falſa. Ratio à priori, quæ demonſtrat vtrumque non repugnare eſt, quia determinatio, quæ opponitur indifferentiæ non eſt quæcũmque determinatio, ſed illa tantùm, quæ excludit potentiam ad oppoſitum. Ego, qui modo ſum, determinate ſum, & tamen habeo indifferentiam ad exiſtendum, quia huiuſmodi determinatio non excludit à me potentiam non exiſtendi: eſt igitur aliqua determinatio, quæ componitur cum indifferentia. Cæterum non eſt dubium, quin aliqua determinatio opponatur indifferentiæ, quia aliqua determinatio excludit potentiam ad oppoſitum: determinatio oppoſita indifferentiæ eſt determinatio actus primi, determinatio non oppoſita indifferentiæ eſt determina-

tio actus ſecundi, quia verò propoſitio de futuro contingenti eſt determinate vera determinatione actus ſecundi, non determinatione actus primi, ideò poteſt eſſe determinate vera & ſimul indifferens, vt ſit vera vel falſa. Cæterum huius argumenti imbecillitas inde conſtat, quòd apud omnes eſt indubitatum propropoſitionē in materia contingenti de re præſenti eſſe determinate veram, licet ſit indifferens vt ſit vera vel falſa.

28. Ad vltimum. Qui conſultat an ſequenti anno gerendum ſit bellum nauale, bene conſultat, etiamſi nunc verum ſit bellum nauale futurum: ratio eſt, quià hæc propoſitio *bellum nauale erit*, licet ſit vera nunc, non eſt vera per denominationem de præſenti vel præterito, ſed eſt vera per denominationem de futuro non eſt autē inconueniens conſultare de facienda vera propoſitione quę nūc eſt vera per denominationem de futuro, ſicuti eſſet inconueniens ſi quis cōſultaret de facienda vera propoſitione, quæ eſt vera per denominationem de præſenti, vel de præterito: hinc patet diſpar ratio inter illum, qui conſultat de bello nauali futuro, & illum, qui conſultat de expugnanda Troia, quia propoſitio vera de bello nauali eſt propoſitio vera in præſenti de futuro: è contrario propoſitio vera de incendio Troiæ eſt vera in præſenti de præterito,

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrum Propoſitio de futuro contingenti conditionatio ſit determinate vera, vel falſa.

1. VIdetur non eſſe primò. Iſta propoſitio *Petrus ſi vocabitur, conuertetur* non eſt determinatè vera nunc: ergò propoſitio de futuro contingenti conditionatio non eſt determinate vera. Antecedens probatur: nihil eſt nunc, per quod iſta propoſitio ſit vera potiùs, quàm falſa, quia vocatio tàm poteſt coniungi cum Petri conſenſu, quàm cum Petri diſſenſu, vt eſt certũ: ergò iſta propoſitio non eſt potiùs vera quam falſa. Idem argumentum oſtendit non eſſe veram hanc propoſitionem, *ſi peterem ab amico librum, daret*.

2. Secundò. Deus non poteſt ſcire an iſta propoſitio ſit vera: ergò non eſt vera. Conſequentia eſt euidens, quia Deus debet ſcire omne verum. Antecedens probatur: nihil eſt, quod determinet Deum ad ſciendam hanc veritatem, quia vocatio, cui Petrus eſt conſenſurus, non eſt medium determinatum, in quo Deus cognoſcat determinate conſenſum, neque lumen infinitum Mentis Diuinæ determinat Deum ad cognoſcendum conſenſum, licet enim Petrus non eſſet conſenſurus Deo vocanti,

ti, adhuc Deus haberet idem lumen infinitum, quod nunc habet;ipſe conſenſus non poteſt determinare Deum; quia non eſt, immò nunquam erit, ſuppono enim nunquam Petrum vocandum ea vocatione, cui conſentiet, ſi vocabitur.

3. Tertiò. Propoſitio conditionata in materia contingenti ſi eſt vera, eſt falſa; ergò non poteſt eſſe vera. Antecedens probatur, finge veram hanc propoſitionem, *ſi peterem ab amico librum daret*: deinde probo tibi eſſe falſam hoc ſyllogiſmo, *ſi peterem ab amicum librum daret: ſed ſi peterem, & non daret, peterem, ergo ſi peterem librum daret, & non daret*. Mai: eſt vera, quia continet propoſitionem Hypotheticam, quàm ponimus veram. Min: etiam eſt vera, vel ſaltem poteſt eſſe vera; quia fieri poteſt, vt in illa Hypotheſi, in qua mihi petenti non daret librum, ego vellem petere: conſequentia eſt euidens: quia bene arguitur exiſtentia conditionati ab illa propoſitione, quæ purificat conditionem propoſitionis hypotheticæ :idem argumentum habet maiorem vim in propoſitione conditionata ſub hypotheſi diſparata, quæ nihil conducit ad exiſtentiam conditionati in hunc modum. *Si Turca ſaltabit Petrus conuertetur, ſed ſi Turca ſaltabit, & Petrus non conuertetur, Turca ſaltabit: ergò ſi Turca ſaltabit Petrus conuertetur, & non conuertetur*.

4. Quartò. Propoſitio Hypothetica ſub hypo-

hypotheſi diſparata eſt neceſſariò falſa: ergò non poteſt eſſe vera. Antecedens probatur, quia etiamſi Turca ſaltante conuertatur Petrus, adhuc eſt falſum Petrum conuertendum quia Turca ſaltabit, ſaltatio enim Turcæ non eſt cauſa, cur Petrus conuertatur, ſed propoſitio Hypothetica affirmat conditionem eſſe cauſam conditionati: ergò eſt falſa.

5. Reſp. Propoſitionem de futuro contingenti conditionato eſſe determinate veram, vel determinate falſam.

6. Ratio eſt, quia propoſitio de futuro contingenti abſoluto eſt determinate vera, vel determinate falſa: ergo etiã propoſitio de futuro conditionato. Conſeq. probatur; Ideò hæc propoſitio *Petrus cras peccabit*, eſt determinate vera, vel determinate falſa, quia Petrus craſtina die, vel determinate peccabit, vel determinate non peccabit: ſed etiam Petrus poſito, quòd vocabitur à Deo, determinate conſentiet, vel determinate non conſentiet: ergò propoſitio de futuro conditionato, *Petrus ſi vocabitur conuertetur*, eſt determinate vera, vel falſa: inde eſt eodem modo diſcurrendum de futuro conditionato, ac de futuro abſolutò in materia contingenti, cum nihil aliud inter vtrùmque futurum interſit, niſi quòd futurum abſolutum erit, conditionatum eſſet: hoc diſcrimen, vt omnibus ſatis conſtat, non poteſt eſſe cauſa, cur determinate dicat verum, qui dicit Petrum peccaturum, non dicat determinatè ve-

rum, qui ait Petrum conuertendum ſi vocaretur; vterque enim verum dicit, eo quod obiectum determinate erit,vel eſſet in tempore ſignificato à propoſitione:inde eſt quòd ſicuti propoſitio, quæ affirmat Petrum peccaturum, verificatur nunc à peccato, quod potiùs erit, quàm non erit, ità propoſitio, quæ affirmat conſenſum conditionate futurum verificatur à conſenſu, qui potiùs eſſet, quàm non eſſet, ſi eſſet vocatio.

7. Hoc argumentum, quantum ego exiſtimo, demonſtrat oſtenſiue nullam eſſe propoſitionem hypotheticā in materia cōtingenti,quæ non ſit determinate vera, vel determinate *falſa* dependenter ab illa re, quæ affirmatur conditionate futura.Ideò aliqua propoſitio hypothetica in materia contingenti eſt determinate vera, vel determinate *falſa*, quia poſita conditione illa res, quæ affirmatur,determinate erit,vel determinate non erit: ſed nihil eſt, quod poſita quacumque hypotheſi,nec determinate erit, nec determinare non erit, quodlibet enim in quolibet temporis momento, vel determinate eſt, vel determinate non eſt: ergo nulla eſt propoſitio hypothetica in materia contingenti,quæ non ſit determinate vera, vel determinate *falſa.* In hac re mihi videntur poſſe redargui de inconſenquentia illi Philoſophi, qui cenſent propoſitionem hypotheticam ſub hypotheſi, quæ conducit ad conditionatum, eſſe determinate veram; & non eſſe determinate veram propo-

ſitio-

ſitionem hypotheticã ſub hypotheſi diſparata, vt oſtenſiue demonſtro. Rogo enim cur hæc propoſitio *Petrus ſi vocabitur conuertetur*, quæ affirmat conuerſionem ſub hypotheſi,quæ conducit ad conuerſionem, cur inquam eſt vera, quia nimirum Petrus determinate conuertetur, poſito quod vocabitur, atqui idem militat in hac propoſitione ſub hypotheſi diſparata *ſi Turca ſaltabit Petrus conuertetur*, quia poſito, quod Turca ſaltabit: Petrus determinate conuertetur, vel determinate non conuertetur, cur igitur iſta non eſt determinate vera, vel falſa? ſi vtrobique eſt eadem ratio.

8. Hæc doctrina, quam de futuro contingenti conditionato huc vſq; tradidimus, viam ſternit ad intelligendam illam ſcientiam, quam Deo tribuunt omnes Theologi Societatis noſtræ, quidquid Thomiſtæ contradicant, circa veritatẽ futurorum contingentium conditionatorum, quam ſcientiam vocant mediam. Ratio eſt in promptu, quia ſcientia media eſt illa ſcientia, qua cognoſcuntur futura contingentia conditionata in ſe ipſis, ſed huiuſmodi ſcientia eſt in Deo, ergo in Deo eſt ſcientia media. Minor probatur, quia duo ſunt neceſſaria ad habendam cognitionem certam alicuius rei, nimirum lumen ſufficiens ad illam cognoſcendam, & cognoſcibilitas rei: vtrumque in re præſenti inuenitur, quia lumen diuinæ mentis eſt infinitum, adeoque poteſt omnia cognoſcere, & futurum conditionatum eſt co-

gno-

gnoſcibile, vt pote determinate verum, vel determinate falſum: ergo huiuſmodi ſcientia eſt in Deo. Hoc argumentum mihi perſuadet à Deo cognoſci per iſtam ſcientiam omnia futura conditionata, quæ pendent à libertate non ſolum humana, & Angelica, ſed etiam diuina, adeoque a Deo haberi ſcientiam certiſſimam de noſtris, & ſuis actibus liberis conditionate futuris: vtrumque enim Deus cognoſcit per ſcientiam mediam: ſed ſuos actus per ſcientiam reflexam ſibi liberam, & noſtros per ſcientiam directam nobis liberam.

9. Hinc conſtat infinita mentis diuinæ amplitudo, & perfectio, quæ tanta eſt, vt omnia certiſſime ab æterno cognouerit; diuinus enim intellectus neceſſarias veritates cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, veritates contingentes, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, cognoſcit ſcientia viſionis, & veritates contingentes conditionate futuras cognoſcit ſcientia media, Huiuſmodi ſcientia Deus nouit quidquid eſſet facturum liberum arbitrium ſub quacumque hypotheſi, quod eſt cauſa cur Deus Petrum, & Iudam poſt eorum lapſum in culpam vtrumque vocauerit ad pœnitentiam, ſed vnum vocatione efficaci, nimirum Petrum, qui vt ſacra narrat hiſtoria amaris lacrymis ſuam culpam expiauit; alium vocatione inefficaci, nimirum Iudam, qui venia deſperata vitam laqueo abſoluit, quia nimirum Petrum voluit vocare illa vocatione,

cui

cui cognoſcebat per ſcientiam mediam Petrum conſenſurum: Iudam è contrario iudicio occulto quidem, ſed iuſtiſſimo vocauit illa vocatione, cui per ſcientiam mediam nouerat diſſenſuſurum.

10. Ad primum: nego antecedens, ad eius probationem diſtinguo maiorem: nihil eſt per quod ſit vera hæc propoſitio ſumendo ly eſt ampliatiue: nego antecedens: ſumendo ſine ampliatione: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Eodem modo debes diſcurrere de propoſitione hypothetica *Petrus ſi vocabitur conuertetur*, ac de propoſitione abſoluta *Petrus peccabit*. Quid eſt quod verificat hanc propoſitionem abſolutam? eſt ne aliquid, quod nunc eſt, an quod erit? vtique eſt aliquid, quod erit; nimirum peccatum Petri, quod modo non eſt, ſed erit, quia propoſitio de futuro abſoluto verificatur per rem abſolutè futuram: eodem pacto id, quod verificat hypotheticam; *Petrus ſi vocabitur conuertetur* non eſt aliquid, quod modo ſit, neque eſt aliquid quod erit, ſed id, quod eſſet, nimirum conſenſus, qui poſita vocatione eſſet potius, quàm non eſſet. Hinc eſt, quod ampliando verbum ad tempus, quod eſſet, datur id, quod facit propoſitionem veram, quia conſenſus, qui daretur ſi eſſet vocatio, facit veram propoſitionem, quæ affirmat conſenſum conditionate futurum.

11. Ad ſecundum: nego antecedens, idem dicendum de obiecto, quod determinat Deum

ad

ad ſciendam hanc veritatem *Petrus ſi vocabitur conuertetur*, ac de obiecto, quod verificat hanc propoſitionem;ſicuti ergo obiectum, quod eam verificat eſt conſenſus, qui modo non eſt, ſed eſſet, ſi Petrus vocaretur, ita id, quod determinat Deum ad ſciendum conſenſum potius, quàm non conſeſum, eſt ipſe conſenſus, qui eſſet potius, quàm non eſſet, ſi Deus Petrum vocaret. Ratio à priori eſt, quià Deus ab infinito lumine, quod habet in ſua mente, eſt determinatus ad cognoſcendum omne id, quod eſt, erit, vel eſſet: nihil igitur requiritur, vt Deus cognoſcat conſenſum conditionate futurum præter ipſum conſenſum, qui determinate eſſet, ſicuti quid requiritur, vt Deus cognoſcat me nunc loquentem? nihil aliud requiritur, niſi quod ego determinate loquar: at quomodo poteſt id, quod non eſt determinare Deum ad cognitionem ſui? Dico eodem modo poſſe determinare Deum ad cognitionem ſui, id quod non eſt, ſicuti poteſt id, quod non eſt, terminare cognitionem Dei, ſi ergo poteſt conſenſus, qui nunc non eſt, terminare cognitionem Dei cur non poterit idem conſenſus determinare Deum ad cognitionem ſui? Ratio à priori eſt, quià conſenſus,vt determinet Deum ad cognitionem ſui, non debet influere in cognitionem diuinam, hæc enim eſt improducta, ſed tantum ſatis eſt intelligere conſenſum conditionate futurum, vt intellgatur ſcientia huius conſenſus in Deo.

12. Ad

12. Ad tertium: nego antecedens, ad eius probationem: dico illum ſyllogiſmum, qui adducitur ad probandum antecedens,eſſe ſophiſticum, adeoque conceſſa ma: & min: negandam conſequentiam.Ratio cur ſophiſtice concludat, peti debet ex ſummulis, quia ſylogiſmus hypotheticus, vt rectè concludat,non debet conſtare ex vna propoſitione, quæ ſupponat falſitatem alterius; in prædicto autem ſylogiſmo in quo concluditur vtrumque contradictorium. min: propoſitio ſupponit falſitatem ma: dicitur enim in mi:propoſitione,quod ego peterem librum etiam facta ſuppoſitione, quod amicus rogatus non daret librum, hoc autem euidenter contradicit propoſitioni ma: in qua dictum fuit *ſi peterem ab amico librum daret*, quid ergo mirum ſi inferantur contradictoria ex duabus præmiſſis ſibi contradicentibus?

13. Ratio à priori eſt, quià poteſt quidem coniungi donum, vel negatio doni cum ipſa petitione, ſed non poteſt ſimul coniungi donum, & negatio doni, Amicus enim poteſt rogatus donare mihi librum, vel non donare, ſed non poteſt donare ſimul, & non donare, adeoq; poſito, quod verum ſit amicum rogatum donaturum mihi librum, non poteſt ſimul eſſe verum, quod Amicus rogatus non donabit mihi librum: eodem modo ſaltatio Turcæ, quæ nihil conducit ad conuerſionem Petri,poteſt coniungi, vel non coniungi cum Petri conſenſu, ſed non poteſt ſimul coniungi cum conſen-

ſu,

ſu, & non conſenſu, vt eſt manifeſtum.

14. Simili æquiuocatione laborat hoc argumentum, quod formo ad probandum hanc propoſitionem hypotheticam neceſſariò veram: *ſi non morieris, antequam eligaris in Cardinalem, eris Cardinalis* poſſe eſſe falsã hoc pacto. *Si non morieris, antequam eligaris in Cardinalem, eris Cardinalis: ſed ſi nunquam morieris, non morieris, antequam eligaris in Cardinalem; ergo ſi nunquam morieris, eris Cardinalis.* Conſequentia non eſt neceſſariò vera; fieri enim poteſt vt aliquis nunquam moriatur, & tamen non ſit Cardinalis Hoc argumentum nihil concludit, quia ad purificandam conditionem propoſitionis hypotheticæ, quæ eſt in maiori propoſitione, aſſumit aliã conditionem, quæ falſificat ſuppoſitum eiuſdem propoſitionis; vt tibi manifeſtè demonſtro. Quid ſupponit hæc propoſitio vt vulgò formatur, & ſonat, neceſſariò vera? *Si non morieris antequam eligaris in Cardinalem, eris Cardinalis*: ſupponit te eſſe aliquando moriturum, quandò enim alioquimur aliquem hominem, & iocandi cauſa dicimus eum Cardinalem futurum, ſi eligatur in Cardinalem ante ſuũ obitum, cum homine morituro loquimur, à quo propterea certò ſcimus vltimum vitæ ſuæ diem obeundum, quo exacto vnuſquiſque cognoſcit an ſit, vel non ſit electus in Cardinalem: vide nunc quid aſſumas in minori ad purificandam conditionem, *ſi non morieris, antequam eligaris in Cardinalem*: aſſumis id

ſe

ſe quod falſificat hoc ſuppoſitũ, nimirum te eſſe aliquando moriturum, aſſumis enim hanc aliam conditionem apertè repugnantem huic ſuppoſito: *ſi nunquam morieris, non morieris antequam eligaris in Cardinalem*. Quid igitur mirum ſi ex propoſitione, quæ purificando conditionem hypotheticæ eam falſificat, nihil in tuo argumento concludis. Sunt itaque captioſæ omnes illæ argumentationes hypotheticæ, in quibus purificatur conditio per aliquid, quod falſificat propoſitionem conditionalem. Quare hæc ſatis ſit obiter dixiſſe in re nullius momenti è re nata, cũ opus fuit ſoluere argumentum, quod vrgent aduerſarij contra veritatem propoſitionis conditionatæ in materia contingenti, & diſparatæ.

15. Ad vltimum: nego antecedens: ad eius probationem: concedo mai: & nego mi. Ratio eſt, quia propoſitio Hypothetica in materia contingenti nihil aliud affirmat, quam exiſtentiam conditionati poſita conditione: quidquid ſit, an conditio ſit cauſa, vel non ſit cauſa conditionati, id enim materialiter ſe habet ad naturam propoſitionis Hypotheticæ in materia contingenti: vt demonſtratum eſt in prima quæſtione: connexio, igitur quam affirmat propoſitio Hypothetica in materia contingenti non eſt connexio cauſalis, quam habet cauſa cum effectu, ſed eſt connexio concomitantiæ, quam habent duæ res, quæ ſunt in eodem tempore, hanc connexionem habet ſaltatio Turcæ

& conuerſio Petri: poſito, quòd vera ſit propoſitio, quæ affirmat Petrum conuertendum ſaltante Turca, quia eſſent in eodem tempore conuerſio Petri, & ſaltatio Turcæ.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum veritas, & ſcientia futurorum contingentium repugnet libertati.

1. Videtur repugnare: primò quia neceſſitas opponitur libertati, ergo id quod infert neceſſitatem opponitur libertati, ſed veritas determinata peccati futuri infert neceſſitatem peccati futuri, ergo veritas determinata peccati futuri opponitur libertati. Antecedens ſubſumptum probatur, quia ſi eſt verum determinatè Petrum peccaturum Petrus peccabit habens determinationem peccandi, ergo habens neceſſitatem peccandi.

2. Secundo neceſſe eſt eſſe futurum, quod Deus ab æterno nouit eſſe futurum, ſed Deus ab æterno nouit Petrum peccaturum, ergo neceſſe eſt Petrum eſſe peccaturum, ergo præſcientia, quam Deus habet de peccato, futuro, pugnat cum libertate. Mai; eſt euidens, quia hæc conſequentia eſt neceſſaria, Deùs nouit Petrum peccaturum, ergo Petrus peccabit: ſicuti eſt neceſſaria iſta: homo eſt, ergo animal rationale eſt, non minus enim neceſſe eſt ſcien-

tiam

tiam Dei non falſificari, quam hominem eſſe animal rationale.

3. Tertio: neceſſitas qua neceſſe eſt Petrum eſſe peccaturũ, quem Deus ab æterno cognoſcit peccaturũ eſt neceſſitas antecedens, ſed neceſſitas antecedens tollit libertatem, ergo huiuſmodi neceſſitas tollit libertatem. Mai: probatur, ſcientia, qua Deus cognouit Petrum peccaturum, antecedit peccatum Petri, ergo neceſſitas fundata in hac ſcientia eſt neceſſitas antecedens: hinc patet diſparitas inter neceſſitatem, quam habet Petrus fundatam in illa viſione, quæ nunc eſt dũ video Petrũ peccantem, & neceſſitatem fundatam in ſcientia, quam Deus ab æterno habuit de peccato futuro, quia mea viſio non antecedit peccatum, ſicuti antecedit ſcientia Dei.

4. Quar: liberè peccare eſt poſſe non peccare, ſed ſuppoſita ſcientia Dei Petrus non poteſt non peccare, ergo Petrus non peccat libere: Mi probatur, quia poſſe non pecccare eſt poſſe falſificare diuinam ſcientiam, ſed Petrus non poteſt falſificare diuinam ſcientiam, ergo non poteſt non peccare.

5. Quinto: poſſe in ſenſu diuiſo non peccare eſt poſſe impedire non peccando ſcientiam diuinam, ſed Petrus non poteſt impedire ſcientiam diuinam de ſuo peccato, ergo Petrus non poteſt in ſenſu diuiſo non peccare, ergo non eſt liber ad peccandum. Mi: probatur primo, quia repugnat aliquem actum diuini intellectus

impediri à Creatura, ergo Petrus non poteſt impedire ſcientiam Dei. Secundò, quia voluntas Petri non fuit ab æterno, quando fuit talis ſcientia, ergo non poteſt impedire huiuſmodi ſcientiam.

6. Vltimo: Deus, qui nouit Petrum peccaturum, poteſt hoc reuelare Petro, ſed Petrus, cui eſt reuelatum peccatum futurum, non peccabit libere, ergo ſcientia peccati futuri excludit libertatem. Mi: probatur, quia non poteſt libere peccare, qui certo cognoſcit ſe peccaturum, non poteſt enim peccare liberè, qui non habet cognitionem indifferentem ad peccandum, ſed non poteſt habere cognitionem indifferentem ad peccandũ, qui habet cognitionẽ certã, & infallibilẽ de ſuo peccato ergo &c. Hoc argumentũ habet locũ in S. Petro, cui Chriſtus in vltima cœna reuelauit peccatum futurũ his verbis. *Antequam Gallus cantet ter me negabis.*

7 Reſpondetur: aliqui ſunt Philoſophi, quibus viſum fuit adeò arduum componere libertatem humanam cum diuina præſcientia, vt nodum maluerint obtruncare, quàm ſoluere, alijs libertatem, alijs præſcientiam diſſimili errore, ſed pari amentia negantibus: quid enim magis indubitatum, quam Deum cognoſcere omnia futura, & hominem eſſe liberum? Debuiſſent potiùs ignorantiam ſuam confiteri, quàm negare alterutram ex illis veritatibus, quas componere ignorabant. Nobis eſt ſatis perſuaſum, quod veritas, & præſcientia rerum futurarum

non

non pugnat cum noſtra libertate hoc argumento. Verū nō poteſt repugnare vero, vt apud omnes eſt indubitatū, ſed eſt verū hominē eſſe liberū, vt in præſenti aſſumimus in libris de Anima demonſtrandum: ergo ſcientia futurorum non repugnat libertati. Præterea fieri non poteſt, vt repugnet libertati illud ipſum, quod connectitur eſſentialiter cum libertate, ſed præſcientia futuri liberi connectitur eſſentialiter cum futuro libero propter connexionem intentionalem actus cum obiecto, ergo præſcientia futuri liberi non opponitur libertati. Addo, quòd viſio, qua video Petrum currentem, non eſt incōpoſſibilis cum curſu libero Petri, cur ergo erit incompoſſibilis præſciētia peccati libere futuri cum peccato liberè futuro? Ratio cur nihil detrahatur humanæ libertati ex veritate determinata, & diuina ſcientia rerum futurarum, eſt, quia determinatio, qua eſt determinatè verum Petrum peccaturum, non opponitur indifferentiæ, quam habet Petrus ad peccandum, ſed determinatio, quæ non opponitur indifferentiæ non opponitur libertati, ergo hæc determinatio non opponitur libertati. Mi: probatur, quia determinatio, qua eſt determinatè verum Petrum peccaturum, eſt illa determinatio, qua Petrus determinate peccat, ſed determinatio, qua Petrus peccat, quādo peccat, nō opponitur indifferentię, quam habet Petrus indifferens ad peccandum, & non peccandum, ergo &c.

8. Vt autem ſoluas omnia argumenta par-

tis contrariæ,debes ante oculos habere illam celebrem diſtinctionem neceſſitatis in neceſſitatem antecedentem, & neceſſitatem conſequentem, quam ex doctrina diui Anſelmi omnes Theologi vſurparunt. Neceſſitas antecedens eſt illa neceſſitas, quam habet cauſa, vt producat effectum: hæc neceſſitas dicitur neceſſitas ſimpliciter & tollit libertatem, cui apertè opponitur: quid enim aliud eſt effectum eſſe liberum, niſi procedere à cauſa indifferente? cum ergo opponantur cauſa indifferens ad operandum,& cauſa neceſſario operans,conſequens eſt neceſſitatem antecedentem opponi libertati. Neceſſitas conſequens eſt illa neceſſitas, quam habet quæcumque res ad exiſtendum, poſito quòd exiſtat, quia omne id, quod eſt, vt ait Ariſtoteles,poſito quod eſt,neceſſario eſt: huiuſmodi neceſſitas, quã voco neceſſitatem ex ſuppoſitione, ſiue ſecundùm quid non tollit libertatem, quia non opponitur contingentiæ. Non ne paries albus eſt contingenter albus? & tamen eſt neceſſario albus: poſito quod ſit albus: nonne Petrus liberè currit? & tamen neceſſario currit, poſito quod currat: idem patet innumeris exemplis, quæ poteſt vnuſquiſque ſibi fingere ad hanc veritatem manibus, vt ita dicam, tractandam.

9 Ad 1.diſt.ant.neceſſitas antecedens opponitur libertati,cõcedo antecedens; neceſſitas cõſequens: nego antecedens,& diſtinguo conſequens ergo omne id, quod infert neceſſitatem antecedentem-

cedentẽ tollit libertatẽ: cõcedo conſequentiam omne id, quod infert neceſſitatẽ conſequentem: nego cõſequentiã. Deindè diſtinguo antecedẽs ſubſumptum: veritas determinata peccati futuri infert neceſſitatẽ antecedentẽ. nego ſubſumptum: infert neceſſitatem conſequentẽ: concedo ſubſumptum, & nego conſequentiam. Illa determinatio, qua determinatè Petrus peccabit, non eſt determinatio actus primi, ſed ſolùm actus ſecundi. Ratio eſt, quia ex vna parte determinatio actus primi eſt determinatio effectus procedentis à cauſa determinata ad vnum, ſed determinatio, qua Petrus peccabit, non eſt huiuſmodi, quia eius cauſa eſt Petrus indifferens ad peccandũ vel non peccandum: ex alia parte determinatio actus ſecundi eſt determinatio, quam habet vnaquæque res, vt quando eſt potiùs ſit, quàm non ſit, ſed peccatum Petri potiùs erit, quam non erit, quia Petrus potius peccabit, quam non peccabit, ergo determinatio, qua eſt verum Petrum peccaturum eſt determinatio actus ſecundi non actus primi: vtraque determinatio infert aliquam neceſſitatem, quia determinatio conuertitur cum neceſſitate: ſed neceſſitas, quam infert determinatio actus ſecundi eſt diuerſa à neceſſitate, quam infert determinatio actus primi, quia determinatio actus ſecundi infert neceſſitatem conſequentem, quæ non opponitur libertati: determinatio actus primi infert ne-

ceſſitatem antecedentem libertati repugnantem. Hinc eſt, quòd ex veritate futurorum contingentium non infertur alia neceſſitas præter conſequentem, adeoque non ſequitur violari libertatem humanam.

10. Ad ſecũdũ: diſt. mai: neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ eſſe futurum id, quod Deus nouit eſſe futurũ: concedo mai: neceſſe eſt neceſſitate conſequentis: nego mai: & conceſſa mi: diſtinguo conſequens, ergo neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ Petrum eſſe peccaturum: concedo conſequentiam: neceſſitate conſequentis nego conſequentiam. Neceſſitas conſequentiæ eſt illa neceſſitas, qua neceſſe eſt eſſe conſequens ſi eſt antecedens, fundata in connexione neceſſaria conſequentis cũ antecedenti: neceſſitas, verò conſequentis eſt neceſſitas, quã habet vt ſit res, quę infertur ex antecedẽti neceſſario. Neceſſitas conſequentiæ poteſt eſſe, etiã ſi conſequens non ſit neceſſarium, adeoque poteſt eſſe ſine neceſſitate conſequentis, vt oſtendo hoc exemplo: iſta conſequentia *video Petrum currere, ergo Petrus currit* eſt neceſſaria: datur igitur neceſſitas, quæ vocatur conſequentiæ, vt Petrus currat, quem ego video currere: quia verò non eſt neceſſe, vt ego videam Petrum currere, ideo nõ datur illa neceſſitas, quæ vocatur cõſequentis, vt Petrus currat. Ratio à priori eſt, quia neceſſitas conſequentiæ eſt formaliſſimè conſequentia neceſſaria conſequentis ex antecedenti ſiue cõſequentia, qua infertur neceſſario conſequens

quens ex antecedenti : ſed conſequentia neceſſaria conſequentis ex antecedenti alia eſt, quæ infert conſequens non neceſſarium,alia,quæ infert conſequens neceſſarium, quia alia infert ex antecedenti neceſſario, & alia ex antecedenti non neceſſario,ergo neceſſitas conſequentiæ nõ eſt neceſſitas conſequentis:ergo neceſſitas conſequentiæ non tollit libertatem, ſicuti tollit neceſſitas conſequentis, quia conſequens eſt neceſſarium ſi antecedens eſt neceſſarium, & conſequens eſt contingens,ſi antecedens eſt contingens;illa igitur neceſſitas, qua neceſſe eſt fore peccatum, quod Deus nouit futurum, eſt neceſſitas nõ conſequentis,ſed conſequentiæ,quia non eſt neeceſſarium,vt Deus ab æterno nouerit peccatum futurum, potuit enim cognoſcere negationem peccati.

11 Ex infallibilitate, & certitudine diuinæ ſcientiæ præuidentis peccatum, futurum non ſequitur neceſſitas antecedens, quæ alio nomine dicitur neceſſitas conſequentis, quia cauſa peccati futuri eſt indifferens ad peccandum, & non peccandum,perindè, ac ſi non eſſet ſcientia Dei. Tota igitur neceſſitas, quæ ſequitur ex diuina præſcientia eſt neceſſitas ſolùm conſequens, ſeù conſequentiæ, ratio eſt, quia neceſſitas peccati futuri ex ſuppoſitione diuinæ ſcientiæ eſt neceſſitas, qua neceſſe eſt peccatum Petri eſſe ex ſuppoſitione, quòd eſt, ſed huiuſmodi neceſſitas eſt conſequens, ergo neceſſitas, quam infert diuina ſcientia,eſt neceſſitas conſe-

quens.

quens. Mi: probatur ideo Deus præuidet Petrũ peccaturum, quia Petrus peccabit, non ideò Petrus peccabit, quia Deus præuidet Petrum peccaturum, ergo peccatum Petri antecedit logicè, ſiuè prioritate à ſubſiſtendi conſequentia Diuinam ſcientiam. Confirmatur hic diſcurſus: viſio, qua video Petrum currentem, neceſſario ſupponit curſum Petri, & tamen nemo eſt, qui dicat Petrum currere neceſſario, licet ex ſuppoſitione, quòd videam Petrum currere, non poſſit Petrus non currere, ergo Petrus licet ex ſuppoſitione diuinę ſcientiæ, non poſſit non peccare, liberè peccat, adeoque peccat ſine neceſſitate antecedenti ad peccandum. Ratio eſt eadem vtrobique: ſicuti mea viſio non determinat curſum Petri, quia non eſt cauſa cur Petrus currat, ſed illum ſupponit tanquam ſui cauſam: ita præſcientia Dei non determinat peccatum Petri, ſed illud ſupponit non tanquam ſui cauſam, eſt enim improducta, ſed tanquam terminum. Exęmplum in rem noſtram acommodatũ tibi propono in ſpeculo, quod res omnes ante ſe poſitas eo modo repræſentat, quo verè ſunt: hinc ſpeculum, quod te tibi deformem repræſentat, non eſt cauſa, cur habeas vultum deformem; quis enim eſt adeò ſtultus, qui originem ſuę deformitatis, quàm videt in ſpeculo refundat in ſpeculum? finge igitur animo cognitionem, qua Deus ab æterno nouit omnia, tanquam æternum ſpeculum, in quo clariſſimè omnia futura repræſentantur. Hoc ſpeculum re-

præ-

præſentat Petrum peccaturum, & Paulum non peccaturum: quare hoc? quia nimirum Petrus peccabit: & Paulus non peccabit: huiuſmodi enim ſpeculum repræſentat id, quod erit. An quia Petrus repræſentatur peccaturus, Paulus è contrario non peccaturus, peccatum neceſſario committet ille, omittet iſte? Non eſt igitur cur Petrus alijs, quàm ſibi imputet, quòd in huiuſmodi ſpeculo peccatum ſuum appareat, hoc eſt, quod ab æterno cognouerit Deus Petrum peccaturum.

12 Ad 4. Nego mai: ad eius probationem diſtinguo antecedens: ſcientia, qua Deus cognouit peccaturum Petrum, antecedit peccatũ æternitate: concedo antecedens: antecedit cauſalitate: nego antecedens, & conſequentiam. Non eſt mihi animus inuenire omnimodam paritatem inter viſionem, qua intueor Petrum ambulantem, & ſcientiam, quâ Deus prænoſcit Petrum peccaturum: ſcio enim diſparitates eſſe innumeras: illa eſt producta ab obiecto, quod videt, adeoque eſt poſterior natura obiecto ſuo; iſta vero eſt improducta adeoque nõ eſt poſterior; illa eſt temporalis, iſta æterna; illa non antecedit, iſta antecedit æternitate ſuum obiectum. Non proinde ſequitur argumentum propoſitum de viſione non eſſe opportunum ad oſtendendum, difficultatem, qua laborat intellectus noſter aſſuetus ſpeculari Phantaſmata, in componenda libertate noſtrorum actuum cum preſcientia Dei, eſſe omninò Phantaſticam, & imma-

imaginariam, quid enim refert an ſcientia Dei æternum præceſſerit peccatum Petri, ſi nihil influit in Petrum, ſicuti mea viſio nihil influit in curſum Petri? An quia Deo ſunt præſentia omnia futura, lædetur libertas humana? ratio à priori eſt, quia id, quod ſecundum ſe, ſiue ſecundum eſſe reale non lædit libertatem, neque cognitum, ſiue ſecundùm eſſe intentionale lædit libertatem: ſed hæc veritas *Petrus determinatè peccabit* non tollit libertatem, vt oſtenſum eſt, ergo neque ſcientia huius veritatis tollit libertatem.

13. Ad 5. Diſtinguo mai: liberè peccare eſt poſſe non peccare in ſenſu compoſito, ſiue potentia ſimultatis: nego mai: in ſenſu diuiſo ſiue ſimultate potentiæ concedo mai: & diſtinguo mi: non poteſt in ſenſu compoſito, ſiue potentia ſimultatis: concedo mi: non poteſt in ſenſu diuiſo, ſiue ſimultate potentiæ: nego mi: & conſequentiam: poſſe non peccare in ſenſu compoſito, ſiue potentia ſimultatis eſt poſſe coniungere non peccatum cum peccato, hoc eſt peccare ſimul, & non peccare: hæc potentia vt omnibus conſtat eſt potentia impoſſibilis, quia eſt potentià faciendi duo contradictoria, adeoque iſta potentia non requiritur ad libertatem: poſſe non peccare in ſenſu diuiſo, ſiue ſimultate potentiæ eſt potentia non peccandi potiùs, quàm peccandi, adeoque ponendi negationem peccati loco peccati: hæc potentia vtique conſtituit libertatem, quia eſt de ratio-

ne

ne cauſæ liberæ, vt poſſit producere, vel non producere id, quod liberè producit. Non eſt igitur mirum, ſi Petrus non poteſt cum diuina præſcientia peccati futuri coniungere carentiam peccati, alioquin poſſet peccare ſimul, & non peccare, quia diuina præſcientia includit ſuppoſitionem peccati, à qua ſuppoſitione non poteſt præſcindere. Hoc vt oſtenſiue demonſtrem, adhibeo exemplum ſatis tritum de Petro ſedente: hic dum ſedet liberè ſedet, ergo poteſt non ſedere dum ſedet, alioquin non ſederet liberè. Quæro nunc, qua potentia poſſit non ſedere: potentia ne ſimultatis, an ſimultate potentiæ? in ſenſu compoſito, an in ſenſu diuiſo? vtique poteſt in ſenſu diuiſo, & ſimultate potentiæ, quia non poteſt ſedere ſimul, & non ſedere, ſed poteſt ponere loco actus ſedendi actũ non ſedendi. In hunc fermè modum Petrus, qui peccat, & liberè peccat, poteſt non peccare, etiamſi Deus nouerit ipſum peccaturum: non enim poteſt coniungere non peccatum cum diuina ſcientia de ſuo peccato, aliter poſſet coniungere non peccatum cum peccato, ſed poteſt non peccando facere, ne Deus habuerit ab æterno ſcientiã de ſuo peccato, adeoque poteſt impedire huiuſmodi ſcientiam. Hinc eſt, quòd Petrus non habet potentiam falſificandi diuinam ſcientiam, etiam ſi habeat potentiam non peccandi, quia potentia falſificandi diuinam ſcientiam non eſt quæcunque potentia non peccandi, ſed eſt talis potentia, quæ poſſit co-

niun-

niungere non peccatum cum ſcientia peccati, quæ potentia ſine dubio repugnat. Ad confirmationem diſtinguo mai: poſſe non peccare in ſenſu compoſito ſiue potẽtia ſimultatis eſt poſſe falſificare ſcientiam Dei: concedo mai:poſſe in ſenſu diuiſo,ſiue ſimultate potentiæ:nego ma: & conc.mi: diſtinguo eodẽ modò conſequens. Aequiuocatio conſiſtit in tranſitu ad ſenſum diuiſum à ſenſu compoſito.

14. Ad Sextum:concedo mai:& nego mi: quicumque poteſt non peccare, poteſt conſequenter impedire, quidquid ſequitur neceſſariò neceſſitate conſequentiæ ex ſuo peccato,vt eſt euidentiſſimum,ſed Petrus qui peccat, poteſt non peccare, ergo poteſt impedire omne id, quod ſequitur ex ſuo peccato: ſed ſcientia Dei præuidentis peccatum ſequitur neceſſariò ex ipſo peccato, ergo Petrus non peccando poteſt impedire talem ſcientiam; adeòque eſt in poteſtate omnium hominum facere, vt Deus viderit,vel non viderit ſuum peccatum. Hinc eſt, quòd Petrus, qui negauit liberè Chriſtum, ſi non negaſſet, vt verè potuit non negare, impediuiſſet ſcientiam Dei de ſuo peccato, & conſequenter reuelationem ſui peccati factam à Chriſto, quia ſi Petrus non negaſſet, Chriſtus non cognouiſſet hanc negationem: ſi non cognouiſſet non reuelaſſet, ergo ſi Petrus non negaſſet, Chriſtus non reuelaſſet ſe negandum à Petro, adeoque Petrus potuit facere ne eſſet iſta reueuelatio. Ad primam

mi:

mi: probationem diſt: antec: repugnat ſcientiam Dei impediri directè: concedo antecedens indirectè: nego antec: & diſt. conſequens, ergo Petrus non poteſt impedire directè ſcientiam Dei: concedo conſequentiam, indirectè nego conſequentiam: ille impedit indirectè aliquam ſcientiam, qui eſt cauſa ne ſit terminus, quem præſupponit talis ſcientia, ſed Petrus poteſt eſſe cauſa ne ſit peccatum, quod eſt terminus diuinæ ſcientiæ, ergo poteſt indirectè impedire diuinam ſcientiam, adeoque poteſt facere vt ſcientia Dei, quæ terminatur ad peccatum, terminetur ad non peccatum. Ad ſecundam probationem; diſtinguo antecedens: voluntas Petri non fuit ab æterno Phyſicè: concedo antecedens, logicè & obiectiuè: nego antecedens, & conſequentiam. Petrus vt poſſit impedire ſcientiam diuinam de ſuo peccato, ſatis eſt ſi habeat ab æterno eſſe cognitum, & intentionalem in mente diuina, quod ſine dubio habuit,

15. Ad vltimum varij varia: ſunt qui opinantur non eſſe liberum ad peccandum, qui cognoſcit, ſe eſſe peccaturum, ſiuè hoc cognoſcat ex Dei reuelatione, ſiuè aliundè, in ea enim ſunt ſententia, quod poteſt quidem coniungi peccatum Petri liberè futurum cum ſcientia Diuina, vel angelica, immò etiam humana de peccato Petri; ſed non poteſt coniungi cum ſcientia, qua ipſe Petrus ſciat ſe peccaturum, cum nequeat coniungi cognitio indifferens ad

pec-

peccandum, quæ neceſſaria eſt ad liberè peccandum, cum cognitione certa peccati futuri, quod ſi eos vrgeas exemplo Petri Apoſtoli, qui negauit liberè Chriſtum certus ſe negaturum, certitudine fundata in ipſis verbis Chriſti, quibus non poteſt ſubeſſe falſum: reſpondent Petrum ante Galli cantum, reuelationis ſibi factæ oblitum, adeoque nihil de reuelatione cogitantem, negare potuiſſe liberè Chriſtum, ſicuti re vera negauit, quòd ſi eo tempore certam habuiſſet huius reuelationis notitiam, non negaſſet liberè Chriſtum: in hunc modum ſoluunt huiuſmodi authores argumentum propoſitum.

16. Multa ſunt, quæ mihi non poſſunt in hoc diſcurſu probari: in primis quid eſt, quòd Petrus ignorans ſe negaturum, liberè negauit, non negaturus liberè, ſi habuiſſet in mente illud ipſum, quod aliquandò cognouit, & tunc ignorabat? an ſcire vel ignorare veritatem reuelatam aliquid detrahit, vel addit libertati? deindè quidquid non opponitur indifferentiæ, quam habet cauſa ad agendum expedita, non tollit libertatem, ſcientia autem reuelationis non opponitur indifferentiæ, quia reuelatio, quæ ſecundum eſſe reale non opponitur indifferentiæ, neque opponitur ſecundum eſſe intentionale, ergo ſcientia reuelationis non opponitur libertati, adeoque Petrus eodem modo fuiſſet liber ad negandum Chriſtum cum ſcientia, ac cum ignorantia reuelationis.

Mi-

Mihi quidem eſt ſummè probabile, quòd Petrus eo tempore, quo negauit Chriſtum, nihil cogitauerit de reuelatione, id enim videtur ſignificare S. Hiſtoria, quæ narrat Petrum à ſomno culpæ excitatum ingentem lacrymarum copiam profudiſſe, cum primum ſubijt animum memoria ſuæ culpæ, quam ſibi Chriſtus reuelauerat; vt conſtat ex illis verbis Matthæi 16. *Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu quod dixerat priuſquam Gallus cantet ter me negabis: & egreſſus foras fleuit amarè.* Cæterum non poſſum mihi in animum inducere, quod Petrus ideò negauerit liberè, quia dum negauit, nullam habuit memoriam reuelationis, quià ſi reuelatio non repugnat libertati; vt re vera non repugnat, neque repugnabit ſcientia huius reuelationis, cum eadem vtrobique ſit ratio, ideò enim illa non repugnat, quia non mutat principium proximum actus liberi, ſed neque iſta mutat, cum perinde ſit indifferens ad peccandum, qui cognoſcit ſe peccaturum, ac ille qui nihil cognoſcit, ergo &c.

77. Opus igitur eſt aliam viam ingredi ad ſoluendum argumentum cognitio certa peccati futuri non excludit cognitionem indifferentem, quia ſicuti non obſtat indifferentiæ ad peccandum ipſum peccatum determinatè futurum, ita non obſtat cognitioni, quæ cognoſcit indifferentiam ad peccandum cognitio, quæ cognoſcit peccatum determinatè futurum. Hinc Petrus certo cognoſcens ſe eſſe peccatu-

rum, poteſt cognoſcere ſe eſſe indifferentem ad peccandum, immo debet id cognoſcere, poſito quod cognoſcat ſe peccaturum liberè, quia peccare liberè eſt peccare cum indifferentia ad peccandum, ergo qui cognoſcit ſe liberè peccaturum, cognoſcit ſe peccaturum cum indifferentia ad peccandum; ergo cognitio certa peccati futuri non excludit cognitionem indifferentem, quæ ſpectat ad libertatem. Mihi profectò non eſt dubium, quin cognitio certa peccati futuri non poſſit conſtituere actum primum proximum peccandi, quia actum primum proximum peccati liberi nihil conſtituit eſſentiatialiter connexum cum ipſo peccato, vt ſatis conſtat ex natura libertatis. Non propterea ſequitur non peccare libere, qui certò cognoſcit ſe peccaturum, quià non eſt neceſſe vt omnis cognitio quam habet qui peccat conſtituat actum primum peccandi. Hinc eſt, quod cognitio certa peccati futuri, quæ antecedit ipſum peccatum non antecedit Phyſicè, ſed ſolum logicè: adeoque non eſt periculum libertatis violandæ à cognitione certa peccati futuri, quod ſatis eſt ad argumentum ſoluendum.

DI-

DISPVTATIO VLTIMA.

In libros Priorum, & Poſteriorum.

ARiſtoteles poſt tractatum de oratione enunciatiua agit de ſyllogiſmo, qui tanqnam forma logica conſtituit ens rectè ſyllogizatum; de ſyllogiſmo in genere agit in duobus libris, quos inſcripſit Priorum, ſiuè de priori reſolutione: de ſyllogiſmo demonſtratiuo agit in duobus ſequentibus libris, quos inſcripſit poſteriorum Analyticorum, ſiuè de poſteriori reſolutione, quia reſoluit ſyllogiſmos in principia materialia: hoc eſt in propoſitiones ex quibus tanquam ex materia conficitur demonſtratio. De ſyllogiſmo in materia probabili agit in octo libris Topicorum, de Sophiſtico in duobus poſtremis, quos inſcripſit Elenchorum. De Topico, & Sophiſtico nihil nobis occurrit dicendum præter eaquæ in ſummulis docuimus, aliqua ſolum delibabimus ex libris Priorum & Poſteriorum agendo cum Ariſtotele de ſyllogiſmo in genere, de demonſtratione, & de ſcientia, quæ eſt fructus demonſtrationis,

QVAESTIO I.

De Syllogiſmo in genere.

1. DIſcurrere formaliter eſt vnum ex alio inferre; ideò non poteſt intelligi formalis diſcurſus quin intelligantur duæ ſaltem cognitiones quarum vna infertur & dicitur conſequens; alia infert & dicitur antecedens. Hinc eſt, quod iuxta leges ſummularum non poteſt antecedens eſſe verum, & conſequens falſum, alioquin idem eſſet verum ſimul, & falſum, quia id, quod logicè antecedit, debet eſſe tale, vt includat conſequens; ergo ſi eſſet falſum, conſequens, quando eſt verum antecedens, eſſet ſimul verum, & falſum idem antecedens: quod euidenter repugnat. Hoc antecedens, ex quo infertur conſequens, continet formaliter, vel æquiualenter duas præmiſſas, quia combinatio trium terminorum neceſſaria ad formalem diſcurſum non poteſt inueniri ſine duabus præmiſſis, vel formaliter, vt contingit in ſyllogiſmo, vel æquiualenter, vt contingit in Enthymemate, quod vocant Dialectici breuem & mutilum Syllogiſmum. Indè eſt, quod præmiſſæ ſunt neceſſariæ ad conficiendam argumentationem; opus eſt igitur aliqua dubia ſoluere, quæ poſſunt naſci circa huiuſmodi præmiſſas, hæc iuuat paucis expedire, quia carent difficultate.

2. Quæ-

2. Quæres igitur primo, an præmiſſæ ſint cauſa concluſionis, quæ infertur ex eiſdem præmiſſis.

3. Reſp. Affirmatiuè: cum Ariſtotele in 2. Phyſicor: S.Thoma in 1.Contra gentes cap. 57. & alijs. Ratio eſt; quia id, quod requiritur ad producendum effectum, eúmque ſibi facit ſimilem in aliquo prædicato ſpecifico eſt cauſa efficiens talis effectus, ſed præmiſſæ itá requiruntur ad Concluſionem, vt eandem faciant ſimilem ſibi in pluribus prædicatis ſpecificis: ergò ſunt cauſa concluſionis, maior eſt certa vt conſtat inductione in omnibus cauſis efficientibus, & rationem à priori afferemus in Phyſica agentes de cauſis. Minor probatur primò, quia per actum quo intellectus aſſentitur concluſioni exprimitur, & repræſentatur illud idem obiectum, quod fuit repræſentatum à præmiſſis; nihil enim eſt in concluſione, quòd non inueniatur in præmiſſis. Secundò, quia præmiſſæ certæ pariunt concluſionem certam, incertæ incertam, vniuerſales vniuerſalem, particulares particularem & euidentes euidentem; ergò præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis, quàm faciunt ſimilem ſibi in prædicatis ſpecificis.

4. Quæres ſecundo, vtrùm intellectus reflectat ſuprà præmiſſas, quando infert concluſionem ex præmiſſis.

5. Reſp. Affirmatiuè. Ratio eſt, quia non poteſt intellectus affirmare concluſionem for-

maliter, qua concluſio eſt niſi eam affirmet propter præmiſſas: ergò non poteſt affirmare concluſionem niſi reflectat ſupra præmiſſas. Antecedens patet, quia concluſio formaliter, qua concluſio eſt, nihil eſt aliud, quam propoſitio deducta ex præmiſſis, ſed intellectus non poteſt affirmare propoſitionem deductam ex præmiſſis, niſi moueatur à præmiſſis ad illam affirmandam: ergò, &c. Prima conſequentia probatur, non poteſt intellectus affirmare concluſionem propter præmiſſas, niſi aſſenſus præmiſſarum contineatur formaliter in aſſenſu concluſionis, quia actus tendens in vnum propter alium debet vtrumque reſpicere: ideò ex obiecto formali *quod* & obiecto formali *quo* ſiuè ratione formali, ſub qua aliquid attingitur, vnum totum obiectum componitur, quod ab vno & indiuiſibili actu reſpicitur, vt conſtat inductione: eadem viſio attingit indiuiſibiliter rationem albedinis, & rationem coloris, nimirùm rationem formalem, ſub qua videt albedinem: idem actus voluntatis, qui amat medicinam propter ſanitatem, vtrumque indiuiſibiliter amat: idem actus contritionis, qui deteſtatur peccatum ex motiuo charitatis, eſt formaliſſimè actus charitatis: ergò intellectus, qui affirmat concluſionem propter præmiſſas, attingit vno & indiuiſibili actu concluſionem, tanquam rationem formalem, quæ affirmatur, & præmiſſas tanquam rationem formalem ſub qua affirmat concluſionem.

6. Quæ-

6. Quæres tertiò, vtrùm poſſit intellectus affirmare præmiſſas, & negare, vel ſaltem non affirmare concluſionem.

7. Reſp. negatiuè. Ratio primæ partis conſtat hoc ſyllogiſmo: non poteſt intellectus negare verum cognitum, vt verum ſicuti non poteſt affirmare falſum cognitum vt falſum, ſed intellectus negaret verum cognitum, vt verum ſi affirmatis præmiſſis negaret concluſionem, quia eo ipſo, quod repræſentatur intellectui verum antecedens, repræſentatur etiam verum conſequens, quòd infertur ex antecedente ergo intellectus non poteſt negare concluſionem affirmatis præmiſſis, alioquin ſibi contradiceret.

8. Ratio ſecundæ partis eſt, quia potentia neceſſaria poſitis omnibus requiſitis ad operandum, non poteſt non operari, ſed intellectus eſt potentia neceſſaria, & nihil aliud requiritur ad affirmandam concluſionem, niſi affirmare præmiſſas bene diſpoſitas ſecundùm formam ſyllogiſticam: ergò affirmatis præmiſſis habet neceſſitatem affirmandi concluſionem. Maior probatur. Non requiritur Imperium voluntatis mouentis intellectum ad aſſenſum concluſionis: ergò intellectus affirmatis præmiſſis habet quidquid requiritur ad affirmandam concluſionem. Antecedens probatur primò à priori, quia nulla potentia ſubijcitur voluntati in ordine ad poſſidendum bonum ſibi proprium, ſed bonum intellectus eſt verum

euidenter cognitum: ergò intellectus non debet expectare imperium voluntatis ad affirmandam concluſionem affirmatis præmiſſis, quia eſt euidenter verum id quod ſequitur ex duabus præmiſſis bene diſpoſitis: ſecundò probatur idem antecedens à poſteriori, quis enim eſt, qui experiatur ſe expectare imperium voluntatis ad affirmandum totum eſſe maius ſua parte? ex eo enim, quòd intellectus apprehendit totum, & partem ſtatim naturæ impetu mouetur ad affirmandam veritatem prædictam, ſtultum enim eſt imaginari neceſſitatem imperij voluntatis ad rem adeò euidentem affirmandam: ſed non eſt minus euidens hominem eſſe riſibilem, quando intellellectus cognoſcit hominem eſſe rationalem & rationale eſſe riſibile, quàm euidens ſit apprehenſis terminis totum eſſe maius ſua parte; ergo repugnat experientiæ imaginari, quod intellectus cognita euidenti connexione duorum terminorum cum aliquo tertio, debeat moueri à vountate ad affirmandam concluſionem.

9. Hinc eſt, quòd intellectus ſine imperio voluntatis eſt determinatus ad affirmandam concluſionem, quæ ſequitur ex præmiſſis, tam in materia neceſſaria, quàm in materia probabili, non minùs enim eſt euidens ſequi concluſionem ex præmiſſis ſyllogiſmi probabilis, quam ex præmiſſis ſyllogiſmi demonſtratiui.

10. Hoc eodem argumento conſtat neceſſitas, quam habet intellectus affirmandi aliam

con-

concluſionem, quam videt contineri virtualiter in eis præmiſſis, quibus præbuit aſſenſum. Ratio eſt, quia intellectus neque poteſt negare verum euidenter cognitum, neque poteſt omittere aſſenſum veritatis euidentis, ſed alterutrum ſequitur, ſi intellectus non habet neceſſitatem reſpectu alterius concluſionis, quam cognoſcit contineri virtualiter in præmiſſis, quas affirmauit, ergo, &c. Minor probatur: ponamus affirmari Petrum eſſe riſibilem propter hunc ſyllogiſmum, *omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo eſt riſibilis*, deinde intellectus iudicet euidenter Paulum eſſe hominem, ſtatim debet iudicare Paulum eſſe riſibilem.

11. Hinc colliges primo eſſe optimum argumentum, arguere ab identitate rationis probantis duas ſententias, ad demonſtrandum non poſſe vnam eſſe veram, & aliam falſam.

12. Colliges ſecundo, non poſſe vnum articulum credi fide diuina alio non credito. Ratio eſt, quia intellectus, qui credit fide diuina Myſterium Incarnationis ideo præcisè credit, quià Deus reuelauit hoc myſterium, ſed etiam Deus reuelauit Myſterium Trinitatis, ergo non poteſt credere Myſterium Incarnationis, niſi credat Myſterium Trinitatis. Hinc eſt, quod Hæretici, qui nolunt credere aliquod Myſterium à Deo reuelatum nullum conſequenter credunt fide diuina. Contra hanc doctrinam.

9. Obiec. primò: Intellectus ſubijcitur imperio voluntatis, dum præbet aſſenſum concluſionem

clu-

cluſioni, ergo non habet neceſſitatem concedendi conſequentiam conceſſis præmiſsis. Antecedens probatur, tum quia voluntas imperat intellectui aſſenſum, vt docet expreſsè S. Thomas in prima ſecundæ quæſt. 9. art. 1. tum quia voluntas non habet neceſſitatem amandi bonum, ergo neque intellectus habet neceſſitatem affirmandi verum.

10. Reſp. Nego antecedens: ratio conſtat ex dictis, quia intellectus non poteſt ſubijci imperio voluntatis in ordine ad illud bonū, quod eſt ſibi proprium. Cæterum non eſt dubium, quin voluntas debeat imperare intellectui aſſenſum veritatis probabilis probabiliter propoſitæ, & aſſenſum veritatis à Deo reuelatæ, quia neutra veritas apparet euidēter intellectui. Diſparitas inter voluntatem, & intellectum eſt manifeſta, quia voluntas eſt potentia libera, adeoque poteſt amare, & non amare bonum ſibi propoſitum: intellectus vero eſt potentia neceſſaria.

11. Obijc. ſecundo: intellectus, quia aſsentitur veritati magis notæ, non tenetur affirmare veritatem minus notam, ſed veritas concluſionis eſt minus nota, quàm veritas præmiſſarum, quia concluſio fit nota per præmiſſas, ergo intellectus non determinatur ad aſſenſum concluſionis ab aſſenſu præmiſſum. Confirmatur, quia aliter ſequeretur, quod aliquis intellectus, qui affirmat veritatem probabilem, vt quatuor deberet conſequenter affirmare cæteras veritates,

quæ

quæ habent eamdem probabilitatem, quod eſt euidenter falſum.

12. Reſp. Diſtinguo ma: Intellectus, quia aſſentitur veritati magis notæ non debet affirmare veritatem minus notam; quando hæc cõtinetur in illa; nego maiorem; quando non continetur: concedo ma: & diſtincta min: nego conſequentiam: veritas concluſionis continetur euidenter in veritate præmiſſarum, vt oſtenſum eſt: ideo non poteſt ab intellectu vna ſine alia affirmari, licet vna ſit magis nota, quã alia. Ad confirmationem nego ſequelam, quia intellectus non poteſt affirmare veritatem probabilem, niſi determinetur ab imperio voluntatis, cum ſola veritas euidens moueat neceſſario intellectum ad aſſenſum ſui. Hinc eſt, quod voluntas poteſt determinare intellectum ad aſſenſum vnius veritatis probabilis, quin determinet ad aſſenſum alterius.

QVAESTIO II.

Vtrum principium regulatiuum cuiuſcumque ſyllogiſmi ſit dici de omni, et dici de nullo.

1 OMnis propoſitio, vel eſt affirmatiua, vel negatiua, ideò ſyllogiſmus eſt affirmatiuus, ſi concluſio ſit affirmatiua, eſt negatiuus, ſi concluſio ſit negatiua. Hoc diſcri-

men

men intercedit inter ſyllogiſmos affirmatiuos, & ſyllogiſmos negatiuos, quòd in affirmatiuis concluſio eſt affirmatiua deducta ex duabus præmiſſis affirmatiuis, in ſyllogiſmis negatiuis concluſio negatiua deducitur ex vna præmiſſa affirmatiua, & altera negatiua. Ratio eſt, quia ſi vtraque præmiſſa foret negatiua, nulla concluſio poſſet inferri, cum ex puris negatiuis nihil inferatur, vt dictum eſt in ſummulis.

2. Ariſtoteles in lib. 1. poſteriorum. c. 1. nu 8. tradit duo principia vniuerſaliſſima, quorum alterum vocat *dici de omni*, & hoc eſt principiũ affirmatiuum, alterum vocat *dici de nullo*, & hoc eſt principium negatiuum. Hoc principium *dici de omni*, vt dictum eſt in ſummulis habet hunc ſenſum; quotieſcumque aliquod prædicatum dicitur vniuerſaliter de aliquo ſubiecto, dicitur etiam de omni eo, de quo ſubiectum prædicatur: ita in hac propoſitione, *omnis homo eſt animal*, ly *animal*, quod eſt prædicatum, dicitur de omni homine, ideò debet etiam dici de Petro, de quo prædicatur *homo*, Id totum clariſſimè explicatur per illam certiſſimam regulam, quam ex Ariſtotele tradidimus in prædicamentis ad formandas prædicationes conſtituentes lineam prædicamentalem: ibi enim dictum fuit, quòd in prædicatione termini logicè ſuperioris de termino logicè inferiori, quidquid prædicatur de ſuperiori, prædicatur etiam de inferiori, ſi enim

homo

homo eſt animal, & animal eſt viuens, & vi-uens eſt corpus, & corpus eſt ſubſtantia, de primo ad vltimum homo eſt ſubſtantia; cum ergo verum ſit, nihil poſſe prædicari de termino ſuperiori, quod ſimul non prædicetur de termino inferiori, ſequitur veriſſimum eſſe, quod prædicari vniuerſaliter de ſubiecto, eſt prædicari de omni eo, de quo ſubiectum prædicatur. Huiuſmodi principium dirigit omnes ſyllogiſmos affirmatiuos, quicumque enim ſyllogiſmus affirmatiuus rectè concludens, ideò præciſè concludit, quia neceſſe eſt, quòd aliquod prædicatum, ſi dicitur vniuerſaliter de ſubiecto, dicatur etiam de omni eo, de quo illud ſubiectum prædicatur. Hinc redditur ratio primo, cur in omni ſyllogiſmo debeant eſſe tres termini, & duę præmiſſæ cum concluſione; quia illud principium non poteſt regulare ſyllogiſmos, niſi *A* dicatur vniuerſaliter de *B*, & *C*. dicatur de *A*, vnde infertur, *C*. dici de B. ſed hoc totum fieri non poteſt ſine tribus terminis, ex quibus formantur tres propoſitiones, quarum duæ ſunt præmiſſæ, & tertia eſt concluſio, ergo &c. Secundo redditur ratio, cur ſyllogiſmi ex puris particularibus nihil concludant, quia non poteſt in prædictis ſyllogiſmis habere locum principium traditum, in quibus nulla eſt propoſitio vniuerſalis, in qua prædicatum vniuerſaliter dicatur de ſubiecto. Tertio, cur non valeat arguere à medio termino non diſtributo, quia ſi medius terminus non

ſumi-

ſumitur diſtributiuè, non poteſt argui connexio vnius termini cum alio, eo quod vterque connectatur cum medio termino non diſtributo, & ratio eſt, quia medius terminus, qui non diſtribuitur in altera præmiſſa ſupponit pro vno, & in altera ſupponit pro alio, adeoque variata ſuppoſitione, variantur termini, vt contingit in hoc ſyllogiſmo, quem diximus in ſummulis eſſe vitioſum.

Omnis Angelus eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt ſubſtantia,
Ergo omnis homo eſt Angelus

3. Ly enim *ſubſtantia*, cum non diſtribuatur, ſupponit in maiori pro ſubſtantia angelica, & in mi: ſupponit pro ſubſtantia humana, quæ vtique eſt diuerſa ab angelica.

4. Supereſt examinandum aliud principium ſyllogiſticum *dici de nullo*, à quo diriguntur omnes ſyllogiſmi negatiui. Senſus huius principij eſt: omne id, quod negatur de aliquo ſubiecto, negatur etiam de omni eo, de quo illud ſubiectum prædicatur: ita, ſi verum eſt, hominem non eſſe lapidem, verum conſequenter erit, Petrum non eſse lapidem, quia lapis negatur de homine, & homo affirmatur de Petro, ideo neceſſitate conſequentiæ negare debet lapidem de Petro, qui negauit lapidem de homine affirmando Petrum eſſe hominem, aliter idẽ ſimul affirmaret, & negaret, nimirum affirmaret, & negaret, Petrum eſſe lapidem, quod repugnat.

5. Hoc

5. Hoc principium eſt euidentiſſimum, & notum lumine naturę, quia reſoluitur in illud principium metaphyſicum, quod ſine maxima inſipientia negari non poteſt *impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe: & contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, vel ſimul falſa*. Huiuſmodi principio regulari quemlibet ſyllogiſmum negatiuum, eſt euidentiſſimum, quia ſyllogiſmi negatiui, qui nihil concludunt, ideo præcisè non concludunt, quia in illis non habet locũ principium ſyllogiſticũ *dici de nul o*, & omnes ſyllogiſmi negatiui, qui aliquid concludunt, ideo præcisè concludũt, quia in illis habet locũ principium ſyllogiſticum *dici de nullo*. Hinc eſt primo, quod ſyllogiſmus negatiuus non poteſt rectè concludere, niſi habeat vnam præmiſſam affirmatiuam, alioquin regulari non poteſt à prædicto principio, cuius vis in eo præcise conſiſtit, quod A. ſi negatur de B. debet conſequenter negari de omni eo, de quo affirmatur B. ſecundo ſequitur omnem ſyllogiſmum negatiuũ, in quo vtraque præmiſsa eſt particularis, nihil concludere, quia medius terminus non accipitur diſtributiue, vel ſaltem arguitur à termino non diſtributo ad diſtributum.

6. Ex ijs, quæ huculque diximus, colliges primo, omnem ſyllogiſmum non poſſe rectè concludere, niſi fundetur in hoc principio affirmatiuo *dici de omni*, vel negatiuo *dici de nullo*. Ratio eſt, quia omnis ſyllogiſmus, vel eſt affirmatiuus, vel negatiuus, ſed ſyllogiſmus affir-

fir-

firmatiuus debet dirigi à principio affirmatiuo *dici de omni*, & negatiuus à principio negatiuo *dici de nullo*, ergo omnis ſyllogiſmus rectè cōcludens fundatur in prædicto principio. Minor probatur, quia omnis ſyllogiſmus affirmatiuus & negatiuus, vel eſt categoricus, qui nimirum conſtat ex propoſitionibus categoricis, vel eſt hypotheticus, qui conſtat ex propoſitionibus hypotheticis, & modalibus, ſed omnes ſyllogiſmi hypothetici, vt demonſtrat ibidem Ariſtoteles, reducuntur ad categoricos, ergo omnes ſyllogiſmi hypothetici regulantur illis principiis, quibus regulantur categorici, ſed categorici affirmatiui regulantur ab hoc principio, *dici de omni*, & categorici negatiui regulantur ab alio principio, *dici de nullo*, quia omnes ſyllogiſmi categorici affirmatiui, & negatiui, vel ſunt perfecti, ſicuti omnes ſyllogiſmi facti in quatuor primis modis primæ figuræ, vel ſunt imperfecti ſicuti omnes ſyllogiſmi pertinentes ad ſecundam, & tertiam figuram, & ad modos indirectos primæ figuræ, ſi ſunt perfecti, apertè conſtat, affirmatiuos regulari à, *dici de omni*, & negatiuos à, *dici de nullo*, vt demonſtratum eſt: ſi imperfecti, reducuntur ad perfectos, vel oſtenſiuè, vel per reductionem ad impoſſibile, vt in ſūmulis demonſtratum eſt, ergo ſyllogiſmi imperfecti debent regulari à principiis, quibus regulantur perfecti, ergo omnes ſyllogiſmi ideò concludunt, qu a fundantur in iſtis principiis *dici de*

omni:

omni ; & dici de nullo, quod erat demonſtrandum.

7. Colliges ſecundo, inter omnes ſyllogizandi modos, qui poſſunt formari, ſolos 17. legitimè concludere, qui continentur in illis verbis. *Barbara calarent*, &c.

8. Rationem, cur omnes iſti concludant, ceteri non concludant, affert euidentiſſimam Ariſtoteles in lib. prim. priorum, cap. 5. & ſequentibus. Illi ſyllogiſmi concludunt, qui regulantur hoc principio vniuerſaliſſimo: *dici de omni, & dici de nullo*: illi vero non concludũt, qui eodem principio non regulantur, ſed ſoli 17. prædictis verbis incluſi regulantur, quia medius terminus in õibus accipitur diſtributiuè, & nullus terminus diſtribuitur in concluſione, qui nõ fuerit diſtributus in pręmiſſis, cęteri vero non regulantur, vel quia medius terminus nõ diſtribuitur, vel quia aliquis terminus diſtribuitur in conſequenti non diſtributus in antecedenti, vt patet conſiderantibus, ergo &c.

9. Colliges tertio, omnes modos argumentandi, qui legitimè concludunt, poſſe reduci, vel ad primum argumentandi modum ex vniuerſalibus affirmatiuis, qui vocatur *Barbara*; vel ad primum ex vniuerſalibus negatiuis, qui vocatur *calarent*: ratio eſt euidens, quia omnes modi argumentandi reducuntur ad primos quatuor pertinentes ad primam figuram, vel oſtenſiuè, vel per reductionem ad impoſſibile, ſed duo modi argumentan-

di directè in prima figura,qui ſignificantur illis vocibus *Darij*,& *Ferio*, reducuntur ad ſyllogiſmum in *Celarent*, ergo omnes modi argumentandi reducuntur ad *Barbara*, vel *Celarent*. Mi demõſtrat ingenioſiſſimè Ariſtoteles loc.cit. in hunc modum Argumenta quæ fiunt in *Darij* poſſunt probari per argumenta facta in *Ceſare*, & argumenta facta in *Ferio* per argumenta facta in *Cameſtres*, ſed argumenta, quæ fiunt in *Ceſare*, & *Cameſtres* probantur per argumenta, quæ fiunt in *Celarent*,vt oſtenſũ eſt in ſumm.p.3 c.n. dum egimus de modo reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad perfectos, ergo argumenta in *Darij*, & *Ferio*, reducuntur ad *Calarent*. Ma: probatur, quia tunc argumentum in *Darij* probatur per argumentum in *Ceſare*, quando argumentando in *Ceſare*, oſtenditur per reductionem ad impoſſibile, argumentum in Darij bene concludere, ſed hoc demonſtratur; formetur enim tale argumentum in *Darij*. *Omne animal eſt viuens. Sed aliquis homo eſt animal. Ergo aliquis homo eſt viuens*: deinde aſſumatur pro maiori propoſitione contradictorium conſequentis, videlicet: *nullus homo eſt viuens*, & in minori ſubſumatur: *omne animal eſt viuens*, quæ propoſitio ſupponitur conceſſa in primo argumento, infertur in concluſione per argumentum in *Ceſare*: *ergo nullus homo eſt animal*: ſed iſta propoſitio contradicit illi, quæ ſupponitur conceſſa in primo argumento: *aliquis homo eſt animal*, ergo per redu-

reductionem ad impoſſibile probatur, argumẽtum in *Darij* bene concludere per argumentũ in *Ceſare*. Idẽ demonſtratur de argumento in *Ferio* quod ſit huiuſmodi. *Nulla planta eſt animal: aliqua arbor eſt planta: ergo aliqua arbor nõ eſt animal.* Sumatur in maiori propoſitio contradictoria conſequentis, quæ eſt huiuſmodi, *omnis arbor eſt animal*, & ponatur in minori, *Nulla planta eſt animal*, infertur per argumentum in *Cameſtres*, ergo *nulla arbor eſt planta*, quæ propoſitio contradicit minori propoſitioni primi ſyllogiſmi *aliqua arbor eſt planta*: ſed argumentum in Cæſare, & argumentum in *Cameſtres* reducuntur ad argumentum in *Celarent*, vt demonſtratum eſt in ſummulis, ergo argumenta, quæ fiunt in *Dary* & *Ferio*, probantur per argumenta, quæ fiunt in *Celarent*, adeoque omnes modi argumentandi reducuntur ad duos primos vniuerſales *Barbara* & *celarent*, quod erat oſtendendum.

10. Obij. prim. ſyllogiſmus expoſitorius eſt optimus ſyllogiſmus, non minus, quam ſyllogiſmus in Barbara, vt patet in hoc ſyllogiſmo: *hic homo eſt animal*, *Petrus eſt hic homo*, *ergo Petrus eſt animal*; ſed ſyllogiſmus expoſitorius non regulatur ab illo principio *dici de omni*: ergo nõ omnis ſyllogiſmus regulatur à prædicto principio. Minor probatur, quia *dici de omni* includit neceſſario vnam præmiſſam vniuerſalem: ſed in ſyllogiſmo expoſitorio nulla præmiſſa eſt vniuerſalis, ergo &c.

 11. Reſp.

11. Reſp. conc: ma:& nego mi: Ad eius probationem diſtinguo ma: includit vnam præmiſſam formaliter, vel æquiualenter vniuerſalem: concedo ma: formaliter vniuerſalem: nego ma: & diſtinguo mi: ſyllogiſmus expoſitorius nullam habet præmiſſam vniuerſalem formaliter, concedo mi: æquiualenter, nego mi: & conſeq; Syllogiſmus expoſitorius, vt dictum eſt in ſummulis p.3.cap.4. non poteſt concludere, niſi vna propoſitio, quæ eſt formaliter ſingularis ſit æquiualenter vniuerſalis, vt patet in propoſito ſyllogiſmo, in quo maior propoſitio *hic homo eſt animal* eſt formaliter ſingularis, ſed æquiualenter eſt vniuerſalis, quia æquiualet huic: quidquid eſt hic homo eſt animal.

12. Obijc. ſecundò. Huiuſmodi principium non valet in illis ſyllogiſmis, quæ fiunt à Theologis circa Myſterium ineffabile Sanctiſſimę Trinitatis, ergo non omnes ſyllogiſmi regulantur ab hoc principio. Antecedens probaur, quia hoc argumentum factum in Myſterio Trinitatis non concludit, vt Theologi dedemonſtrant. *Hic Deus eſt Pater, Filius eſt hic Deus, ergo Filius eſt Pater*, ſed hoc argumentum eſt ſimile huic ſyllogiſmo, quem demonſtrauimus regulari à principio *dici de omni: hic homo eſt animal, Petrus eſt hic homo, ergo Petrus eſt animal* ergo &c.

13. Reſp. Nego antec: immò hoc principium ſummè mihi probatur, quia ex ipſo

ma-

manifeſtè demonſtratur, omnia argumenta, quæ fiunt ab Hæreticis ad impugnandam diſtinctionẽ perſonarũ, eſſe ſophyſtica, & nihil cõcludere; vt patet in ſyllogiſmo, de quo loquitur arguens, conceſſa enim ma: & minori negatur conſequentia. Ratio eſt, quia vna propoſitio debet æquiualere vniuerſali, vt medius terminus accipiatur vniuerſaliter, ſed iſta propoſitio *hic Deus eſt Pater*, non æquiualet vniuerſali, alioquin eſſet falſa, quia Pater Aeternus non eſt omne id, quod eſt hic Deus, Pater enim non eſt filius, licet Pater ſit idem Deus ac Filius.

QVAESTIO III

De ſyllogiſmo demonſtratiuo.

1. DIco primo plures eſſe veritates demonſtrabiles, adeoque eſſe demonſtrationem, quæ iſtas veritates demonſtrat. Hanc ſententiam docet expreſsè Ariſtoteles, tum in actu exercito plurima demonſtrando, tum in actu ſignato in primo poſteriorum cap. 1. vbi acutiſſimè demonſtrat dari demonſtrationem, & ſcientiam.

2. Probatur: ſunt aliquæ veritates, quæ non poſſunt demonſtrari, & tamen ſunt certæ, & euidentes, ergo ſunt aliquæ veritates, quæ poſſunt demonſtrari. Antecedens patet, quia

ſunt aliquæ veritates per ſe notæ, quæ nimirum apprehenſis terminis ſtatim cognoſcuntur veræ. Huiuſmodi ſunt prima principia videlicet *quodlibet eſt, vel non eſt. totum eſt maius ſua parte*; conſequentia probatur. Multæ ſunt veritates, quæ continentur in his veritatibus, quæ ſtatim non apparent intellectui cognoſcenti prima principia; id enim oritur ex imbecillitate humani intellectus, qui opus habet diſcurſu, hoc eſt motu intentionali ad inferendam vnam veritatem ex alia, ideo veritas concluſionis, vt ait acutè S. Thomas, continetur in primis principijs, ſicuti arbor in ſemine. Veritas principij, à qua mouetur intellectus ad veritatem concluſionis, eſt antecedens, ex quo infertur conſequens, adeoque non poteſt eſſe verum principium, niſi ſit vera concluſio, quæ ſequitur neceſſitate conſequentiæ ex veritate principij. Cum ergo argumentari à veritate principij ad veritatem concluſionis ſit formaliſſime demonſtrare, manifeſtum eſt multas eſſe veritates, quæ demonſtrari poſſunt, adeoque eſſe ſyllogiſmum demonſtratiuum, qui generat in intellectu ſcientiam illius veritatis, quæ non apparet in ipſa terminorū apprehenſione.

3. Confirmatur hic diſcurſus à poſteriori, quia in omni ſcientia ſunt aliquę veritates, quę in ſe ipſis continent quamcumque veritatem propriam illius ſcientiæ. In mathematica ſunt hæ veritates, *quæ ſunt æqualia vni tertio ſunt æqualia inter ſe: ſi ab æqualibus æqualia de-*

mas

mas, *quæ remanent ſunt æqualia*. Iſtæ veritates continent in ſe virtualiter veritatem omnium concluſionum, quas per demonſtrationes mathematicas Euclides deducit ex prædictis principijs. Præterea prima principia vniuerſaliſſima Dialecticæ continent in ſe virtualiter omnes veritates, quibus logici demonſtrant ſyllogiſmũ in Barbara, & cæteros ſyllogiſmos formales optimè concludere.

4. Dico ſecundo; Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, vel eſt ſyllogiſmus, qui conſtat ex propoſitionibus veris, primis, & immediatis, certioribus, prioribus, & cauſis concluſionis.

5. Probatur, & explicatur hæc ſententia. Ariſtoteles in primo poſteriorum geminas definitiones tradit, quarum vna explicat naturam demonſtrationis per cauſam finalẽ, & extrinſecam, alia per cauſam formalem, & intrinſecam. Prima definitio, qua dicitur demonſtratio eſſe ſyllogiſmus faciens ſcire, explicat demonſtrationem per cauſam finalem, quia ſcientia eſt finis, ad quem ordinatur demonſtratio, quiá vero ſyllogiſmus non poteſt generare ſcientiam niſi conſtet ex propoſitionibus veris, primis, & immediatis, vt clarius patebit ex num. 11. & 12. ideo ſecunda definitio, quam ex Philoſopho accepimus explicat demonſtrationem per cauſam formalem, hoc eſt per conſtitutiua intrinſeca demonſtrationis.

6. Dico tertio: duas eſſe demonſtrationes

vnam à priori, aliam à poſteriori.

7. Ratio eſt, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ſed hic ſyllogiſmus alius eſt à priori, alius à poſteriori, ergo demonſtratio alia eſt à priori, alia à poſteriori. Probatur min: quia duobus modis poſſumus peruenire ad habendam cognitionem certam, & euidentem: vno modo cognoſcendo rationem propter quam res eſt, ſiue cauſam rei: alio modo cognoſcendo aliquid infallibiliter connexum cum exiſtentia rei, nimirum effectum rei. Primus modus eſt habere ſcientiam à priori, iſte modus habendi ſcientiam eſt omnium perfectiſſimus, quia eodem modo cognoſcitur res ab intellectu, ſicuti exiſtit in rerum natura, illa enim ratio propter quam res exiſtit phyſicè, eſt ratio propter quā exiſtit intelligibiliter ſiue logice. E contrario cognoſcere rem poſteriori modo eſt habere ſcientiam rei à poſteriori, qui modus ſciendi eſt minus perfectus, quia ratio cur exiſtat intentionaliter obiectū in cognitione, eſt aliquis effectus, cuius exiſtentia eſt connexa cum exiſtentia cauſæ. Reliquum eſt, vt aliquas difficultates expediam circa naturam ſyllogiſmi demonſtratiui.

8. Quæres igitur primò: vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe neceſſario veræ.

9. Reſp. cum Ariſtotele in primo Poſt: affirmatiuè: Ratio eſt, quia demonſtratio debet eſſe talis, vt concluſio ſit neceſſario vera, ſed non poteſt eſſe neceſſario vera, ſi vtraque

præ-

præmiſſa non eſt neceſſario vera, ergo præmiſſæ, quæ componunt demonſtrationem, ſunt neceſſario veræ. Maior eſt certa, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire; omnis autem ſcientia eſt de obiecto vero, & neceſſario, quià neque falſum, neque contingens eſt obiectum ſcientiæ. Minor probatur, quia vtraque præmiſſa habet virtutem antecedentis reſpectu veritatis demonſtratæ, adeoque debet eſſe ratio, vel à priori, vel à poſteriori, cur prædicatum ſit idem cum ſubiecto in concluſione, ſed repugnat in terminis, vt aliquid falſum ſit ratio à priori, vel à poſteriori, cur aliquid ſit verum, ergo repugnat in terminis præmiſſas demonſtrationis eſſe falſas. Minor probatur, quia licet in omni figura ex antecedenti falſo poſſit ſequi conſequens verum, numquam tamen antecedens falſum poteſt eſſe ratio cur conſequens ſit verum. quinimmo ſi præcisè attendatur illud, quod ponitur in antecedenti, dicendum eſt conſequens eſſe falſum non verum, quia tamen conſequentia eſt optima, & aliunde conſequens eſt verum, ideo poteſt antecedens eſſe falſum, & conſequens verum.

10. Hinc colliges ſyllogiſmum, in quo infertur per veram conſequentiam verum conſeſequens ex præmiſſis falſis, inferre conſequens verum materialiter, non formaliter, vt oſtenſum eſt in ſummulis: ratio vlterior eſt, quia ratio identitatis duorum terminorum in concluſione non eſt identitas eorumdem cum medio termino

no,cum enim ſupponatur alterá præmiſſam eſſe falſam,ſine dubio non poteſt eſſe ratio identificandi inter ſe duo extrema identitas eorumdem cum medio termino, quæ vere non datur, vnde vlterius colligitur ſyllogiſmum, in quo ſequitur verum ex falſo, eſſe quidem optimum ſyllogiſmum, ſicuti eſt optimus ſyllogiſmus, qui infert falſum ex falſo, non tamen eſſe ſyllogiſmum demonſtratiuum, in quo debet inferri verum ex vero.

11. Quæres ſecundo: vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe immediatæ, & certiores ipſa concluſione.

12. Reſp. affirmatiuè: ratio primæ partis eſt, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire,ſed non poteſt eſſe ſyllogiſmus faciẽs ſcire, niſi conſtet ex propoſitionibus primis,& immediatis,ergo &c.Mi: probatur.ſcientia eſt cognitio certa, & euidens: ergo cognitio, quæ infertur in ſyllogiſmo demonſtratiuo eſt cognitio certa, & euidens: ſed cognitio certa, & euidens debet inferri ex præmiſſis certis, & euidentibus, quia præmiſſæ ſunt principia concluſionis,adeoq; talis eſt concluſio, quales ſunt propoſitiones ex quibus deducitur,ergo propoſitiones,quæ cõponunt demonſtrationem, debẽt eſſe certæ,& euidentes;iſta euidentia, vel cõſiſtit formaliter in ipſa connexione terminorum,quæ apprehenſis terminis apparet intellectui, vel reducitur ad aliquam veritatem immediatè, & ex terminis apparentem; alioquin daretur pro-

proceſſus in infinitum demonſtrando vnam veritatem per aliam veritatem, quod eſt impoſſibile, vt egregiè demonſtrat Ariſtoteles: ergo neceſſe eſt peruenire ad aliqua prima principia euidentia, & indemonſtrabilia.

13. Ratio ſecundæ partis eſt, quia præmiſſæ demonſtrationis vel ſunt demonſtrabiles, vel indemonſtrabiles, ſed ſiue ſint demonſtrabiles, ſiue indemonſtrabiles, ſunt certiores, & euidentiores concluſione, ergo &c. Minor probatur: ſi ſunt indemonſtrabiles, vtique ſunt euidentiores, quia huiuſmodi præmiſſæ habent ex ſe certitudinem, & habent ex ſe euidentiam: vtramque concluſio habet dependenter à præmiſſis, quod ſi ſunt demonſtrabiles: licet non habeant à ſe, & ex ſe certitudinem, nihilominus debent habere certitudtnem, & euidentiam maiorẽ certitudine concluſionis, tum quia præmiſſæ demonſtrabiles non poſſunt efficere aſſẽſũ certum, & euidentem, niſi operentur in virtute propoſitionis indemõſtrabilis alioquin demonſtrari non poſſet, vt contingit in eo, qui abſque notitia primorum principiorum format ſyllogiſmum compoſitum ex præmiſſis demonſtrabilibus, ideò dictum eſt præmiſſis demonſtrationis eſſe primas & immediatas formaliter, vel reductiuè, ſed eo ipſo, quod premiſſa demonſtrabilis agit in virtute præmiſſæ indemonſtrabilis debet eſſe euidentior ipſa concluſione, eſt enim propinquior primo principio, quam concluſio, tum quia præmiſſæ continent vnionem

nem duplicis termini cum medio termino, & concluſio continet vnionem duorum terminorum inter ſe propter vnionem eorumdem cum medio termino, tū quia eſt maior & euidentior vnio duorum terminorum cum medio termino, quam vnio duorū terminorum inter ſe ergo &c

14. Quæres tertiò: vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe neceſſariæ.

15. Reſp. affirmatiue cum Philoſopho in 1. Poſt. Probatur primò: demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ſed huiuſmodi ſyllogiſmus conſtat ex præmiſſis neceſſariis, ergo &c. Minor probatur, quia ſcire eſt cognoſcere rem per cauſam propter quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere: vnde ſequitur ſcientiam eſſe de obiecto neceſſario, vt oſtenſum eſt in tractatu de vniuerſalibus diſp.4. qu.2. num. 6& 7.neceſſitate fūdata in cōnexione neceſſaria prædicati cum ſubiecto, ſed non poteſt haberi ſcientia de obiecto neceſſario, niſi ex principiis neceſſarijs, ergo intellectus non poteſt demonſtrare niſi ex principijs neceſſariis.

16. Probatur ſecundò: quicumque infert verum ex falso non habet ſcientiam illius veritatis, quam infert, ſed inferre veritatem neceſſariam ex propoſitionibus contingentibus eſt inferre verum ex falſo; ergo quicumque infert veritatem neceſſariam ex præmiſſis contingentibus,non habet ſcientiam talis veritatis, ergo non demonſtrat, ergo &c. Maior eſt certa, tum quia falſum non poteſt eſſe medium ad

ſcien-

ſciendum verum, licet ex falſo poſſit per euidentem conſequentiam ſequi verum, vt patet ex ſumm. part. 3. cap. 3. num. 3. tum quia demonſtratum eſt præmiſſas demonſtrationis, quę ſunt cauſa ſcientiæ, eſſe veras. Min: probatur: qui infert concluſionem neceſſariam ex antecedenti contingenti, infert concluſionem ſemper veram ex antecedente non ſemper vero, hoc eſt, quod aliquando poteſt eſſe falſum, quia contingens vt contingens aliquando poteſt aliter ſe habere: neceſſarium verò non poteſt aliter ſe habere: ergo inferre verum neceſſarium ex antecedente contingenti eſt inferre verum, quod ſemper eſt verum ex vero, quod aliquando non eſt verum: ſed repugnat inferre verum ſemper verum ex vero non ſemper vero non minus, quam repugnat inferre verum ex falſo, ergo non poteſt inferri conſequens neceſſarium, niſi ex antecedenti neceſſario: ergo omnis demoſtratio, quæ infert concluſionem neceſſariam, habet præmiſſas neceſſarias, quod erat demonſtrandum.

17. Hinc colliges primò omnem demonſtrationem conſtare præmiſſis, in quibus prædicatum dicitur per ſe de ſubiecto; ratio eſt euidens, quia veritas neceſſaria eatenus diſtinguitur à contingenti, quatenùs in veritate neceſſaria prædicatio eſt per ſe cũ prædicatũ ſit proprietas neceſſaria & debeat per ſe prędicari de ſubiecto: in veritate contingenti prædicatio eſt per accidens, quià prædicatum accidentaliter con-

conuenit ſubiecto, ſed demonſtratum eſt omnem demonſtrationem componi ex propoſitionibus neceſſarijs, ergo omnis demonſtratio componitur ex propoſitionibus, in quibus prædicatum per ſe dicitur de ſubiecto.

18. Colliges ſecundo, quòd ſicuti *dici de omni* prioriſticum eſt regula cuiuſcumq; ſyllogiſmi in quo infertur per euidentem conſequentiam conſequens ex antecedenti: ita *dici de omni* poſterior iſticum dirigit ſyllogiſmum demonſtratiuum, qui cõſtare debet ex propoſitionibus neceſſarijs. *Dici de omni prioriſticum*, & *dici de omni poſterioriſticum* eatenus differunt, quatenus in illis ſyllogiſmis, quorum regula eſt *dici de omni prioriſticum* eſt euidens conſequẽtia ſed cõſequens nõ eſt neceſſario euidẽs: in ſyllogiſmis verò, quorum regula eſt *dici de omni poſterioriſticum*, eſt euidens conſeq; quia dici de omni poſterioriſticũ includit dici de omni prioriſticũ: & præterea eſt euidens etiam conſequens, quia ſyllogiſmus directus dici de omni poſterioriſtico conſtat ex præmiſſis certis, & euidentibus, ex quibus neceſſe eſt inferri per euidẽtem conſequentiam euidens conſequens. Syllogiſmus demõnſtatiuus differt à ſyllogiſmo in genere, eo quòd in ſyllogiſmo demonſtratiuo, aſſumuntur propoſitiones, non ſolum veræ, ſed etiam euidenter veræ. E contrariò in ſyllogiſmo in genere ita diſponuntur propoſitiones, ſiue veræ, ſiue falſæ; vt ab earum diſpoſitione ſequatur euidenter concluſio. Hinc eſt requiri

ad

ad ſyllogiſmum, demonſtratiuum, vt non ſolum ſit vera conſequentia, ſed etiam ſit verum conſequens, id autem non requiritur ad ſyllogiſmum in genere; ideò ſyllogiſmus, quà ſyllogiſmus debet eſſe talis naturæ, vt conceſſis præmiſſis neceſſe ſit concedere conſequentiam: ſyllogiſmus autem demonſtratiuus debet eſſe talis, vt non ſolum ſit neceſſe concedere conſequentiam conceſſis præmiſſis, ſed etiam neceſſe ſit concedere præmiſſas propter earum euidentiam.

19. Hinc patet diſparitas inter dici de omni prioriſticum, & dici de omni poſterioriſticum, quòd ad veritatem illius ſatis eſt, ſi quid quid affirmatur de *A*; affirmetur etiam de omnibus, de quibus prædicatur A: quidquid ſit, an verè, & euidenter affirmentur de *A* ea, quæ affirmantur, vt poteſt videri in hoc ſyllogiſmo formali, quem tradit Ariſtoteles in lib. priorum agens de forma ſyllogiſtica. *Omne. A. eſt B. omne C. eſt A. ergo omne C. eſt B.* Hic ſyllogiſmus bene concludit, & dirigitur ab hoc principio, *quidquid affirmatur de A, affirmatur etiam de omni eo, de quo prædicatur A.* & tamen neque eſt verum, neque eſt euidens B eſſe A. & A eſſe C. Rurſus ad veritatem alterius principij, quod dirigit demonſtrationem, & appellatur dici de omni poſterioriſticum duo requiruntur: primò, vt quidquid affirmatur de aliquo tertio, affirmetur etiã de omnibus de quibus illud prædicatur, alioquin per euidentem conſequentiam

non

non inferretur conſequens ex antecedenti: ſecundò, vt quidquid affirmatur de aliquo tertio affirmetur verè, & euidenter, & omnia, quæ affirmantur ſub illo contineri, verè & euidenter contineantur, alioquin præmiſſæ non eſſent neceſſariæ, & euidentes, quod requiritur ad conficiendum ſyllogiſmum demonſtratiuum, vt oſtendi.nu.1.& 14.

20. Obiicies primo. Hic ſyllogiſmus eſt demonſtratiuus *omne albū eſt diſgregatiuum viſus: ſed ſubiectum habens albedinem eſt album, ergo eſt diſgregatiuum viſus*, ſed hic ſyllogiſmus non procedit ex præmiſſis neceſſarijs, quia contingens eſt hoc ſubiectum habere albedinem, & conſequenter eſt contingens hoc ſubiectum eſſe album, ergo &c.

21. Reſpondeo concedo ma: & diſt: min: non procedit ex præmiſſis neceſſarijs ſimpliciter: conc min: neceſſarijs ex ſuppoſitione; nego min: & conſequentiam. Neceſſitas exiſtendi, de qua in præſenti eſt ſermo, alia eſt ſimpliciter, alia ex ſuppoſitione. Primo neceſſitatis genere neceſſe eſt Deum exiſtere, quia eſt ens à ſe, ſecundo genere neceſſitatis neceſſe eſt exiſtere quidquid exiſtit, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: ita contingens eſt hunc parietem eſſe album, & ſimul eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, quòd habeat albedinem, vt ſit albus.

22. Ob: ſecundò: in philoſophia naturali, & morali plurimæ concluſiones demonſtrantur, ex

ex propoſitionibus autem neceſſariis non demonſtrantur, quia id, quod demonſtratur in Philoſophia naturali,& morali, poteſt aliter cótingere; Deus enim de potentia abſoluta poteſt mutare totum ordinem naturæ, in qno fundantur ſpeculationes phyſicæ.

23. Reſp: conc: ma: & nego min: demonſtrationes,quæ fiunt in philoſophia naturali ſunt de rebus neceſſariis, quæ non poſſunt aliter contingere ſpectato curſu naturæ,& demonſtrationes philoſophiæ moralis ſunt de rebus neceſſariis neceſſitate morali,hoc eſt de ijs rebus quas neceſſe eſt plerumque contingere,quod ſatis eſt ad demonſtrandum.

QVAESTIO IV.

Vtrum detur ſcientia, et de nouo acquiratur.

1. FVere aliqui Philoſophi Academici opinantes de nullo obiecto haberi cognitionem certam, & euidentem, quia credebant omnia eſſe dubia, & incerta, omnia opinabilia Fundamentum huius ſententię, quam eleganter, & robuſtè oppugnat Tullius in lib. contra Academicos eſt, quia omnis cognitio humana poteſt eſſe falſa eo quòd originem habeat à ſenſibus qui poſſunt errare, vt experimur. Nulla autem ſcientia poteſt eſſe falſa, ergo nul-

la cognitio humana poteſt eſſe ſcientia.

2. Alij verò Philoſophi, qui à ſuo Præceptore Pythagora dicti ſũt Pythagorici, & à Platone Platonici exiſtimabant contra Academicos de pluribus rebus haberi ſcientiam, ſed eam de nouo non comparari, adeoque eſſe ſolam reminiſcentiam rerum quas antea cognouimus. In hanc ſententiam inclinauit olim Origenes, qui vt narrat S. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei in eum errorem Catholicæ veritati contrarium turpiſſimè incidit, vt aſſereret omnes animas humanas fuiſſe à Deo creatas ſine corpore in ipſo mundi exordio, & deinde in pœnam criminum, quæ in illo ſtatu commiſere, fuiſſe in corpora, tanquam in carcerem detruſas. Argumentum quo vtitur Plato ad probandam ſuam ſententiam eſt illud, quod legitur in eius dialogis in hunc modum. Si interrogetur aliquis homo imperitus Geometriæ de quibuſdam principiis, & deinde de concluſionibus, quæ ex illis inferuẽtur, optimè reſpondet ad omnia facta hac Hypotheſi, cuius veritas probatur à Platone authoritate Socratis, qui ait ſe fuiſſe hanc rem expertam in puero, ita arguit Plato: iſte puer interrogatus benè reſpondet, ergo antequam interrogaretur cognoſcebat principia Geometrica, quia nemo poteſt bene reſpondere, interrogatus rem quam ignorat.

3. Sententia Peripatetica, quam ſequitur Ariſtoteles, & eſt prorſus vera, docet non ſolum

ſum dari ſcientiam actualem, & habitualem, ſed etiam eam de nouo acquiri.

Multa eſſe, quæ cadunt ſub ſcientiam humanam eſt adeò certum, vt mirum ſit, quòd aliqui Philoſophi contrarium ſenſerint, ſed quia nulla eſt fœditas ſine amatore, nulla fatuitas ſine patrono, ideo Academici omnem ſcientiam negabant contra experientiam, quam in nobis ipſis habemus de multis rebus, de quibus dubitare non poſſumus; quis enim dubitare poteſt an ipſe viuat, & exiſtat? Addo argumentum certiſſimum ſcientiæ eſſe appetitum, quo omnes vehementer ipſam ſcientiam deſideramus.

4 Non poſſum hic præterire mirabilem argumentandi modum, quo vtitur Piloſophus in quarto Metaphyſicæ & S. Auguſtinus in libro de vera Religione ad ſcientiam demonſtrandã in hunc modum, *Non datur ſcientia ergo datur ſcientia* hic modus argumentandi eſt mirabilis, quia ipſam ſententiam contrariam adhibet pro argumento ad eam oſtendendam falſam Conſequentiam probat Ariſtoteles vrgendo Academicos hoc breui dilemmate: vel ſcitis nullam dari ſcientiam, vel neſcitis: ſi dicitis primum; ergo datur ſcientia; ſcire enim non dari ſcientiã eſt aliquam ſcientiam concedere, ſi ſecundum dicitis, ergò ſtultè negatis ſcientiam, quid enim magis ſtultum, quàm negare id, quod neſcitur?

5. Præterea, qui negat omnem ſcientiam

adeoque affirmat ſe dubitare de omnibus re-
vtique non dubitat, an dubitet: certiſſim-
enim cognoſcit ſe dubitare, alioquin non dice-
ret ſe dubitare an poſſint contradictoria eſſe ſi-
mul vera, ergo ſcientiam affirmat, dũ eã negat
Hoc argumentum mirabili ingenio vrget Au-
guſtinus contra Academicos in lib. de vera re-
ligione. Eodem reuoluitur argumentum Ari-
ſtotelis demonſtrantis in Metaphyſica falſam
ſententiam, quæ ab intellectu humano excludit
omnem euidentiam.

6. Hanc ſcientiam, quam demonſtrauimus
dari, eſſe ſcientiam, quæ de nouo acquiritur.
Conſtat experientia, quia humanus intellectus
de pluribus rebus habet ſcientiam, quas antea
ignorabat, vt patet in omnibus, qui ſtudent
Philoſophiæ.

7. Ad Argumentum, quo vtuntur Aca-
demici reſpondetur cognitionem, quæ ducit
originem à ſenſibus, non eſſe expoſitam errori-
bus: primo, quia nullus ſenſus poteſt errare cir-
ca ſuum ſenſibile, vt oſtendit Philoſophus in 4.
Metaphyſicæ, & nos oſtendemus in libris de
Anima. Secundo etiamſi quilibet ſenſus poſſit
errare circa proprium ſenſibile, omnes ſenſus
collectiuè accepti non poſſunt errare: inde eſt,
quod cognitio, quæ naſcitur à ſenſibus non
eſt ſubiecta errori, quia error vnius ſenſus
poteſt ab alio ſenſu emendari, vt conſtat in eo,
qui cernit remum in aqua latentem, quem li-
cet oculus falsò iudicet eſſe fractum, hic error
facilè

facilè corrigitur per ſenſum tactus, qui experitur remum non eſſe fractum. Tertio etiamſi omnes ſenſus collectiue accepti poſſint errare, argumentum nihil probat, & ratio eſt euidens, quia licet omnia corpora exiſiſtant in perpetuo motu, non ſequitur, non eſſe multas veritates æternas, & inuariabiles, quarum ſcientia poteſt ab humano intellectu comparari.

9. Argumentum Platonis, quo probatur nullam eſſe ſcientiam de nouo, acutè ſoluit Ariſtoteles in primo poſteriorum, cap. 2. conceſſo enim antecedente diſtinguit conſequens, ergo ante interrogationem nouit concluſiones geometricas formaliter in ſe ipſis: negat conſequentiam: virtualiter in principijs: concedit conſequentiam: Quod ſi ſermo ſit de principijs Geometricis, dicit Ariſtoteles, & verè dicit, non eſſe neceſſarium, vt anteà nouerit hæc principia, de quibus interrogatus optimè reſpondet, quia principia lumine naturæ, adeoque ſe ipſis ſunt manifeſta, cum enim in humano intellectu detur virtus cognoſcitiua primorum principiorum, ſtatim ac proponitur intellectui veritas per ſe nota, acquirit intellectus eiuſdem actualem notitiam per lumen intellectuale: quia verò concluſiones continentur virtualiter in principijs ſicuti planta continetur in ſemine, ideo, qui cognoſcit prima principia cognoſcit virtualiter concluſiones, adeoque datur ſcientia actualis, quæ non eſt ſola reminiſcentia, vt falsò credebat Plato.

QVAESTIO V.

Vtrum circa idem obiectum poſſit eſſe ſimul actus ſcientiæ, et opinionis.

1 HViuſmodi quæſtio, quàm explicare aggredimur, eſt valdè celebris inter Philoſophos recentiores: eadem mutato nomine agitatur à Theologis, qui in tractatu de virtutibus Theologicis cum S. Thoma in ſecunda ſecundæ quærunt, vtrum poſſit cum actu fidei diuinæ coniungi actus opinionis, ita vt idem obiectũ materiale, ſcilicet Incarnatio verbi Diuini poſsit ſimul terminare actũ fidei Diuinæ, & actum opinionis hoc eſt, actum certum, & actum probabilem.

2 Vt clariùs procedamus in hac materia, quæ ſolet ſuccumbere multis æquiuocationibus, ſciendum eſt tria eſſe genera ſcientiæ, vt tria ſunt genera euidentiæ, alia enim eſt euidentia, quæ vocatur primi generis, & in genere euidentiæ eſt minima, quia poteſt phyſicè coniungi cum falſitate illius rei, quæ euidenter cognoſcitur. Iſta euidentia conſtituit ſcientiam moralem, quæ non reddit intellectum perfectè quietum, quia moralem euidentiam non ſequitur repugnantia oppoſiti. Ita hu-

huiuſmodi veritas *Alexander Magnus fuit Rex Macedonum* eſt mihi euidens moraliter, quia mihi non eſt adeò notum Alexandrum Magnũ fuiſſe Regem Macedonum, vt iudicem Phyſice repugnare Alexandrum Magnum non fuiſſe Regem Macedonum: alia eſt euidentia, quæ appellatur ſecũdi generis, eaque eſt lõgè maior quam euidentia primi generis, quia coniungitur cum phyſica, & naturali repugnantia oppoſiti: non eſt tamen ſumma euidentia, quia non excludit metaphyſicam repugnantiam oppoſiti. In hac euidentia, quæ vocatur euidentia phyſica, fundatur ſcientia phyſica, quam habemus de rebus omnibus, quæ naturaliter fiunt, nimirum de craſtino ſolis ortu, de incendio futuro ſtuppæ igni admotæ, quia huiuſmodi veritates ſunt adeò notæ, vt eas conſequatur phyſica, hoc eſt naturalis, non metaphyſica, ſiue eſſentialis repugnantia oppoſiti; quia metaphyſicè loquendo, nihil obſtat, quo minùs ſtuppa igni admota non ardeat, & craſtina die ſol non oriatur: alia euidentia, quæ vocatur tertij generis, eſt omnium maxima, quia excludit potentiam oppoſiti, huiuſmodi euidentia, quæ eſt metaphyſica, eſt fundamentum ſcientiæ metaphyſicæ, quam falſificari eſt manifeſtè impoſsibile, ita eſt euidens totum eſſe maius ſua parte, hominem eſſe animal rationale, & alia id genus, quia totum æquale parti, & homo, qui non ſit animal rationale eſt Chimæra.

3. Suppoſito hoc triplici genere ſcientiæ nullum poteſt eſſe dubium, an ſcientia perfectiſsima, quæ includit euidentiam metaphyſicam, & eſt ſcientia tertij generis, habeat ſummam certitudinem veritatis cognitæ, & excludat omnẽ formidinem falſitatis oppoſitæ. Non eſt propterea certum, an huiuſmodi ſcientia formaliter excludat ab eodem intellectu omnẽ actum opinandi circa idem obiectum; ſunt enim plurimi magni nominis Philoſophi, qui conſtantiſsimè negant opinionem excludi eſſentialiter ab actu ſcientiæ. Hinc locus quæſtioni factus, vtrum poſsit intellectus idem obiectum ſcire ſimul, & opinari, adeoque vtrum opinio, quæ eſt incerta incertitudine includente poſſibilitatem oppoſiti, coniungi poſſit cum ſcientia actuali, non habituali, quia nullum eſt dubium an habitus ſcientiæ, & habitus opinionis in aliquo gradu poſſint eſſe ſimul. Sententiam affirmantem defendit Suarius diſputatione tertia de fide quæſtione 9. Vaſquez in primam partem diſput. 4. cap. 2. Ariaga diſput. 6. de Anima ſect. 6. qui cum alijs recentioribus docet ab eodem intellectu poſſe ex duobus motiuis vno euidenti, & alio probabili fieri vnum indiuiſibilem actum, qui eſt opinio ſimul, & ſcientia.

4. Dico contra iſtos Authores non poſſe in eodem intellectu coniungi cum actu ſcientiæ excludentis omnem formidinem actum opinionis de eodem obiecto.

5. Sa-

5. Antequam proponam argumenta; quæ iamdiu eſt quod animum traxere in hanc ſententiam, neceſſe eſt per otium, & accuratè expendere clariſſima teſtimonia Ariſtotelis, & S. Thomæ, quorum authoritas apud me plus pōderis habet, quam cæterorum Philoſophorum turba contrarium opinantium. Audiatur primus Ariſtoteles, qui in primo poſteriorum explicat diſtinctionem inter ſcientiam, & opinionem, & tandem concludit non poſſe ab eodem intellectu idē eſſe opinatum, & ſcitum his verbis *Manifeſtum autem eſt ex his, quod neque opinari ſimul idē & ſcire cōtingit, ſimul enim haberet ſuſpicionem, quod idem aliter ſe haberet, & idem aliter non ſe haberet.*

5. Declaro mentem, & verba obſcura Philoſophi: initio prædicti textus oſtendit diſcrimen inter ſcientiam, & opinionem, inter obiectum ſcitum, & opinatum, deindè aſſerit ſciētiam eſſe de vniuerſalibus, & neceſſarijs, quæ non poſſunt aliter contingere, opinionem de non neceſſarijs, quæ poſſunt aliter contingere: hoc diſcrimen apertè conſtat ex communi exiſtimatione, quam omnes habent de ſcientia, & opinione; quando enim aliquis affirmat aliquam veritatem; vt eam cenſeat non poſſe aliter contingere, dicitur habere ſcientiam, & cognitionem euidentem: è contrariò cum exiſtimat propoſitionem eſſe veram, itaut poſſit eſſe falſa, dicitur opinari, deindè Ariſtoteles ſoluit difficultatem, quæ videtur naſci poſſe aduerſus

traditam doctrinam. Indubitatum eſt vnam, & eandem rem eſſe ſcitam ab vno intellectu, & ab alio opinatam, vt demonſtrat non ſolũ experientia, ſed etiam manifeſta ratio, quia poteſt vnus intellectus moueri à motiuo ſcientiæ, alius à motiuo opinionis ad eandem rem affirmandam: id autem videtur non poſſe fieri, quia repugnat, vt idem poſſit aliter ſe habere, & ſimul non poſſit aliter ſe habere, ſed hoc contingeret ſi verum eſſet diſcrimen inter ſcientiam, & opinionem, ſuperiùs traditum, quia ſi vnus intellectus habet ſcientiam, res non poteſt aliter ſe habere ſi alius intellectus habet opinionem, idem obiectum poteſt aliter ſe habere, ergo &c.

6. Hanc difficultatem vt ſoluat Ariſtoteles ait eodem modo ſoluẽdam hãc quæſtionem an eadem opinio vera, & falſa poſsit circa idem obiectum verſari, idẽ enim inconueniens, quod ex opinione vera, & falſa naſcitur; naſcitur etiã ex opinione, & ſcientia circa idem obiectum. Hinc idem Philoſopus diſtinguit hanc propoſitionem. *Opinio vera & falſa verſatur circa idem* ſi ly *idem* ſignificat idem omnino propoſitio eſt falſa, ſi verò ſignificat idem, quod eſt aliquo modo idem, & non eſt omninò idem propoſitio eſt vera, neque ſequitur vllum inconueniens. Patet hoc euidenter, quia circa eandem diametrum poteſt haberi opinio vera, & falſa: opinetur aliquis diametrum eſſe incommenſurabilem coſtæ vtique veram habebit opinionem opinetur aliquis eandem diametrum eſſe commenſurabi-

rabilem coſtæ, certe habebit opinionem falſam, ergo de eodem, quod eſt aliquo modo idem poteſt haberi opinio vera ſimul & falſa. Ratio à priori, quæ vniuerſaliter probat eſt quia propoſitiones nõ poſsũt eſſe cõtradictoriæ, niſi ſint de eodem ſubiecto, ſed propoſitiones contradictoriæ habent hanc proprietatẽ, vt vna ſit vera, & alia falſa, ergo de eodem, quod eſt aliquo modo idem poteſt formari opinio vera, & falſa. Quod autem formari non poſsit de eodẽ, quod eſt omninò idẽ probantur explicãdo quid intelligatur quando dicitur idem aliquo modo idem, & omninò idem: illæ opiniones ſunt de eodem, quod eſt aliquo modo idem, quæ ſunt de eodẽ ſubiecto, & de eodem prædicato: ita qui opinatur diametrũ nõ poſſe commenſurari coſtæ opinatur idem aliquo modo; ac ille, qui opinatur diametrum non poſſe commenſurari coſtæ: illę opiniones ſunt de eodem, quod eſt omninò idem, quæ verſantur circa eandem enunciationem, ita opinio, quam habet Petrus de inconmenſurabilitate diametri cum coſta verſatur circa idem omninò, ac opinio, quam habet Paulus de eiuſdem diametri incommenſurabilitate. Qua in re fieri non poteſt, vt Petrus opinetur verum, & Paulus opinetur falſum, quia repugnat idem ſimul eſſe, & non eſſe.

7 Ex hac doctrina de opinione vera ſimul, & falſa gradum facit Ariſtoteles ad ſoluendam quæſtionem propoſitam, vtrum eandem rem poſ-

non inferretur conſequens ex antecedenti; ſecundò, vt quidquid affirmatur de aliquo tertio affirmetur verè, & euidenter, & omnia, quæ affirmantur ſub illo contineri, verè & euidenter contineantur, alioquin præmiſſæ non eſſent neceſſariæ, & euidentes, quod requiritur ad conficiendum ſyllogiſmum demonſtratiuum, vt oſtendi.nu.1.& 14.

20. Obiicies primo. Hic ſyllogiſmus eſt demonſtratiuus *omne album eſt diſgregatiuum viſus: ſed ſubiectum habens albedinem eſt album, ergo eſt diſgregatiuum viſus*, ſed hic ſyllogiſmus non procedit ex præmiſſis neceſſarijs, quia contingens eſt hoc ſubiectum habere albedinem, & conſequenter eſt contingens hoc ſubiectum eſſe album, ergo &c.

21. Reſpondeo concedo ma: & diſt. min: non procedit ex præmiſſis neceſſarijs ſimpliciter: conc min: neceſſarijs ex ſuppoſitione; nego min: & conſequentiam. Neceſſitas exiſtendi, de qua in præſenti eſt ſermo, alia eſt ſimpliciter, alia ex ſuppoſitione. Primo neceſſitatis genere neceſſe eſt Deum exiſtere, quia eſt ens à ſe, ſecundo genere neceſſitatis neceſſe eſt exiſtere quidquid exiſtit, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: ita contingens eſt hunc parietem eſſe album, & ſimul eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, quòd habeat albedinem, vt ſit albus.

22. Ob: ſecundò: in philoſophia naturali, & morali plurimæ concluſiones demonſtrantur,

ex propoſitionibus autem neceſſariis non demonſtrantur, quia id, quod demonſtratur in Philoſophia naturali,& morali, poteſt aliter cõtingere; Deus enim de potentia abſoluta poteſt mutare totum ordinem naturæ, in qno fundantur ſpeculatioues phyſicæ.

23. Reſp: conc: ma: & nego min: demonſtrationes,quæ fiunt in philoſophia naturali ſunt de rebus neceſſariis, quæ non poſſunt aliter contingere ſpectato curſu naturæ,& demõnſtrationes philoſophiæ moralis ſunt de rebus neceſſariis neceſſitate morali,hoc eſt deijs rebus quas neceſſe eſt plerumque contingere,quod ſatis eſt ad demonſtrandum.

QVAESTIO IV.

Vtrum detur ſcientia, et de nouo acquiratur.

1. FVere aliqui Philoſophi Academici opinantes de nullo obiecto haberi cognitionem certam, & euidentem, quia credebant omnia eſſe dubia, & incerta, omnia opinabilia Fundamentum huius ſententię, quam eleganter,& robuſtè oppugnat Tullius in lib. contra Academicos eſt, quia omnis cognitio humana poteſt eſſe falſa eo quòd originem habeat à ſenſibus qui poſſunt errare, vt experimur. Nulla autem ſcientia poteſt eſſe falſa, ergo nul-

la cognitio humana poteſt eſſe ſcientia.

2. Alij verò Philoſophi, qui à ſuo Præceptore Pythagora dicti sũt Pythagorici, & à Platone Platonici exiſtimabant contra Academicos de pluribus rebus haberi ſcientiam, ſed eam de nouo non comparari, adeoque eſſe ſolam reminiſcentiam rerum quas antea cognouimus. In hanc ſententiam inclinauit olim Origenes, qui vt narrat S. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei in eum errorem Catholicæ veritati contrarium turpiſſimè incidit, vt aſſereret omnes animas humanas fuiſſe à Deo creatas ſine corpore in ipſo mundi exordio, & deinde in pœnam criminum, quæ in illo ſtatu commiſerent, fuiſſe in corpora, tanquam in carcerem detruſas. Argumentum quo vtitur Plato ad probandam ſuam ſententiam eſt illud, quod legitur in eius dialogis in hunc modum. Si interrogetur aliquis homo imperitus Geometriæ de quibuſdam principiis, & deinde de concluſionibus, quæ ex illis inferuntur, optimè reſpondet ad omnia facta hac Hypotheſi, cuius veritas probatur à Platone authoritate Socratis, qui ait ſe fuiſſe hanc rem expertam in puero, ita arguit Plato: iſte puer interrogatus bene reſpondet, ergo antequam interrogaretur cognoſcebat principia Geometrica, quia nemo poteſt bene reſpondere, interrogatus rem quam ignorat.

3. Sententia Peripatetica, quam ſequitur Ariſtoteles, & eſt prorſus vera, docet non ſolum

ſum dari ſcientiam actualem, & habitualem, ſed etiam eam de nouo acquiri.

Multa eſſe, quæ cadunt ſub ſcientiam humanam eſt adeò certum, vt mirum ſit, quòd aliqui Philoſophi contrarium ſenſerint, ſed quia nulla eſt fœditas ſine amatore, nulla fatuitas ſine patrono, ideo Academici omnem ſcientiam negabant contra experientiam, quam in nobis ipſis habemus de multis rebus, de quibus dubitare non poſſumus; quis enim dubitare poteſt an ipſe viuat, & exiſtat? Addo argumentum certiſſimum ſcientiæ eſſe appetitum, quo omnes vehementer ipſam ſcientiam deſideramus.

4 Non poſſum hic præterire mirabilem argumentandi modum, quo vtitur Piloſophus in quarto Metaphyſicæ & S. Auguſtinus in libro de vera Religione ad ſcientiam demonſtrandã in hunc modum, *Non datur ſcientia ergo datur ſcientia* hic modus argumentandi eſt mirabilis, quia ipſam ſententiam contrariam adhibet pro argumento ad eam oſtendendam falſam Conſequentiam probat Ariſtoteles vrgendo Academicos hoc breui dilemmate: vel ſcitis nullam dari ſcientiam, vel neſcitis: ſi dicitis primum; ergo datur ſcientia; ſcire enim non dari ſcientiã eſt aliquam ſcientiam concedere, ſi ſecundum dicitis, ergò ſtultè negatis ſcientiam, quid enim magis ſtultum, quàm negare id, quod neſcitur?

5. Præterea, qui negat omnem ſcientiam

adeoque affirmat ſe dubitare de omnibus rebus vtique non dubitat, an dubitet: certiſſime enim cognoſcit ſe dubitare, alioquin non diceret ſe dubitare an poſſint contradictoria eſſe ſimul vera, ergo ſcientiam affirmat, dũ eã negat. Hoc argumentum mirabili ingenio vrget Auguſtinus contra Academicos in lib. de vera religione. Eodem reuoluitur argumentum Ariſtotelis demonſtrantis in Metaphyſica falſam ſententiam, quæ ab intellectu humano excludit omnem euidentiam.

6. Hanc ſcientiam, quam demonſtrauimus dari, eſſe ſcientiam, quæ de nouo acquiritur. Conſtat experientia, quia humanus intellectus de pluribus rebus habet ſcientiam, quas antea ignorabat, vt patet in omnibus, qui ſtudent Philoſophiæ.

7. Ad Argumentum, quo vtuntur Academici reſpondetur cognitionem, quæ ducit originem à ſenſibus, non eſſe expoſitam erroribus: primo, quia nullus ſenſus poteſt errare circa ſuum ſenſibile, vt oſtendit Philoſophus in 4. Metaphyſicæ, & nos oſtendemus in libris de Anima. Secundo etiamſi quilibet ſenſus poſſit errare circa proprium ſenſibile, omnes ſenſus collectiuè accepti non poſſunt errare: inde eſt, quod cognitio, quæ naſcitur à ſenſibus non eſt ſubiecta errori, quia error vnius ſenſus poteſt ab alio ſenſu emendari, vt conſtat in eo, qui cernit remum in aqua latentem, quem licet oculus falsò iudicet eſſe fractum, hic error

facilè

facilè corrigitur per ſenſum tactus, qui experitur remum non eſſe fractum. Tertio etiamſi omnes ſenſus collectiue accepti poſſint errare, argumentum nihil probat, & ratio eſt euidens, quia licet omnia corpora exiſtant in perpetuo motu, non ſequitur, non eſſe multas veritates æternas, & inuariabiles, quarum ſcientia poteſt ab humano intellectu comparari.

9. Argumentum Platonis, quo probatur nullam eſſe ſcientiam de nouo, acutè ſoluit Ariſtoteles in primo poſteriorum, cap. 2. conceſſo enim antecedente diſtinguit conſequens, ergo ante interrogationem nouit concluſiones geometricas formaliter in ſe ipſis: negat conſequentiam: virtualiter in principijs: concedit conſequentiam: Quod ſi ſermo ſit de principijs Geometricis, dicit Ariſtoteles, & verè dicit, non eſſe neceſſarium, vt anteà nouerit hæc principia, de quibus interrogatus optimè reſpondet, quia principia lumine naturæ, adeoque ſe ipſis ſunt manifeſta, cum enim in humano intellectu detur virtus cognoſcitiua primorum principiorum, ſtatim ac proponitur intellectui veritas per ſe nota, acquirit intellectus eiuſdem actualem notitiam per lumen intellectuale: quia verò concluſiones continentur virtualiter in principijs ſicuti planta continetur in ſemine, ideo, qui cognoſcit prima principia cognoſcit virtualiter concluſiones, adeoque datur ſcientia actualis, quæ non eſt ſola reminiſcentia, vt falsò credebat Plato.

QVAESTIO V.

Vtrum circa idem obiectum poſſit eſſe ſimul actus ſcientiæ, et opinionis.

1 HVIuſmodi quæſtio, quàm explicare aggredimur, eſt valdè celebris inter Philoſophos recentiores: eadem mutato nomine agitatur à Theologis, qui in tractatu de virtutibus Theologicis cum S. Thoma in ſecunda ſecundæ quærunt, vtrum poſſit cum actu fidei diuinæ coniungi actus opinionis, ita vt idem obiectũ materiale, ſcilicet Incarnatio verbi Diuini poſſit ſimul terminare actũ fidei Diuinæ, & actum opinionis hoc eſt, actum certum, & actum probabilem.

2. Vt clariùs procedamus in hac materia, quæ ſolet ſuccumbere multis æquiuocationibus, ſciendum eſt tria eſſe genera ſcientiæ, vt tria ſunt genera euidentiæ, alia enim eſt euidentia, quæ vocatur primi generis, & in genere euidentiæ eſt minima, quia poteſt phyſicè coniungi cum falſitate illius rei, quæ euidenter cognoſcitur. Iſta euidentia conſtituit ſcientiam moralem, quæ non reddit intellectum perfectè quietum, quia moralem euidentiam non ſequitur repugnantia oppoſiti. Ità hu-

huiuſmodi veritas *Alexander Magnus fuit Rex Macedonum* eſt mihi euidens moraliter, quia mihi non eſt adeò notum Alexandrum Magnũ fuiſſe Regem Macedonum, vt iudicem Phyſice repugnare Alexandrum Magnum non fuiſſe Regem Macedonum: alia eſt euidentia, quæ appellatur ſecũdi generis, eaque eſt lõgè maior quam euidentia primi generis, quia coniungitur cum phyſica, & naturali repugnantia oppoſiti: non eſt tamen ſumma euidentia, quia non excludit metaphyſicam repugnantiam oppoſiti. In hac euidentia, quæ vocatur euidentia phyſica, fundatur ſcientia phyſica, quam habemus de rebus omnibus, quæ naturaliter fiunt, nimirum de craſtino ſolis ortu, de incendio futuro ſtuppæ igni admotæ, quia huiuſmodi veritates ſunt adeò notæ, vt eas conſequatur phyſica, hoc eſt naturalis, non metaphyſica, ſiue eſſentialis repugnantia oppoſiti; quia metaphyſicè loquendo, nihil obſtat, quo minùs ſtuppa igni admota non ardeat, & craſtina die ſol non oriatur: alia euidentia, quæ vocatur tertij generis, eſt omnium maxima, quia excludit potentiam oppoſiti, huiuſmodi euidentia, quæ eſt metaphyſica, eſt fundamentum ſcientiæ metaphyſicæ, quam falſificari eſt manifeſtè impoſsibile, ita eſt euidens totum eſſe maius ſua parte, hominem eſſe animal rationale, & alia id genus, quia totum æquale parti, & homo, qui non ſit animal rationale eſt Chimæra.

3. Suppoſito hoc triplici genere ſcientiæ nullum poteſt eſſe dubium, an ſcientia perfectiſsima, quæ includit euidentiam metaphyſicam, & eſt ſcientia tertij generis, habeat ſummam certitudinem veritatis cognitæ, & excludat omnẽ formidinem falſitatis oppoſitæ. Non eſt propterea certum, an huiuſmodi ſcientia formaliter excludat ab eodem intellectu omnẽ actum opinandi circa idem obiectum; ſunt enim plurimi magni nominis Philoſophi, qui conſtantiſsimè negant opinionem excludi eſſentialiter ab actu ſcientiæ. Hinc locus quæſtioni factus, vtrum poſsit intellectus idem obiectum ſcire ſimul, & opinari, adeoque vtrum opinio, quæ eſt incerta incertitudine includente poſſibilitatem oppoſiti, coniungi poſſit cum ſcientia actuali, non habituali, quia nullum eſt dubium an habitus ſcientiæ, & habitus opinionis in aliquo gradu poſſint eſſe ſimul. Sententiam affirmantem defendit Suarius diſputatione tertia de fide quæſtione 9. Vaſquez in primam partem diſput. 4. cap. 2. Ariaga diſput.6. de Anima ſect. 6. qui cum alijs recentioribus docet ab eodem intellectu poſſe ex duobus motiuis vno euidenti, & alio probabili fieri vnum indiuiſibilem actum, qui eſt opinio ſimul, & ſcientia.

4. Dico contra iſtos Authores non poſſe in eodem intellectu coniungi cum actu ſcientiæ excludentis omnem formidinem actum opinionis de eodem obiecto.

5. Ab-

5. Antequam proponam argumenta, quæ iamdiù eſt quod animum traxere in hanc ſententiam, neceſſe eſt per otium, & accuratè expendere clariſſima teſtimonia Ariſtotelis, & S. Thomæ, quorum authoritas apud me plus põderis habet, quam cæterorum Philoſophorum turba contrarium opinantium. Audiatur primus Ariſtoteles, qui in primo poſteriorum explicat diſtinctionem inter ſcientiam, & opinionem, & tandem concludit non poſſe ab eodem intellectu idẽ eſſe opinatum, & ſcitum his verbis *Manifeſtum autem eſt ex his, quod neque opinari ſimul idẽ & ſcire cõtingit, ſimul enim haberet ſuſpicionem, quod idem aliter ſe haberet, & idem aliter non ſe haberet.*

5. Declaro mentem, & verba obſcura Philoſophi: initio prædicti textus oſtendit diſcrimen inter ſcientiam, & opinionem, inter obiectum ſcitum, & opinatum, deindè aſſerit ſciẽtiam eſſe de vniuerſalibus, & neceſſarijs, quæ non poſſunt aliter contingere, opinionem de non neceſſarijs, quæ poſſunt aliter contingere! hoc diſcrimen apertè conſtat ex communi exiſtimatione, quam omnes habent de ſcientia, & opinione; quando enim aliquis affirmat aliquam veritatem; vt eam cenſeat non poſſe aliter contingere, dicitur habere ſcientiam, & cognitionem euidentem: è contrariò cum exiſtimat propoſitionem eſſe veram, itaut poſſit eſſe falſa, dicitur opinari, deindè Ariſtoteles ſoluit difficultatem, quæ videtur naſci poſſe aduerſus

ita-

rabilem coſtæ, certè habebit opinionem falſam, ergo de eodem, quod eſt aliquo modo idem poteſt haberi opinio vera ſimul & falſa. Ratio à priori, quæ vniuerſaliter probat eſt quia propoſitiones nõ poſsũt eſſe cõtradictoriæ, niſi ſint de eodem ſubiecto, ſed propoſitiones contradictoria habent hanc proprietatẽ, vt vna ſit vera, & alia falſa, ergo de eodem, quod eſt aliquo modo idem poteſt formari opinio vera & falſa. Quod autem formari non poſsit de eodẽ, quod eſt omninò idẽ probatur explicãdo quid intelligatur quando dicitur idem aliquo modo idem, & omninò idem: illæ opiniones ſunt de eodem, quod eſt aliquo modo idem, quæ ſunt de eodẽ ſubiecto, & de eodem prædicato: ita qui opinatur diametrũ nõ poſſe commenſurari coſtæ opinatur idem aliquo modo; ac ille, qui opinatur diametrum non poſſe commenſurari coſtæ: illę opiniones ſunt de eodem, quod eſt omninò idem, quæ verſantur circa eandem enunciationem, ita opinio, quam habet Petrus de inconmenſurabilitate diametri cum coſta verſatur circa idem omninò, ac opinio, quam habet Paulus de eiuſdem diametri incommenſurabilitate. Qua in re fieri non poteſt, vt Petrus opinetur verum, & Paulus opinetur falſum, quia repugnat idem ſimul eſſe, & non eſſe.

7 Ex hac doctrina de opinione vera ſimul, & falſa gradum facit Ariſtoteles ad ſoluendam quæſtionem propoſitam, vtrum eandem rem

poſ-

poſſit vnus intellectus ſcire,& alius opinari adhibendo enim diſtinctionem traditam ait opinionem, & ſcientiam non eſſe eiuſdem omnino alioquin idem poſſit ſimul eſſe, & non eſſe quicumque ſcit hominem eſſe animal, non ſolum cognoſcit hominem eſſe animal, ſed etiam cognoſcit neceſſitatem, vt homo ſit animal. Hoc totum alius intellectus opinari non poteſt, ſi enim opinatur putat hominem ita eſſe animal, vt poſſit non eſſe animal, ſed hoc exiſtimãdo nõ cognoſcit neceſsitatem, vt homo ſit animal, ergo qui opinatur hominem eſſe animal, non cognoſcit idem omninò ac ille, qui ſcit hominem eſſe animal, ergo idem, quod eſt omninò idem, repugnat eſſe ſcitum,& opinatum etiã à diuerſo intellectu, cæterum de eodem, quod non eſt omninò idem poteſt ab vno intellectu formari actus ſciẽtiæ,&ab alio actus opinionis, quia ſi vnus intellectus cognoſcit hominem eſſe neceſſario animal, & alius cognoſcit non eſſe neceſſario animal de eodem homine vnus intellectus habet ſcientiam alius opinionem. Hinc eſt, quòd vnus poteſt habere ſcientiam, & alius opinionem circa hominem an ſit animal, qùia vnus poteſt cognoſcere neceſsitatem, quam habet homo, vt ſit animal alio non cognoſcente, hanc neceſsitatem quod ſi vterque intellectus hanc neceſſitatẽ cognoſcat repugnat, vt vnus habeat ſcientiam, & alius opinionem:

8. Ex hoc diſcurſu, qui eſt acutus ſimul et euidens deducit oſtenſiue Ariſtoteles non poſ-

ſe

ſe eundem intellectum de eodem obiecto habere ſimul opinionem, & ſcientiam, quia repugnat, vt intellectus iudicet ſimul hominem eſſe neceſſario animal, & non eſſe neceſſario animal eadem enim repugnantia, quæ eſſet, ſi idem omninò foret ab vno intellectu ſcitum, & ab alio opinatum, eſt ſi de eodem obiecto vnus & idē intellectus habet ſcientiam, & opinionem, vt S. Thomas obſeruat in doctiſsimis Commentarijs, quos ſcripſit in lib. 1. Poſteriorum.

8. Audiatur poſt Ariſtotelem Doctor Angelicus, qui hanc eandem doctrinam hauſtam ex Ariſtotele non ſemel tradidit in ſuis voluminibus, & dilucidè exornauit in ſumma Theologica cuius duo ſolum libet attingere in quibus perſpicuè docet non poſſe eundem intellectum ſcire ſimul, & opinari eandem veritatem. In prima ſecundæ quæſt. 63. art. 3. vbi demonſtrat non poſſe componi fidem cum viſione creata vtitur hoc diſcurſu. Fides comparatur cum viſione, ſicuti cognitio eſſentialiter imperfecta cum cognitione eſſentialiter perfecta, ſed cognitio eſſentialiter imperfecta & cognitio eſſentialiter perfecta non poſſunt in eodem intellectu cōponi, ergo &c. Minorē demōſtrat S. Thomas ex triplici capite, ex quo euadit cognitio imperfecta: primo ex capite obiecti, quod cognoſcitur: ſecundo ex parte medii, per quod cognoſcitur: tertio ex parte intellectus, qui cognoſcit. Primum genus imperfectionis facit, vt cognitio Angelica matutina per quam, vt

dicit

dicit Auguſtinus, cognoſcit Angelus res naturales ſecundum illum eſſe, quod habent in Deo,differat à cognitione veſpertina, qua idem Angelus ,cognoſcit res naturales ſecundum illud eſſe, quod habent in ſe ipſis.Secundum imperfectionis genus diſtinguit cognitionem, quam habet Mathematicus de Solis defectu per medium demonſtratiuum ab illa cognitione, quam de ſolis defectu habet ruſticus per medium probabile Tertiũ imperfectionis genus diſtinguit opinionem à ſcientia, quia defectus imperfectionis, qui repetitur in opinione procedit ex imperfectione ſubiecti, intellectus enim opinando eſt incertus circa exiſtentiam rei opinatæ, hinc colligit S. Thomas opinionem, & ſcientiam non poſſe ſimul componi, ſicuti non poſſunt ſimul componi fides, & viſio, quia imperfectio opinionis, & fidei naſcitur ex imperfectione ſubiecti.

9. Non minus ponderis habet ad probandam repugnantiam opinionis cum ſcientia id quod idem doctor docet in ſecunda ſecundæ quæſt.1.art.4. vbi hæc habet. Aſſentitur autem intellectus alicui dupliciter; vno modo quia ad hoc mouetur ab ipſo obiecto, quod eſt per ſe ipſum cognitum ſicuti patet in primis principijs, vel eſt per aliud cognitum ſicuti patet in concluſionibus. Alio modo intellectus aſsẽtitur alicui, non quia ſufficienter moueatur ab obiecto propoſito, ſed per quandam electionem voluntarie inclinans in vnam partem magis

magis, quam in aliam, & ſi hæc ſit cum dubitatione erit opinio, ſi autem cum certitudine erit fides: hæc Sanctus Thomas, ex quibus.

10. Probatur primo noſtra concluſio: repugnat, vt intellectus, qui iudicat obiectum non poſſe aliter ſe habere ſimul, iudicet poſſe aliter ſe habere, ſed intellectus per ſcientiam iudicat obiectum non poſſe aliter ſe habere, & per opinionẽ iudicat poſſe aliter ſe habere, ergo nõ poteſt habere opinionem ſimul, & ſcientiam eiuſdẽ obiecti. Minor probatur de actu opinionis, quia de actu ſcientiæ nulla eſt controuerſia: formidare eſt formaliſſime iudicare obiectum poſſe alter ſe habere, ſed opinari eſt formidare, quia in quolibet iudicio intellectus affirmantis vel negantis vnum de alio debet neceſſario contingere vnum ex his duobus, nimirum iudicare certo, abſque vlla formidine, vel iudicare cum aliqua formidine de veritate propoſitionis, ſed eſt euidentiſſimum, quod per actum opinionis intellectus non iudicat certò, & ſine formidine alioquin opinio eſſet ſcientia, ergo iudicat incerto, & cum formidine: ergo opinari eſt formidare, ergo opinari eſt iudicare obiectum opinatũ poſſe alter contingere. Præterea an opinio ſit aſſenſus intellectus coniunctus cum formidine oppoſiti, non poteſt eſſe dubium attendentibus id, quod experimur dum aliquam rem opinamur, qui enim opinatur Petrũ currere, ait Petrum currere dicens eũdẽ fortaſſe non

cur-

currere, quod eſt formaliſſime formidare cum curſum Petri.

11. Neque dicas opinionem differre à ſcientia, eoquòd opinio excludit formidinem actualem non radicalem, quam excludit ſcientia, quandoquidem actus opinionis licet actu non formidet poteſt formidare, quatenus intellectus reflectens ſupra ipſum actum neceſſario formidat: contra enim eſt, quia non poteſt intellectus, quantumuis reflectat ſupra actum antecedentem, formidare niſi in actu antecedenti inueniatur aliqua formido, quia in tantum eſt vtile reflectere ſupra actum antecedentem, in quantum intellectus redditur magis certus de illis prædicatis, quæ continentur in actu directo, & non poſſunt innoteſcere, abſque reflexione. hinc eſt quòd hoc dilēmate debemus vti ad infirmandam ſolutionem, qua exiſtimant aduerſarij ſoluere argumentum factū, confugiendo ad formidinem radicalē: intellectus reflectendo ſupra actum opinionis, vel formidat, vel non formidat: ſi formidat, ergo actus opinionis includit formidinem actualem alioquin intellectus reflectens ſupra actum non formidantem formidaret, quod repugnat, ſi non formidat, ergo actus opinionis excludit omnem formidinem tam actualem, quam radicalem, quod eſt contra aduerſarios.

12. Probatur ſecundo: motiuum probabile cognitum, vt probabile neceſſario mouet intellectum ad habendam aliquam formidinem

de

de veritate rei opinatæ, niſi talis formido aliũde impediatur, ſed actus ſcientiæ non poteſt impedire hanc formidinem, ergo intellectus, qui habet actum ſcientiæ neceſſario formidat, ſi mouetur ad opinandum à motiuo probabili, ſed implicat contradictionem actualis formido, & eiuſdem negatio, ergo implicat contradictionem actus ſcientiæ ſimul cum actu opinionis circa idem obiectum. Ma: videtur manifeſta, quia motiuum probabile cognitum vt probabile eſt motiuum fallibile quatenus fallibile, ergo neceſſario inducit actualem formidinem ſi formido ex alio capite non impediatur, ſicuti fundamentum debile reddit domum inſtabilem. Minor probatur: motiuum ſcientiæ non poteſt impedire illam formidinem, quam refundit motiuum probabile in actum probabilem, niſi influat in eundem actum probabilem, ſed motiuum ſcientiæ non influit in actum probabilem, hic enim mouetur adæquatè à motiuo probabili, ergo actus ſcientiæ non obſtat quo minus intellectus, qui mouetur à motiuo probabili habeat actualem formidinem, ergo &c. Confirmatur, quia non minus actus ſcientiæ mouetur à motiuo infallibili, quam actus opinionis à motiuo fallibili, ſed motiuum fallibile, quia non influit in actum ſcientiæ non impedit certitudinem ſcientiæ, ergo motiuum infallibile, quia non influit in actum opinionis, non impedit formidinem opinionis: hinc eſt, quod oppoſitio ſcientiæ cum opinione non eſt oppoſitio

immediata, ſed ſolum mediata, ſicuti oppoſitio amoris cum odio, quia ſcientia excludit formidinem, quam includit opinio.

13. Obijc. primo: non repugnat duas formas diſparatas eſſe ſimul in eodē ſubiecto, ſed actus ſcientiæ, & actus opinionis ſunt duæ formæ diſparatæ, ergo poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu. Maior eſt certa. Minor probatur, quia albedo, licet non faciat dulce ſubiectum, quod informat, poteſt coniungi cum dulcedine, quæ facit ſubiectum formaliter dulce, ergo opinio licet non faciat intellectum certum, poteſt coniungi cum ſcientia, quæ facit intellectum certū, ergo ſcientia & opinio ſunt formæ non oppoſitæ, ſed diſparatæ, ſicuti albedo, & dulcedo.

14. Reſp. concedo mai: & nego mi: ad huius euidentiam ſciendum eſt formas alias eſſe diſparatas alias oppoſitas vt dicemus in 1. Phyſic: libro: formæ diſparatæ ſunt formæ, quarum vna non excludit aliam: vt patet in exemplo propoſito de albedine, & dulcedine, formæ oppoſitæ ſunt formæ, quarum vna excludit aliam, vel naturaliter, vt ſummus calor, & ſummum frigus, vel eſſentialiter vt amor, & odium, aſſenſus, & diſſenſus eiuſdem rei. Formæ diſparatæ id habent commune cum formis oppoſitis vt vna non ſit identicè alia, adeoq; vna excludat à ſe identitatem cum alia, quià non minus repugnat calorem eſſe frigus, quam albedinem eſſe dulcedinem: hinc ſequitur diuerſos effectus formales præſtari à formis diſparatis, & à

& à formis oppoſitis, ratio eſt euidens, tum quia non poteſt eſſe cauſa formalis ſine effectu formali, ergo diuerſæ formæ faciunt effectus formales diuerſos: tum quia effectus formalis albedinis eſt diuerſus ab effectu formali dulcedinis, vna enim conſtituit ſubiectum album, alia dulce: ex quo fit, vt, ſicuti ſunt veræ iſtæ propoſitiones, quæ ſolent fieri in formis oppoſitis, *Calor non facit frigidum, frigus non facit calidum.* ita ſint veræ hæ propoſitiones in formis diſparatis *albedo non facit dulce*, *& dulcedo non facit album*. Inter formas oppoſitas & diſparatas illud eſt diſcrimen, quòd forma oppoſita excludit à ſubiecto in quo eſt, aliam formam, & forma diſparata non excludit, vt apertè declarat exemplum propoſitum. Ratio à priori, quæ diligenter eſt notanda, eſt quia forma diſparata præſtat effectum formalem, præſcindentem ab effectu formali alterius formæ, album enim quod eſt effectus formalis albedinis, præſcindit à dulci quod eſt effectus formalis dulcedinis, & dulce, quod eſt effectus formalis dulcedinis, præſcindit ab albo, quod eſt effectus formalis albedinis: ergo effectus formalis formæ diſparatæ non excludit effectum formalẽ alterius formæ, quia præſcindere nòn eſt negare, ergo vnus effectus formalis poteſt coniungi cum alio effectu formali, nimirum album cum dulci, ſicuti animal quod præſcindit à rationali & irrationali, poteſt coniungi cum rationali & irrationali. E contrario forma oppoſita præſtat effectum forma-

lem qui excludit, & negat effectum formalem alterius formæ, calor enim ſummus excludit, & negat frigidum, ſicuti amor negat, & excludit odium, ergo vnus effectus formalis non poteſt coniungi cum alio effectu formali, ergo vna forma oppoſita non poteſt eſſe ſimul cum alia forma oppoſita, licet diſparata poſſit, qua in re eſt accuratè notandum hanc propoſitionem *albedo facit dulce*, non contradicere iſti *albedo facit non dulce* cum vtraque ſit falſa; idem enim ſubiectum licet neceſſariò ſit dulce, vel non dulce, tamen ab albedine, neque habet eſſe dulce, neque habet non eſſe dulce, album enim, vt dictum eſt, præſcindit à dulci, & non dulci: quod ſi quæras propoſitionem contradicentē prædictæ, eſt hæc *albedo, non facit dulce*, quæ propoſitio eſt vera, ſicuti hæc propoſitio *animal dicit rationale*, non contradicit huic *animal dicit irrationale*, quia vtraque eſt falſa, ſed contradicit iſti *animal, non dicit rationale* iſta enim eſt vera, illa falſa.

15. Vt igitur veniamus ad rem noſtram: opinio, & ſcientia non ſunt formæ diſparatæ, vt falſo contendit argumentum, ſunt enim formæ oppoſitæ, vt ex fundamentis ſupra iactis facile demonſtro. Effectus formalis, quem præſtat opinio, non præſcindit ab effectu formali, quem præſtat ſcientia, ſed illum poſitiuè excludit, quia opinari eſt aſſentiri obiecto propter motiuum fallibile, quatenus fallibile adeoque habere aſſenſum actu formidantem,

idem

idem enim eſt formaliſſime moueri à motiuo fallibili ad aliquid affirmandum, & eſſe incertum de veritate affirmata: ſicuti eſt idem domum niti fundamento inſtabili, & eſſe inſtabilem, ſed aſſenſus incertus excludit & negat aſſenſum certum, vt patet ex terminis, ergo effectus formalis opinionis excludit effectum formalem ſcientiæ, ergo ſcientia & opinio ſunt formæ oppoſitæ adeoque incompoſſibiles, quod erat demonſtrandum. Hinc patet euidens diſparitas inter albedinem, quæ poteſt coniungi cum dulcedine, & ſcientiam, quæ non poteſt coniungi cum opinione.

19. Obijc, ſecundo. Non repugnat intellectum moueri à diuerſis motiuis ad ferendum ſimul de eodem obiecto hoc duplex iudicium *obiectum poteſt aliter ſe habere: obiectum non poteſt aliter ſe habere*, ſed intellectus mouetur à diuerſis motiuis, nimirum a motiuo euidenti & motiuo probabili ad ferendum duplex iudicium de eadem veritate, ergo non repugnat ab eodem intellectu eandem veritatem eſſe ſimul opinatam, & ſcitam. Ma: probatur, quia contradictio eſt affirmatio & negatio eiuſdẽ de eodem, ſed intellectus, qui mouetur à motiuis diuerſis ad iudicandum idem poſſe aliter ſe habere, & idem non poſſe aliter ſe habere, non affirmat, & negat idem de eodem ergo &c.

17. Reſp. Nego mai: ad eius probationem concedo mai:& nego mi: diuerſitas motiui non obſtat quominus hæc duo iudicia *obiectum po-*

teſt aliter ſe habere : obiectum non poteſt aliter ſe habere, ſint eius naturæ vt vnum contradicat alteri, adeoque vnum excludat alterum. Id autem ita demonſtro: quicumque dicit: obiectum hoc poteſt aliter ſe habere, & ſimul dicit: hoc obiectum non poteſt aliter ſe habere : affirmat, & negat idem de eodem, quamuis moueatur a diuerſis motiuis, ſed qui affirmat & negat idem de eodem ſibi manifeſtè contradicit, ergo qui vtrumque dicit ſibi contradicit. Præterea fieri non poteſt, vt in eodem aere exiſtat ſimul lux, & carentia lucis, etiam ſi ab vno agente ponatur lux, & ab alio carentia lucis, quis enim non videat apertam terminorum contradictionem, quam non excludit diuerſitas agentium? cur ergo poterit in eodem intellectu de eodem obiecto eſſe duplex iudicium, quorum vnum affirmet, quod negat aliud, etiam ſi motiua ſint diuerſa? Præterea eſt euidentiſſimum non poſſe intellectum ſimul affirmare ſe exiſtere, & negare ſe exiſtere ex quocumque motiuo, ergo eſt euidens non poſſe intellectum ab vno motiuo ſcientiæ moueri ad negandum, obiectum poſſe aliter ſe habere, & ab alio motiuo opinionis moueri ad affirmandũ poſſe aliter ſe habere. Ratio à priori eſt, quià nullum motiuum poteſt mouere intellectum ad affirmandum falſum cognitum vt falſum, & negandum verum cognitum vt verũ, ſed intellectus, qui mouetur à motiuo ſcientiæ ad habendum actum ſcientiæ, cognoſcit euidenter obiectum ſibi propoſitum

non

non poſſe aliter contingere, ergo à nullo motiuo poteſt moueri ad hanc veritatem negandam.

18. Obijc. tertio. Dicere *obiectum non poteſt aliter ſe habere* & ſimul dicere *poteſt aliter ſe habere ex capite motiui probabilis* non eſt ſibi contradicere, ſed opinari nihil eſt aliud, quam dicere *obiectum poteſt aliter ſe habere ex capite motiui probabilis*, ergo non repugnat idem obiectum eſſe ſimul opinatum, & ſcitum.

19. Reſp. Omitto mai: & nego mi: opinari eſt moueri à motiuo fallibili ad affirmandum obiectum, ſed moueri à motiuo fallibili ad affirmandum obiectum, non eſt iudicare obiectum poſſe aliter ſe habere ex capite motiui fallibilis, eſt enim ſimpliciter iudicare obiectum poſſe aliter contingere, ergo opinari non eſt affirmare poſſe obiectum aliter contingere ex capite motiui probabilis. Mi probatur, quia opinari non eſt ſcire, vt eſt omnibus manifeſtum, ſed affirmare obiectum poſſe aliter contingere ex capite motiui probabilis, eſt habere ſcientiam, quia eſt negare connexionem eſſentialem & infallibilem motiui opinabilis cum exiſtentia rei opinatæ, ergo hoc affirmare non eſt opinari. Confirmatur euidentius, quia Deus, qui non eſt capax opinandi, format hunc actum, quò iudicat non dari infallibilem connexionem inter hanc veritatem, *Anima eſt immortalis*, & authoritatem Ariſtotelis aſſerentis animam eſſe immortalem, quæ authoritas

mouet ad opinandam immortalitatem animæ, ſed aſſerere, quòd ſpectata præcisè authoritate Ariſtotelis ſortaſſe anima non eſt immortalis, nihil aliud eſt, quam aſſerere non dari connexionem infallibilem immortalitatis animæ cum authoritate Ariſtotelis, qui poteſt errare, ſicuti poteſt quilibet homo ergo &c. inde eſt hæc duo iudicia vnũ quo cognoſcimus opinatiue aliquam veritatem, & aliud quo cognoſcimus eius opinabilitatem, eſſe valdè diuerſa; primum enim, iudicium eſt probabile, ambiguum, & incertum, ſecundum verò eſt euidens atque certum; ità qui demonſtrat animam eſſe immortalem non poteſt ab authoritate Ariſtotelis moueri ad opinandam hanc veritatem, licet euidenter cognoſcat authoritatem Ariſtotelis poſſe mouere intellectum ad opinandum animam eſſe immortalem.

20 Obijc. quarto: Non eſt neceſſe intellectum opinantem actu formidare, ergo ſcientia poteſt coniungi cũ opinione. Antecedens probatur, tum quia ad opinandum ſatis eſt ſi intellectus moueatur à motiuo probabili, tum quia ſufficit formido radicalis, quæ ſolet explicari per hoc præcisè, quod intellectus reflectens ſupra opinionem non formidantem poteſt formidare, vel per hoc quòd actus opinionis exigit formidinem niſi aliunde impediatur.

21. Reſp. nego antecedens: ratio eſt, quia neceſſe eſt intellectum, qui opinatur animam

eſſe

eſſe immortalem,moueri à motiuo fallibili in quantum fallibili, ſed neceſſe eſt intellectum, qui mouetur à motiuo fallibili in quantum fallibili actu formidare, tum quia intellectus, qui mouetur à motiuo infallibili,neceſſariò non formidat, ergo intellectus qui mouetur à motiuo fallibili neceſſariò formidat, tum quia motiuum fallibile non habet infallibilem connexionem cum exiſtentia obiecti, hæc enim eſt natura motiui fallibilis vt poſſit coniungi cum exiſtentia vel non exiſtentia illius obiecti, ad quod affirmandum mouet intellectum,ergo non poteſt motiuum fallibile remouere ab intellectu quamcunque formidinem. Ad probationem antecedentis demonſtratum eſt formidinem radicalem ad quam aduerſarij confugiunt, non ſatis eſſe ad conſtituendum actum opinionis,tũ quia fieri non poteſt vt intellectus formidet reflectens ſupra opinionẽ,ſi opinio careret omni formidine actuali vt oſtensũeſt n.7. tũ quia non poteſt impediri à motiuo, quod non influit in actum opinionis, ſed motiuum ſcientiæ non influit in actum opinionis, ergo motiuum ſcientiæ non poteſt impedire formiditem emanantem ab actu opinionis,

22. Obic. quinto. Repugnantia actus ſcientiæ nõ debet eſſe maior cum actu opinionis, quam repugnantia habitus ſcientiæ cum habitu opinionis,vel motiuĩ ſcientiæ cum motiuo opinionis,ſed habitus ſciẽtiæ & habitus opinionis, motiuum opinionis, & motiuum ſcien-

tiæ

tiæ nullam habent inter ſe repugnantiam, ergo actus ſcientiæ, & actus opinionis non repugnant inter ſe. Confirmatur, quia habitus ordinatur ad actum, eſt enim qualitas, quæ tribuit facilitatem ad operandum, ergo non datur maior repugnantia inter actum, & actum, quam inter habitum & habitum.

20. Reſp: mai: eſſe vniuerſaliter falſam, quia non licet arguere à motiuis nõ repugnantibus ad actus non repugnantes, inde eſt hanc conſequentiam eſſe peſſimam, Motiuum ſcienſcietiæ non pugnat cum motiuo opinionis, ergo actus ſcientiæ non pugnat cum actu opinionis: falſitas huius conſequentiæ conſtat hoc exemplo, quia nemo eſt, qui non videat eſſe falſum hunc modum arguendi; idem obiectum eſt affirmabile, & negabile; ergo poteſt idem obiectum affirmari, & negari ſimul: idem in re præſenti dicendum; non enim bene argumentatur, qui ita arguit; idem obiectum eſt ſimul opinabile, & ſcibile per motiuum ſcientiæ, & opinionis: ergo idem obiectum poteſt eſſe ſimul opinatum, & ſcitum. Æquiuocatio enim conſiſtit in fallacia compoſitionis, & diuiſionis: quia argumentum trãſit à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis: ratio à priori eſt, quia motiuum ſcientiæ, & motiuum opinionis ſe habent per modum potentiæ relate ad actum ſcientiæ, & actum opinionis: ineptum eſt autem argumentari à ſimultate potentiæ ad ſimultatem actus, ſiue potentiam ſimultatis, eo

pacto

pacto quo ineptè argueret, qui hoc modo diſcurreret: qui ambulat habet ſimul potentiam ambulandi, & nõ ambulandi, adeoq; non datur repugnantia vnius potentię cum alia, ergo qui ambulat, poteſt ambulare ſimul, & non ambulare, adeoque nulla eſt repugnantia inter actum ambulandi,& actum non ambulandi. Præterea diſparitas inter habitum ſcientiæ, & opinionis eſt,tũ quia habitus tenet ſe ex parte potentiæ, quam reddit facilem ad operandum, ideò ſicuti poſſunt dari duæ potentiæ ad actus oppoſitos, quin poſſint dari ſimul actus oppoſiti,ita poſſunt dari ſimul duo habitus, qui reddunt potentiam facilem ad actus oppoſitos, quin propterea ſequatur actus oppoſitos poſſe ſimul inueniri,tum quia eſt maior oppoſitio inter actum, & actum, quam inter habitum, & habitum;actus enim charitatis nõ poteſt eſſe ſimul cum actu blaſphemiæ, & tamen poteſt eſſe ſimul cum habitu blaſphemiæ; non repugnat enim, vt qui habet habitum blaſphemandi, exerceat actum charitatis diligendo Deum ſuper omnia, ſed repugnat, quòd habeat habitum charitatis, & ſimul exerceat actum blaſphemiæ, quia peccatum lethale excludit gratiam, adeoque excludit habitum charitatis, qui connectitur eſſentialiter cum gratia ſanctificante.

21. Obiic. ſextò non minus repugnat actus euidens, & ineuidens, quam actus certus, & actus incertus, ſed in eodem intellectu poſſunt eſſe

eſſe ſimul actus euidens, & ineuidens de eodem obiecto, ergo etiam poſſunt eſſe ſimul actus certus, & incertus, adeoque ſcientia, & opinio. Minor probatur, quia in eodem intellectu poſſunt eſſe ſimul de eodem obiecto ſcientia, & fides Diuina, quę definitur ab Apoſtolo *argumentum non apparentium*, adeoque eſt cognitio eſſentialiter certa, & obſcura, ſiue ineuidens: quod autem poſſint eſſe ſimul fides, & ſcientia videtur manifeſtum, quiâ Philoſophus Catholicus, qui habet ſcientiam de exiſtentia Dei, nihilominus poteſt, & debet credere fide diuina eandem exiſtentiam Dei iuxta illud Pauli Apoſtoli: *accedentem ad Deum oportet credere quod ipſe eſt, & remunerator eſt*.

22. Reſp: nego ma: diſparitas inter ſcientiam, quæ poteſt componi cum fide, & ſcientiam, quæ non poteſt componi cum opinione conſtat ex dictis, quia prædicatum obſcuritatis & ineuidentiæ, quod inuenitur in fide Diuina non excludit euidentiam, & claritatem, quæ reperitur in actu ſcientiæ. E contrario formido actualis, ſiue incertitudo, quæ ſequitur actum opinionis, excludit certitudinem, & defectum formidinis ab actu ſcientiæ emanantem. Inde eſt poſſe componi ſine vlla repugnantia ſcientiam cum fide diuina, eaque propter idem obiectum materiale poſſe ſimul eſſe creditum, & ſcitum: contra verò non poſſe ſcientiam cum opinione componi, adeoque idem obiectum non poſſe ſimul eſſe opinatum, & ſcitum. Ratio

tio a priori illius diſcriminis, quod eſt inter ineuidentiam propriam fidei Diuinæ, & incertitudinem propriam opinionis peti debet ab ipſa natura cognitionis obſcuræ, & ineuidentis: nihil enim aliud eſt cognitionem eſſe obſcuram, & ineuidentem niſi obiectum proponi intellectui à motiuo, quod habet quidem connexionem eſſentialem cum obiecto, ſed non apparet euidenter: id totum, vt liquido conſtat, poteſt optimè coniungi cum eodem obiecto, quod habeat talem connexionem cum alio motiuo, vt euidenter appareat talis connexio; quæ igitur erit repugnantia ſi intellectus informatus actu ſcientiæ cognoſcat clare, & euidenter exiſtentiam Dei, quam per actum fidei Diuinæ cognoſcit obſcurè, & ineuidenter, ſicuti non repugnat cubiculum,in quo ſunt duæ feneſtræ, quarum altera eſt clauſa, altera aperta lucem àccipere à feneſtra aperta, non accipere à clauſa. Actus incertus eſt formaliſſimè actus, qui ità affirmat ſuum obiectum, vt ſimul affirmet poſſe aliter contingere,eſt enim eſſentialis opinioni formido actualis, ſed huiuſmodi actus excludit ab intellectu actum certum, quo intellectus iudicat non poſſe obiectum aliter contingere, ergo actus opinionis non poteſt coniungi cum actu ſcientiæ. Hinc conſtat non repugnare, quo minus fides Diuina coniungatur cum ſcientia, repugnare verò, vt fides diuina componatur cum opinione, quia fides diuina non eſt minus certa, quam ſcientia, adeoque

vtra-

vtraque excludit actum incertum, & formidantem.

23. Obiic. ſeptimò: non minus negat euidentiam ineuidentia ſiue obſuritas, quam neget certitudinem incertitudo: ergo vel vtraque, vel neutra eſt incompoſſibilis.

24. Reſp: nego antec: Ratio eſt, quia ineuidentia, quam inuoluit fides, non negat euidentiam, ſed tantum præſcindit ab euidentia: inde eſt verificari de intellectu, qui mouetur ab authoritate Dei reuelantis ad credendam exiſtentiam Dei: *intellectus ab iſto motiuo non habet euidentiam huius veritatis Deus eſt*, non propterea verificatur alia propoſitio *intellectus ab iſto motiuo habet negationem euidentiæ*, quia hoc motiuum non excludit aliud motiuum, nimirum rationem naturalem, quæ demonſtrat euidenter Deum eſſe: ſicuti adhibendo exemplum propoſitum de cubiculo, vbi ſunt duæ feneſtræ, vna clauſa, & alia aperta verificatur à feneſtra clauſa non habere lucem, non verificatur à feneſtra clauſa habere carentiam lucis, alioquin haberet ſimul lucem, & carentiam lucis, quod repugnat. Neque dicas, non verificatur: *habet negationem lucis à feneſtra clauſa: ergo verificatur: habet lucem à feneſtra clauſa*. Conſequentia enim eſt falſa licet antecedens ſit verum, quia à feneſtra clauſa neque habet lucem, neque habet negationem lucis, ſed non habet lucem. Oppoſitum contingit in actu incerto, qui vt oſtenſum fuit, negat certitu-

titu-

titudinem, adeoque ponit negationem certitudinis.

25. Obijc. octauo: componi poteſt actus opinionis cum cognitione intuitiua obiecti opinati: ergo poteſt coniungi cum ſcientia. Antecedens probatur; ponamus me credere Petro dicenti Paulum orare in templo, & hinc me moueri ad petendum templum, ibique videndum Paulum orantem; facta iſta hypotheſi, ſic arguo. Actus fidei humanæ, quo moueor ab authoritate Petri ad credendum Paulum orare in templo, eſt actus opinionis; & actus, quo video Paulum orantem, eſt cognitio intuitiua, ſed hi duo actus ſunt ſimul, quia primus eſt cauſa ſecundi; omnis autem cauſa eſt ſimul cum ſuo effectu, ergo &c.

26. Reſpondeo nego antec: ad eius probationem conc: ma: & nego mi: ratio eſt, quia in prædicta hypotheſi actus fidei humanæ, ſiue opinionis non perſeuerat, quando eſt cognitio intuitiua Pauli orantis in templo; quis enim eſt adeo ſtultus, vt credat Paulum orare in Templo dum oculis ſuis videt Paulum in Templo orantem? Inde eſt, quod licet ab opinione quam animo concepi de Paulo orante in Templo mouear ad videndum, verum ne an falſum dixerit Petrus, dum ait Paulum in Templo eſſe orantem, adeoque mihi imperem iter ad Templum, tamen viſio, qua video Petrum orantem, excludit antecedentem opinionem, adeoque nunquam ſunt ſimul fides, & viſio. Patet

igitur

igitur nunquam bene argui coexiſtentiam fidei cum viſione, eo quod ſit cauſa viſionis opinio, quia vel eſt ſolum cauſa remota, vel conditio ſine qua non, cuius exiſtentia non requiritur, dum datur effectus, vt patet in illo, qui mouetur ab vno loco ad alium, non poteſt enim eſſe ſimul in duplici loco, & tamen exiſtentia in vno loco eſt conditio requiſita, vt ſit in alio loco.

27. Obijc. vltimo: opinio diſponit ad ſcientiam; ergo poteſt coniungi cum ſcientia. Probo conſequentiam nulla diſpoſitio habet repugnantiam cum forma ad quam diſponit, ſed opinio diſponit ad ſcientiam, ergo non excludit ſcientiam. Confirmatur, quia opinio poteſt coniungi cum fide diuina: alioquin Theologi fruſtra laborarent in rationibus aſſerendis, quibus probant myſteria reuelata.

28. Reſp. diſt: antec: diſponit ad ſcientiam, vt motus ad ſcientiam conc: antec: vt proprietas ad ſcientiam: nego antec: & conſ: Non omnis diſpoſitio poteſt coniungi cum forma ad quam diſponit; alioquin fides, quæ diſponit ad viſionem beatam, poſſet coniungi cum viſione beata: Ratio à priori eſt, quia ſunt aliquæ diſpoſitiones, quæ ita diſponunt ad formam, vt moueant ſubiectum ad habendam formam, ita Aurora mouet, & diſponit ad lucem diurnam. Hoc genus diſpoſitionis non poteſt eſſe ſimul cum forma, quia repugnat aliquem moueri ad terminum, & ſimul eſſe in ter-

termino opinio, ita diſponit intellectum ad ſcientiam, vt eum moueat ad ſcientiam acquirendam, cum enim reddat incertum de veritate, quam affirmat, reddit illum ſollicitum de poſſidenda veritate per ſcientiam, quæ opinionem expellit, ſicuti lux diurna excludit Auroram, quæ diſponit ad diem. Ad confirmationem dico eadem de cauſa fidem Diuinam non poſſe coniungi cum opinione, ob quam non poteſt ſcientia propter rationem vtrobique eandem. Rationes probabiles quas afferunt Theologi magna cum laude, & credentium vtilitate, non ea de cauſa afferuntur, vt intellectus affirmet veritates reuelatas propter rationes probabiles, *vt* enim docet egregiè S. Thomas non affirmamus Verbum Diuinum humana carne indutum propter rationes probabiles, quibus hoc ineffabile myſterium nobiles Theologi illuſtrarunt, ſed propter anthoritatem Dei, qui non poteſt fallere nec falli. Conducunt igitur prædictæ rationes ad iudicandum eſſe veriſimile myſterium reuelatum ſpectato lumine naturę, quod eſt maximi momenti ad excitandam vberiorem in credendo voluptatem, & ad impugnandam non credentium pertinaciam, vt optimè notat Martinus de Eſparza in qu. 24. de virtutibus Theologicis ad 4.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

QVAESTIO VLTIMA.

De diuiſione, & obiecto ſcientiarum.

1. INtellectus humanus, qui non poteſt cognoſcere niſi habeat præſens phantaſma, quod eſt imago ſenſibilis rei cadẽtis ſub ſenſum, poteſt conſiderari in triplici ſtatu: primo, quando nihil actu conſiderat, & nullum habet habitum, adeoque caret ſcientia non tantum actuali, ſed etiam habituali, in quo ſtatu vulgo dicitur eſſe aptus fieri omnia eo modo, quo materia prima ſpoliata omni forma caret quacumque forma, habet tamen potentiam omnes ſuſcipiendi. Secundò quando aliquid cognoſcit habitu, eo quod nihil actu cognoſcit, ſed informatur habitu acquiſito prçteritis actibus, eoque redditur facilis ad intelligendum. Tertiò quando actu intelligit, adeoq; propoſitum obiectum ſpeculatur. Intellectum in primò ſtatu conſideratum acutè comparat Philoſophus tabulæ raſæ, ſiue telæ nullis coloribus illuminatæ, in qua formari poſſunt arbitrio pictoris variæ imagines: eundem in ſecundò ſtatu conſideratum comparat eidem telæ, vbi ſunt variæ imagines, ſed nemo eſt, qui eas imagines intueatur; tandem intellectum in tertiò ſtatu conſideratum comparat imagini, quæ non ſolum exprimitur in tela, ſed etiam ſubiacet oculis ſpectantium. Ex qua Philoſophi ſimilitudine ſequitur

cur intellectum, qui habet ſcientiam actualem, eſſe longe nobiliorem intellectu, qui habet ſolum habitualem.

2. Diuerſitas habitus ſcientiæ deſumi debet ex diuerſitate actuū: ratio à priori eſt, quia habitus generantur ab actibus, vt oſtendemus in tractatu de habitibus, ergo diuerſitas habitus originem habet ex diuerſis actibus. Præterea experientia conſtat ex quibuſcumque actibus frequentatis non ſtatim generari quemlibet habitum, quis enim eſt, qui experiatur ſe poſt plurimos actus bene ſyllogizandi acquirere habitum ad ſpeculandum corpus naturale, quod Phyſica ſpeculatur? Hæc doctrina non eſt ità intelligenda, vt quælibet diuerſitas actuum ſit ſatis ad multiplicandos habitus: ratio eſt, quia diuerſitas actuum oritur ex diuerſitate obiecti: ſed non omnis diuerſitas obiecti ſufficit ad ponendam diuerſitatem inter actus: ergo non omnis diuerſitas actuum ponit diuerſitatem inter habitus. Minor probatur, quia multi ſunt actus, qui differunt ratione obiecti materialis, & conueniunt in eadem ratione formali, diuerſitas autem obiecti materialis inducit ſolum differentiam materialem inter actus, adeoq; non ſatis eſt, vt vnus habitus differat ſpecie ab alio, quia differentia ſpecifica, vt demonſtratum eſt diſp. 7. qu. 4. nu. 8. debet eſſe formalis, adeoque in actibus intentionalibus debet conſiderari diuerſitas rationis formalis ad differentiam ſpecificam inueſtigandam tam actuum, quam habituum,

quia vero,vt docui, diſp.1. qu.1.n.1. ratio formalis actuum intentionalium, alia eſt ratio formalis, *quæ* alia ratio formalis, *ſub qua* ideo non ſufficit diuerſitas rationis formalis *quæ* ad multiplicandos habitus ſpecie diuerſos,ſed requiritur diuerſitas rationis formalis *ſub qua*. Hanc veritatem demonſtro primo à poſteriori, quia habitus, quo credo incarnationem Verbi Diuini, non eſt diuerſus ab habitu, quo credo Myſterium Trinitatis, & tamen ratio formalis *quæ* eſt diuerſa in actu quo credo incarnationem, & in actu quo credo Trinitatem, quia verò ratio formalis *ſub qua* credo vtrumque Myſterium, eſt eadem videlicet authoritas Dei reuelantis,ideò ille habitus fidei,qui inclinat ad credendum vnū,inclinat ad credēdumaliud.Secundò à priori, quia philoſophandum eſt de habitibus, perinde ac de potentijs intentionalibus, quæ non multiplicantur multiplicata ratione formali *quæ* ſed tantum multiplicata ratione formali *ſub qua*, vt conſtat exemplo potentiæ viſiuæ, & auditiuæ, quæ ea de cauſa ſunt diuerſæ, quia eſt diuerſa ratio formalis, ſub qua vtraque potentia cognoſcit; ratio enim formalis, ſub qua cognoſcit facultas videndi, eſt color, & ratio formalis, *ſub qua* cognoſcit facultas audiendi, eſt ſonus. E contrariò eadem facultas videndi cognoſcit albedinem, & nigredinem, quæ ſunt rationes formales diuerſæ, quia ratio formalis, *ſub qua* videntur albedo, & nigredo, eſt eadem, nimirum ratio

co-

coloris. Ex obiecto formali, & materiali componitur obiectum attributiònis in ordine ad quod cætera conſiderantur: in quolibet habitu intellectus, & voluntatis neceſſe eſt inueniri vnum obiectum attributionis, ad quod omnia referantur, quæ pertinent ad huiuſmodi habitum: ratio eſt, quia habitus accipit ſuam vnitatem ab obiecto attributionis, ideò tot debent habitus multiplicari, quot ſunt obiecta attributionis. Inde eſt ſapientes ad quos pertinet ordinare, vt ait Philoſophus in metaphyſica, volẽtes redigere in ordinem multitudines penè innumerabiles cognitionũ diuerſarum, debuiſſe conſiderare vnum aliquod obiectum ad quod reducuntur omnes actus, ordo enim eſt habitudo multitudinis ad vnum, vt conſtat in exercitu qui tunc cenſetur ordinatus, quando omnes milites diuiſi in varias centurias, atq; de curias ordinantur ad vnum Imperatorem. Hinc originem habet diuiſio ſcientiarum, de qua in præſenti loquimur, ea enim pendet ex diuiſione obiecti attributionis.

3 Nulla eſt ſcientia (loquor de humana, quã intellectus acquirit ſpeculãdo Phantaſmata) quę non indigeat aliqua abſtractione, dum ſpeculatur obiectũ ſibi propoſitum: ratio patet ex dictis in tractatu de vniuerſalibus diſp. 4. qu. 2. nu. 5. quia omnis cognitio, quæ cognoſcit prædicata vniuerſalia, indiget aliqua abſtractione, ſed omnis ſcientia cognoſcit prædicata vniuerſalia: ergò omnis ſcientia indiget aliqua abſtractione,

maior patet, quia prædicata vniuerſalia indiſtincta realiter à ſingularibus non poſſunt cognoſci niſi à ſingularibus abſtracta, quia verò diuerſus modus abſtractionis eſt coniunctus cum diuerſa difficultate ſuperanda ab intellectu indigente lumine diuerſo; ideò omnes ſciẽtiæ debent diuidi iuxta maiorem, vel minorem abſtractionem obiecti contemplandi, cuius ſpeculatio coniungitur cum maiori, vel minori difficultate ſuperanda per lumen diuerſum, vt ſequentes concluſiones perſpicuè demonſtrabunt: his poſitis.

4. Dico primò, quatuor eſſe ſcientias primarias, in quas diuiditur ſcientia abſtractiſſime accepta, nimirùm Logica, Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica:

5. Ad euidentiam huius rei, cuius fundamẽta poſuimus agentes de obiecto Logicæ diſp. 1. qu. 11. n. 7. ſciendum eſt habitum ſcientiæ diuidi in alios habitus, hoc eſt in alias ſpecies non intimas, ſed ſubalternas, nimirum in hàbitum ſcientiæ Logicæ, habitum ſcientiæ Phyſicæ, habitum ſcientiæ Mathematicæ, & hàbitum ſcientiæ Metaphyſicæ, qui omnes habitus ſunt ſpecies ſubalternæ contrahentes genus ſcientiæ: antiqui enim Philoſophi, quos deindè ſequutus eſt Ariſtoteles, partiti ſunt vniuerſam Philoſophiam in realem, rationalem & moralem. Philoſophia realis agit de ente reali, adeòque ſpeculatur res omnes ſecundum eſſe primò intentionale. Philoſophia rationalis agit de ente ra-

tionis, hoc eſt de rebus omnibus, ſecundùm eſſe Logicum, ſiuè ſecundò intentionale, Philoſophia moralis agit de ente morali, hoc eſt de rebus omnibus relatè ad actus voluntatis, quibus homo denominatur benè vel malè moratus: deinde Ariſtoteles partitus eſt Philoſophiam realem in Phyſicam, quæ vocatur Philoſophia naturalis, quia agit de rebus naturalibus, in Mathematicam, quæ ſpeculatur numeros lineas, & ſuperficies, in Metaphyſicam, quæ appellatur Philoſophia tranſnaturalis, eo quòd ſpeculatur rationes vniuerſaliſſimas & prædicata communia rebus materialibus, & immaterialibus. Quod ſi Ariſtoteles, vbi ſermo incidit de partitione ſcientiarum, nullam facit de Logica mentionem, id contingit ex eo, quod ſupponens famoſam diuiſionem ſcientiæ in realem & rationalem ibi ſolum agit de ſcientijs realibus.

6. Ratio autem à priori, cur ſcientia in genere diuidi debeat in quatuor ſcientias prædictas, eſt huiuſmodi. Tot debent enumerari ſcientiarum genera, quot ſunt genera rerum, quæ poſſunt ſciri, ſed huiuſmodi ſunt quatuor: ergò etiam illa. Min. probatur. Omne ſcibile, quatenus tale, vel eſt ſcibile ſecúdum prædicata primo intentionalia, & rebus intrinſeca, vel ſecundum prædicata ſecundo intentionalia, & rebus extrinſeca: id quod eſt ſcibile ſecundum prædicata extrinſeca, conſtituit Philoſophiam rationalem quæ eſt Logica agens de ſecundis intentionibus,

id quòd eſt ſcibile ſecundum prædicata intrinſeca, iterum diuiditur in tria genera diuerſa, quot ſunt res diuerſæ, quæ poſſunt ab intellectu ſciri, videlicet res materiales, quæ nō poſſunt eſſe nec cognoſci ſine materia: Hæc omnia ſpeculari ſpectat ad Phyſicam: aliæ ſunt res, quæ non poſſunt eſſe ſine materia, ſed poſſunt cognoſci ſine materia. Huiuſmodi ſunt lineæ, figuræ, & ſuperficies, quas ſpeculatur Mathematica: præterea dantur res, quæ poſſunt eſſe & cognoſci ſine materia: Huiuſmodi ſunt rationes vniuerſales entis boni, & veri, in quarum ſpeculatione eſt occupata Metaphyſica.

7. Dico ſecundò, quatuor ſcientias primarias conſtitui per quatuor modos diuerſos abſtractionis à materia.

8. Explicatur concluſio: infimus gradus abſtractionis, qui reperitur in intellectu, conſiſtit formaliſſimè in abſtractione entis ſenſibilis à materia ſignata, hoc eſt à circumſtantis loci, tēporis, & ſubiecti in ordine ad quas indiuiduari quamcùmq; rem materialem oſtēdi in tractatu de differentia ſpecifica diſp.7.qu.4.n.15. Ratio, cur ſit infimus hic gradus abſtractionis eſt euidens: quia quælibet abſtractio minor iſta abſtractione non ſufficit ad faciendum vniuerſale, quod eſt obiectum ſcientiæ, & intellectus: cognitio enim quæ nō abſtrahit à materia ſignata neceſſariò cognoſcit differentiam indiuidualem: ergò abſtractio, quæ requiritur ad faciendum vniuerſale, eſt talis abſtractio, vt abſtrahat

à ma-

à materia ſignata: omnes cognitiones, quibus intellectus cognoſcit naturam rerum materialium abſtrahendo à materia ſignata, & conſiderando præcisè ens naturale, conſtituunt vnam ſcientiam, videlicet Phyſicam.

9. Secundus abſtractionis gradus abſtrahit à materia non ſolùm ſignata, ſed etiam ſenſibili: hæc conſtituit aliam ſcientiam à materia magis eleuatam, nimirùm Mathematicam. Hinc eſt maiorē abſtractionem à materia inueniri in Mathematica, quàm in Phyſica, quia hæc abſtrahit à materia ſignata non à materia ſenſibili, illa verò ab vtraque.

10. Tertius abſtractionis gradus conſiſtit in illa abſtractione, per quam eleuantur ab omni materia naturæ rerum materialium: hic gradus conſtituit Metaphyſicam, quæ eſt magis abſtracta, quàm Phyſica & Mathematica.

11. Quartus gradus conſiſtit in abſtractione ab omnibus prædicatis intrinſecis rei, adeòque verſatur in ſpeculandis prædicatis extrinſecis, quæ redundant in res ab actibus intellectus.

12. In hac abſtractione fundatur Logica, quæ ſpeculatur rationem abſtractiſſimam entis intentionalis: quòd autem hæc abſtractio ſit ſumma, oſtenditur; quia per cæteras abſtractiones cognoſcūtur prædicata realia intrinſeca rebus, per iſtam verò cognoſcitur ipſum eſſe intentionale, quod eſt immaterialius, quam eſſe reale, quia hoc non conſiſtit in ipſa eleuatione

à ma-

à materia, in qua conſiſtit eſſe intentionale. Hinc eſt, quòd hæc prædicata *eſſe reale, & eſſe intentionale*, ſi identificātur, conſtituunt ens ſummè immateriale, quia verò non poſſunt identificari niſi in illo ſupremo ente, quod eſt cognitio ſui, adeòq; eſt cognitio identificata cum cognoſcēte; ideò ſolus Deus habet eſſe ſummè immateriale, quia nimirùm in Deo vbi nulla eſt materialitas, nulla compoſitio, nulla imperfectio, idem eſt cognoſcens, cognitum, & cognitio, adeòque Deus nihil aliud eſt, quàm cognitio comprehenſiua ſui.

13. Neceſſe eſt ad iſtos quatuor gradus abſtractionis adhibere lumen diuerſum, quo intellectus vtitur ad res diuerſas ſpeculandas. Hinc eſt, quòd lumen ſcientificum, aliud *eſt* ſenſus communis, aliud imaginationis, aliud eſt lumen intellectus, quod vocatur directum, aliud lumen reflexum.

14. Lumine ſenſus communis vtitur Phyſica, quia non poſſumus ſpeculari res naturales, niſi experientia ſenſuum vtamur ad inueſtiganda aliqua principia vniuerſalia, in quibus fūdatur hæc ſcientia. Hinc eſt, quòd illi, qui ſūt inepti ad obſeruandas experientias rerum ſub ſenſus cadentium, non cenſentur ſatis idonei ad Phyſicam acquirendam: lumine imaginationis vtitur Mathematica, quia non poſſumus de numeris lineis, &c. philoſophari niſi habeamus validam imaginationem. Hinc oritur non eſſe aptos ad ſpeculationes Mathematicas, qui non

habent

habent imaginationem robuſtam: lumine directo intellectus vtimur ad ſpeculanda prædicata ſeparata à materia ſeparatione præciſiua, vt contingit in ſpeculandis prædicatis, quæ conueniunt ſubſtantijs materialibus; & immaterialibus, vel ſeparatione negatiua; vt contingit in ſpeculandis prædicatis, quæ conueniunt ſolis ſubſtantijs immaterialibus: hoc lumine vtitur Metaphyſica ad quam ſunt aptiſſimi, qui habent intellectum acutum & perſpicacem; inepti, qui habent intellectum obtuſum, & pinguem, licet habeant imaginationem valde robuſtam: lumine reflexo vtimur ad ſpeculandas veritates reflexas, quarũ ſpeculatio pertinet ad Logicam: in iſtis ſpeculandis in præſenti fuimus occupati.

15. Dico tertiò Phyſicam habere pro obiecto attributionis ens ſenſibile, ſiuè ens mutabile, quod vulgò appellatur corpus naturale, de quo agemus in tom.2. cum Philoſopho in lib.8. de Phyſico auditu: Mathematicam ens quantum, ſiuè extenſum, quod ſpeculandum tradimus Mathematicis; Metaphyſicam verò ens immateriale negatiuè, & præciſiuè, de quo præter illa, quæ in Logica tractauimus, agemus in tomo 4. in Metaphyſica.

16. Dico vltimo nomine entis ſenſibilis, quod eſt obiectum Phyſicæ & entis immaterialis, quod eſt obiectum Metaphyſicæ non intelligi ens qnatenùs præſcindit à ſubſtãtia, & accidente, ſed intelligi ens contractũ ad ſubſtantiam.

17. Ratio à priori eſt, quia hæc eſt natura

obiecti attributionis,vt primo,& per ſe conſideretur, ſed accidens tàm materiale quàm immateriale non conſideratur primò & per ſe, ergo non ſpectat ad obiectum attributionis, quod à Phyſica & Metaphyſica conſideratur. Minor probatur, quia totum eſſe accidentis eſt eſſe in ſubſtantia, ſiuè in ordine ad ſubſtantiam proinde definitur entis ens, vt diximus agentes de Prædicamentis diſp.9 qu.5. n.6. ergo accidens non eſt ſpeculabile,niſi relatè ad ſubſtantiam. Conſequentia probatur, quia repugnat in terminis haberi ſcientiam de aliquo eſſentialiter ordinato ad aliud ab ipſo diſtinctum, niſi conſideretur in ordine ad illud, ſed accidens eſt ordo eſſentialis ad ſubſtantiam, ergo non poteſt cognoſci niſi relatè ad ſubſtantiam, ergo Phyſica ſpeculatur accidens materiale præciſè in ordine ad ſubſtantiam, & Metaphyſica ſpeculatur accidens immateriale præciſè in ordine ad ſubſtantiam, ergo accidens non eſt obiectum attributionis, ſed ſolùm attributum reſpectu Phyſicæ & Metaphyſicæ.

18. Ex hac doctrina colliges primo quatuor ſcientias primarias inter ſe differre ratione obiecti formalis,non materialis, quia quælibet ſcientia ſpeculatur ens, ratio autem formalis,ſub qua ſingulæ ſpeculantur,eſt diuerſa, quia ratio formalis, ſub qua ſpeculatur Phyſica, eſt materialitas: ratio formalis ſub qua ſpeculatur Mathematica, eſt extenſio:ratio formalis ſub qua ſpeculatur Metaphyſica eſt im-

mate-

materialitas & ratio formalis ſub qua ſpeculatur Logica eſt intentionalitas. Hinc ſequitur has ſcientias eſſe magis vel minus vniuerſales, quo magis vel minus eſt vniuerſalis ratio formalis ſub qua ſpeculantur ens: Quia verò ratio entis immaterialis ſaltem præciſiuè, & ratio entis intentionalis ſunt rationes vniuerſaliſſimæ, ideò Logica & Metaphyſica ſunt ſcientiæ vniuerſaliſſimæ, vna realis, alia intentionalis.

19. Colliges ſecundo, Logicam eſſe ſcientiã intentionalem, quia ſpeculatur ens ſub ratione entis intentionalis, hoc eſt, in ordine ad denominationes Logicas, quæ vt demonſtraui, diſp. 1. qu. 1. num. 8. ſunt ens cognitum: ratio eſt manifeſta, quia omnis cognitio ſpecificatur ab obiecto, ergo ſcientia quæ habet pro fine ſpeculari ens intentionale, eſt ſcientia intentionalis, ſicuti ſcientia, quæ habet pro fine ſpeculari ens reale, eſt ſcientia realis. Hinc patet, quam longe à veritate aberrent illi Philoſophi, qui in ea ſunt ſententia, quod obiectum Logicæ ſit intellectus vel operatio recta; quaſi poſſit ſcientia intentionalis ſpeculari ens reale.

20. Colliges vltimo quatuor ſcientias primarias, quibus cæteræ ſubordinantur, talem ordinem inter ſe habere, vt ſpectato ordine dignitatis, prima ſit Metaphyſica omnium præſtantiſſima, ſecunda Phyſica quæ ſpeculatur vniuerſam naturam, adeòque eſt nobilior Mathematica, illa enim contemplatur Cœlum, Elementa, Plantas, Animalia, & Homines,

quæ

quæ multo magis delectant intellectum ſcientiæ appetentem quàm numeri, & figuræ, quibus cognoſcendis Mathematica exercetur, quæ proinde tertium locum tenet, & eſt minus nobilis quàm Phyſica, licet eam antecedat multitudine & pulchritudine demonſtrationum: quarta, & poſtrema eſt Logica, licet ſit prima ordine doctrinæ, ea enim quàmuis aliquas veritates euidentiſſimè demonſtret, tamen eſt inferior cæteris ſcientijs, eo quod ens intentionale non eſt ità nobile ſicuti ens reale.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLI MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IOAN. MARIA. CARD. GABRIELLIVS

P.	Verſ.	Errata	Corrige.
84	vlt.	Hinc eſt quando	Hinc eſt quòd
120	vlt.	vt verum vel falſum	verum vel falſum
140	15	propoſitionis	propoſitio
142	10	inſtructum	inſtrumentum
293	18	ad conſequendam	adde : ſanitatem
218	16	bonitatem	adde : & conuenientiam
242	45	alterius artis	alterius facultatis
223	1	quia enim	ſi enim
226	21	ſcientia eſt quæ	illa ſcientia eſt ſpeculatiua
228	1	modo indicato	loco indicato
228	16	marmori	marmor
233	12	brutorum	adde : ab anima brutorum
235	30	quod eſt : tantum	quod eſt non tantum gradia ſui : nego
263	12	diſtinctio	diſtinctæ
266	22	quia aliquo	quin aliquo
267	27	eſſe	eſt
299	29	diſtructio	diſtinctio
320	1	tum quia intellectus	quia intellectus
321	6	an huiuſmodi	ad huiuſmodi
324	9	appellat	appellant
334	3	nob ſi	non ſit
368	84	& multiplex	adde eſt vnum, & non vnum : ergo
362	48	vnius & conceptus	& conceptus vnius
396	3	perfectior cognitio	perfectior cognitione
397	4	inſolubile	inſolubilem
410	21	repugnante	repugnare
416	21	concedo	conceſſo
480	10	de fidem	defectum
453	26	eſſe negabilia	eſſe diſſimilia
612	9	infert & infertur	infert & non infertur
623	27	impenetrabilis	impenetrabile
692	23	voces ſit	voces ſint, & 30 repræſentat, lege re-præſentantur
704	17	de Obligatione	de Obiecto
754	21	non peccare	nunc peccare
779	20	intentionali	intentionale
752	6	præter quam	propter quam
846	2	illum eſſe	illud eſſe

Digitized by Google

Digitized by Google